


COLLOCVTIONES SPIRITVALES BEATI FRANCISCI DE SALES,

EPISCOPI ET PRINCIPIS GENEVENSIS,
Inſtitutoris & Fundatoris Ordinis Reli-
gioſarum Viſitationis Sanctæ
Mariæ.

In quibus familiariter traduntur ſublimia quædam documenta animabus ad perfectionem Christianam tendentibus, cum eiuſdem Auctoris conſideratione ſupra ſymbolum Apoſtolorum:

Tertiùm Gallicæ excuſæ cum approbatione
Lugduni;
In Latinum verò ſermonem verſæ
VIENNÆ AVSTRIÆ

Per

HENRICVM LAMORMAINI
è Societate IESU Sacerdote[m]

Prænobili, Strenuo & Consultissimo Viro, Domino

BERNARDO HOLLER,

J. U. DOCTORI,

EXCELSI REGIMINIS CONSILIARIO, ET ADVOCATO FISCI AUSTRIACI,

Nec non

Pro tempore Celeberrimæ & Antiquissimæ UNIVERSITATIS VIENNENSIS RECTORI MAGNIFICO, &c.



Gnem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? *DEI è cœlo in rtus humanos delapsi ista vox est, incenium exoptantis animorum, cœlestes*

P.P. Ertand. Camalau In Insula Vigrensi

flammas diuini amoris. Huiusmodi incendiarios nullæ leges puniunt, quos DEVS ipse quærit, cœlum beat. Illos inter unus fuit is, quem Tuæ Magnificentiæ *offero, B. Franciscus de Sales, Episcopus & Princeps Genevensis, quem non modò Gallia; sed universus Orbis Christianus vidit, & sentit, quot ignito dictiones ore, quot literas flammivomo premebat calamo, tot scintillas eiaculantem, quibus ad DEI amorem, quo ipse ardebat, alios incenderet. Testes, ut alia præteream, hæ* Spirituales Collocutiones, *quibus homines DEO dicatos perducit ad perfectionem præclarâ luce, sacro calore incendit. Optat Christus suum illum ignem, quem in Seraph cum illius pectus injecit; optat ip Franciscus, Seraphicus alter, ut acc datur in plurimorum animis:*

(ô bonum factum!) à Tua humanitate, pietate, munificentiâ facilè impetrat. Dum enim me per communem Patriæ Luxemburgensis conjunctionem familiariter rogante, tam facilè liberaliterq́ʒ sumptus huius meæ tum versionis, tum impreßionis subministras; quid aliud agis, quàm ut quasi sub cinere latentem divinum illum ignem detegas, quo alios inflammes? facis id quidem Tuo more, Magnifice Domine, *ut qui pietate in DEVM, in miseros charitate singulari clarior sis, quàm Iurisprudentiæ, & tractandarum rerum industriâ: quâ tamen etiam laude es perillustris. Atq́ʒ utrumq́ʒ istud Te scilicet non modò ad amplißimos tum Aulæ, tum Academiæ honores promovet; sed & summis, medijs, imis charum; DEO verò ipsi dilectum efficit. Verùm hîc cogor sistere:*

ubi Tua modestia frænum mihi inijcit, jubetq; ne ultrà molestum ruborem Tuæ purpuræ suffundam. Hæc tamen pauca commemorari à me oportuit, ne vel inurbanus in non referendis gratijs erga benefactorem, vel iniquus in non reddendis, cuipiam viderer. DEUS Opt. Max. Magnific. Tuam Dominationem, *bono Urbis, Academiæ, Patriæ, Religionis, diu conservet, uti boni omnes vovent, & ego medullitus comprecor. Viennæ, die Virgini præsentatæ sacro, quo Princeps Academicus creatus, publicâq; gratulatione renunciatus es: uti & ego animitus congratulor. Anno 1648.*

Tuæ Magnificæ Dominationis

Servus in Christo

HENRICUS LAMORMAII
è Societate IESU.

❧(⁂)☙

INTERPRES LECTORI.

De Auctore, argumento et utilitate libri.

MI benevole Lector, ne cæspites in progressu, siste tantisper in limine, paucis te volo. B. Franciscus de Sales, quem legis, has Collocutiones non scripsit: sed tamen ipsius sunt: quia quæ hîc scribuntur, ipse dixit, licet neque eodem tempore, neque eàdem occasione: cùm tanquam Fundator Ordinis, Virgines Visitationis S. Mariæ Deo dicatas, quod illæ rogaverant, familiariter instrueret; & illæ ex eius ore partitis inter se operis scripto exciperent: conflatum inde ex partibus junctis quasi quoddã corpus, quod illæ ENTRETIENS, ego collocutiones spirituales nomino. Verùm cùm initio præmaturè, neq; satis

cohærenter, hominis cujuſpiam, qui eas ſubduxerat, præpropero ſtudio prodijſſent; Frater & Succeſſor B. Franciſci vitâ functi, priore editione, quoad potuit, ſuppreſsâ, novam ex veris exemplaribus recognitis edi curavit, quam ſi attentè conſideres dignam omninò reperies ore & nomine B. Franciſci de Sales, utpote ab ijs, quæ idem aliàs ſcripſit, nihil abhorrentem. Eæ autem collocutiones, ut ex indice patet, plurimas eaſque ſalutares vitæ & perfectionis religioſæ admonitiones & documenta continent, quæ non minùs alijs, quàm Virginibus Deo conſecratis proſint. Quare operæ pretium me facturum putavi, ſi familiari quoque ſtylo è Gallico Latinè redderem: quod ſi minùs eleganter, facilè dabis veniam: multa enim hinc inde occurrerunt, tum in varijs quæſitis, tum re-

ſponſis, quæ difficilem ſenſum facerent; ideoque malui ſententijs linguæ Gallicæ preſsius inſiſtere; quam longius fortaſſis à re ipſa diſcedere. Boni Conſules, mi Lector, ſi verba non æquè florida, rem ſanè, ut opinor, habes optimâ fide.

FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo Georgius Turcovich Societatis IESV *per Austriam Præpositus Provincialis facta mihi potestate ab Admodum R. P. N. Vincentio Carrafa Præposito Generali, facultatem concedo, ut Collocutiones spirituales B. Francisci de Sales Episcopi Genevensis, & Fundatoris Religiosarum Visitationis B.* MARIÆ, *è Gallico in Latinum idioma per P. Henricum Lamormaini Societatis nostræ Sacerdotem conversæ, & à dictæ Societatis Censoribus revisæ & approbatæ typis mandentur. In cujus rei fidem has literas manu propriâ subscriptas, & officij sigillo munitas dedi. Viennæ Austriæ 10. Februarij, Anno Domini 1647.*

Georgius Turcovich.

Illuſtriſſ: ac Reverendiſsimo Domino,
Domino

ALPHONSO LVDOVICO DE PLESSI,

DE RICHELIEV CARDINALI, ARchiepiſcopo, & Comiti Eccleſiæ Lugdunenſis, Primati Galliæ, nec non intimo Regis Conſiliario, &c.

DOmine, ſi olim ſervus libertate donatus tenebatur aſſumere, nomen ejus, qui ex ſervo liberum ſe fecerat, juſtum eſt, ut exiguus hic labor, jure, & titulo gratitudinis tuo vocetur nomine: tuâ ſiquidem auctoritate ereptus eſt è manibus certorum hominum, qui non luce, ut dictitabant, eum donârunt, ſed adeò denſis perfuderunt tenebris, ut legitimus parentis ſui filius dignoſci non poſſet; qui tamen parens, uti in moribus, ita & in ſcriptis purus & clarus fuit. Quare cùm tu ILLUSTRISSIME, ei reſtitui mandâris lineamenta & decora ſui vultûs, noluit in publicum ſe dare, niſi ſub

tuâ protectione, sibi pollicens ab omnibus ita favorabilem exceptionem: ut ei sit antidoti loco contra invidiam & maledicentiam eorum, qui eò libertatis devenerunt, ut censere non vereantur perfectissima quorumcunque opera, quin imò & in ipsius solis corpore maculas deprehendere sese jactitant: eâ tamen parvus hic labor imbutus est opinione, ut, etsi illi malevoli judicium sapientûm, universalemque publicæ vocis approbationem, suo pondere non sint æstimaturi; tamen (nî omnem frontem perdiderint) non dubito, quin NOMINIS TUI RATIONEM PER MAGNAM SINT HABITURI. ILLUSTRISSIME DOMINE, dicam, quod est, candidè, Domina de Chantal me induxit, ut hoc anathema ad tui templi parietem appenderem: quod tantò libentiùs feci, quantò magis conscius mihi sum, quôd ei obtemperando, mihi ADDICTAS sim redditurus OMNES RELIGIOSAS VISITATIONIS BEATÆ MARIÆ; in particulari autem humillimas tuas spirituales filias, quæ Lugduni duas inhabitant domos; quæ ob tenerum & simul solidum

amorem,

amorem, quo prosequuntur memoriam BEATI SUI PATRIS, ijs nil magis cordi est, quàm conspicere omne id, quod ab illo profectum est, tuæ protectioni subjacere.

Accipe igitur, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, COLLOCUTIONES SPIRITVALES, seu SINCEROS & FAMILIARES ejus sermones, & ijs (si lubet, scio autem lubere quam maximè) locum da inter tuas ordinarias & serias occupationes, ac collucutiones. Acceptabis, spero, bonam eius voluntatem qui pro suo modulo studet tuo honori amplificando.

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ
DOMINATIONIS

Obsequentissimus & addictissimus Servus

INDEX EORVM QVÆ CONTINENTVR in his Collocutionibus.

COLLOCVTIO XI.

COLLOCVTIO XII.

COLLOCVTIO XIII.

COLLOCVTIO XIV.

COLLOCVTIO XV.

COLLOCVTIO XVI.

VIVAT IESVS.

CHARISSIMIS NOSTRIS IN CHRISTO SORORIBVS, SORORIBVS RELIGIOSIS VISITATIONIS S. MARIÆ.

CHarissimæ in Christo Sorores, en, veri & familiares sermones Beati Patris nostri, diversis temporibus, & occasionibus ad nos habiti; quos, postquam pronunciârat simplici & vulgari loquendi modo recolligebamus, & eâ sinceritate, quâ poteramus (dum adhuc recentes nostræ inhærebant memoriæ) in medium adferebamus, quæ ex sacro eius ore exceperamus, ut optimo, quo valebamus ordine & modo, in corpus seu sacrum aliquod volumen, ad usus nostrarum domuum redigeremus & formaremus. QVO, inquam, ORDINE & MODO VALEBAMVS; nemo enim non credet nobis impossibile fuisse, (esto omnem omnino diligentiam & studium adhibuerimus) omnia ita exactè nos reddere potuisse, quin quàm plurima, eaq; præstantissima eius familiaris sermonis membra, & connexiones, etiam ex præcipuis, memoriâ nobis exciderint.

Quæ

Quæ autem retinuimus, non parum perdiderunt de vi, & efficacia, simulq́ue de compendio, & facilitate, quâ digno & venerabili ore ea efferebat. Veruntamen licet omnicum veritate dicere, quòd magna pars eorum documentorum, quæ nobis reliquit, ita genuinè, & fideliter deducta, & relata sint, ut, quicunq́ue sano est intellectu, & vel mediocriter in ejus librorum lectione versatus, statim eius spiritum recognoscat, ac lubens hos familiares sermones, si non eo prorsus ordine, quo alia eius opera (quæ immediatè ex eius manibus prodierunt) reponat, certè minimùm inter eos habiturus sit libros, qui modo aliquo ad eum pertinuerunt. Nam etsi non sint æquali industriâ elaborati, quâ alij eius codices; si discursus non ita cohærenter contexti; si quid deniq́ue occurrat, quod minus simile videatur eminenti ejus doctrinæ, & per alia opera acquisitæ famæ, mirum non est: quia nunquam hæc vidit, neq́ue legit. Scitum autem est infantes à mamilla materna ante tempus abstractos, vix pari esse robore ijs, qui consueto, & integro tempore propriæ matris lacte fruiti sunt.

Adde, quòd ferè semper eos, qui post patris obitum nati sunt, sequatur amica quædam commiseratio. Certè Beatus animarum nostrarum pater non

 cogi-

cogitavit usquam alibi collocutiones has seu fa-
miliares sermones lucem visuros, quam intra exe-
dras, seu intra domuum nostrarum parietes, & cla-
riùs, inter loca ad colloquium deputata; in quibus
incredibili ingenuitate & familiaritate condîta
decenti gravitate, minutis nostris interrogatiun-
culis respondebat. Nunquam etiam mens nostra
fuit, ut publicam lucem viderent, sed ut intra do-
mesticos parietes, minutim scripti pro particulari
consolatione nostrarum domorum, ad quarum usum
erant destinatæ, conservarentur. Verum conti-
git (quo modo ignoramus) eas imprimi (nobis in-
sciis) vitiosissimè & inordinatissimè. Quod, cùm
Reverendissimus & Illustrissimus D. Episcopus,
& Princeps Genevensis Frater & Successor Be.a-
ti Nostri Patris dignissimus, animadver-
tisset, & insuper vidisset de imminutione honoris
& famæ sancti sui Fratris agi, obtento statim pri-
vilegio (posteà hic inserendo) in mandatis nobis
dedit, ut nullâ interiectâ morâ, apographum, seu
descriptionem harum familiarium collocutionum,
à Fratre ad nos habitarum, exhiberemus: tùm
ad corrigendam erratis scatentem impressionem,
tùm ad demonstrandum verè, quid de iis recolle-

ctum

ctum haberemus in nostro Monasterio; quod & perlubenter fecimus.

Cùm non nisi bene de nostro proximo loqui & sentire nos deceat: existimamus bono zelo potiùs, quàm aliâ quacunq; consideratione eum, quicunq; ille fuerit, inductum fuisse ad spirituales has instructiones in lucem dandas; sed candidè fatendum est, nos necdum eò indulgentiæ & perfectionis pertigisse; quin minoris charitatis aliquos sensus, & verè etiam querelas adversus illum non habeamus: non quidem quòd id, quod nostrum esse credebamus (cùm nihil proprij habeamus; & bona spiritualia, quæ DEVS nobis per suum servum communicavit, adhuc minùs nostra sint, quàm quævis alia: quia scilicet talia sunt, ut alijs hominibus omni jure communicari requirant ac debeant) eo modo subtraxerit, quo admodum difficile, imò & impossibile fuerit eum, nisi per fragmenta & frustatim eas subtrahere: & consequenter non nisi cum earum mutilatione tradere imprimenda Typographo. Adde, quòd eæ descriptæ fuerint pluribus vicibus, & quidem manu fœmineâ. Quibus, dubio procul, hinc inde adiuncta fuêre, quæ non omnibus in communi, sed tantùm quibusdam in

 parti-

particulari colloquio, quæ (defectu memoriæ) non retulerant eo modo, quo Beatus noster Pater enunciârat. Hinc factum est, ut qui eas subtraxit, coactus fuerit eorum loco, quæ deerant, vel quæ redundare putabat, multa extranea, tùm orationis membra, tùm particulas & connexiones addere, vel subtrahere, ut aliquo modo discursus collocutionum sibi constaret. Quæ omnia tantam mutationem huic operi invexerunt, ut vix cognosci potuerit, cujusnam esset opus. Quod, collatis duabus impressionibus, facilè erit cognoscere.

Fuit proinde, Charissimæ in Christo Sorores, necesse nos communicare Spirituales hasce collocutiones: & in primis quidem ijs, à quibus in nostri gubernatione dependemus, consilijsq; dirigimur; qui & laborârunt impigrè ad tollenda menda, quæ inter nostras manus dictæ collocutiones contraxerant. Nec hoc fecisse satis ijs fuit, nisi & prælo eâ formâ & modo eas excudi fecissent, quo excudendæ erant; ut & omni hominum generi communicari, & simul Collocutionum Auctoris, Beati scilicet Patris nostri, sanctæ memoriæ, nomen ad omnes mundi partes tutò & utiliter circumferre potuissent.

Quædam fortassis invenietis in eis, quæ adeò particularia, ac propria esse videntur nostrarum domorum, ut non judicetis tàm liberè fuisse publicanda: eò quòd spiritus mundi non semper sit dispositus ad pietatis scripta accipienda eâ cordis simplicitate, & reverentiâ, quæ talibus scriptis debentur. Respondemus id quidem esse verum, nihilominus tamen, cùm unum è salutaribus consilijs, & desiderijs Beati nostri Patris, Institutoris, & Fundatoris semper fuerit, illudq́ue nobis in una quadam ex suis COLLOCVTIONIBVS *testatum reliquerit: ut spiritus nostrarum domorum proximis nostris ex animo communicetur, ideò ne proximus privaretur fructu sanctarum instructionum, quas à dicto Patre habemus, obedientia, & Charitas requirit, ut earum, quotquot eas habere voluerint, participes efficiamus. Vult autem eas nobis singulariter esse dicatas, quia vernaculæ nostræ sunt, & domi nostræ, benevolentiâ & amore eiusdem Patris, natæ.*

Fruamur igitur, Optimæ Sorores, tam salutaribus, tamq́ue fructuosis collocutionibus; ijsdemq́ue prælucentibus, in spiritu nostræ Regulæ nos servemus per frequentem, & studiosam earum lectionem, & meditationem. Præsertim verò per studiosam


diosam praxim sanctorum documentorum, quibus eæ abundant. Et quâ ratione & modo forinsecus exprimuntur, iisdem ita profundè cordium nostrorum penetralibus imprimamus, ut nunquam ab iis eradicari valeant: qui enim, (si eas avelli aliquando contingeret) tàm pretiosi talenti rationem redderemus? quæ ausæ fuerimus illud in terram defodere, ne alia (ut servus nequam) negotiando lucraremur.

Speramus autem Beatum Nostrum Patrem, qui illud nobis à Domino impetravit, etiam eundem rationem & modum illud fructuosè exponendi, ex eoq; profectum spiritualem pro ejus gloria, & animarum nostrarum salute decerpendi, obtenturum. Et hoc est assiduum votum, quod facimus pro vobis, & nobis, quæ sumus in Chrispo IESV

Humillimæ & amantissimæ vestræ Sorores & Ancillæ:

RELIGIOSÆ è MONASTERIO VISITATIONIS SANCTÆ MARIÆ ANNESSIENSI.

SIT DEVS BENEDICTVS.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO I.

In qua declaratur obligatio constitutionum Visitationis Sanctæ Mariæ, *& ornamenta & lumina pietatis, quibus Religiosæ dicti ordinis fulgere debent.*

HÆ constitutiones non obligant ex se ipsis ad ullum peccatum, neque mortale, neq; veniale; sed datæ sunt solummodo pro directione & ductu Religiosarum Congregationis: si tamen earum quæpiam eas violaret voluntariâ intentione, & contemptu, vel scandalo (sive persona illa esset ex sororibus, sive ex extraneis) committeret dubio procul gravem noxam: non enim ea excusari posset à peccato: quæ tam vili loco res divinas haberet; tali notâ suam professionem aspergeret, Congregationem inverteret, fructusq; boni exempli atque odoris, quem pro-

ducere debet ad ædificationem si proximi, dissiparet. Quin & verendum esset, ne talis voluntarius despectus puniretur cum tempore pœnâ cœlitùs immissâ : in specie autem privatione gratiarum, & donorum Spiritus sancti, quæ utplurimùm tolluntur ab ijs, qui nimis abundant in suo sensu, & derelinquunt viam, quam Deus ijs tenendam præscripsit.

Porrò contemptus constitutionum, sicuti omnium bonorum operum, per considerationes sequentes cognoscitur.

Is in id vitium incidit, qui per contemptum violat, aut intermittit adimplere, quod præceptum est, non solùm voluntariè, sed ex proposito deliberato. Nam si id violat per inanimadvertentiam, oblivionem, aut inopinatam quampiam & irrumpentem passionem, res aliter se haberet : contemptus enim in se includit voluntatem deliberatam, seu quæ se deliberatè determinat ad faciendum id, quod facit. Vnde sequitur eum, qui violat mandatum superioris, non solùm esse inobedientem, sed etiam velle se manere inobedientem ; ac proinde eum non solùm committere inobedientiam, sed & operari intentione non obediendi. Prohibitum est verbi gratiâ comedere extra tempus ordinariæ refectionis, è Religiosis quæpiam comedit prunum, seu malum Armeniacum, aut fructus alios, violat regu-

lam

lam,& committit inobedientiam. Si autem illa comedat illecta delectatione,quam inde sperat, tunc transgreditur limites obedientiæ, non quidem per inobedientiam : sed per cupediam : vel certè quia regulam vili pendit, & nihili facit : seq; illi ex deliberato proposito recusat submittere : & tunc illam prætergreditur per contemptum & inobedientiam.

Sequitur ulteriùs,quòd is,qui inobediens est propter aliquod illicium, seu incitamentum vel oppressionem sinistræ affectionis, vellet illi indulgere,non tamen violando obedientiam,quin & eodem tempore, quo voluptatem capit,verbi gratiâ comedendo , dolet se id facere præter obedientiam. Quo in casu inobedientia sequitur,aut comitatur ipsum opus ; sed in altero inobedientia præcedit illud ipsum opus,eique est causa & motivum,non obstante,quòd id fiat ex gula : nam qui comedit contra mandatum,consequenter vel concomitanter,committit inobedientiam,esto si posset evitare comedendo,nollet illam committere : adinstar illius, qui ultra mensuram bibens,nollet se inebriare,cùm nihilominùs se inebriet bibendo ; verùm is, qui per contemptum regulæ,& per inobedientiam comedit,vult ipsammet inobedientiam , ita, ut opus non esset voliturus, neque commissurus, nisi ad id faciendum moveretur voluntate ad detre-

ctandum imperium. Vnus igitur o[b]edientiam negligit, volens rem, cui conjuncta est inobedientia; alter autem non obsequitur, seu, quod idem est, non obedit, volens rem ideò, quia inobedientia est ei conjuncta. Vni occurrit inobedientia in re, quam vult, vellet autem sibi non occurrere; alter verò inobedientiam requirit, & non vellet rem, nisi cum intentione in ea inveniendi inobedientiam. Vnus est inobediens, quia vult comedere mala Armeniaca, quæ non potest comedere nisi sit inobediens: sed alter dicit, comedo, quia nolo obedire; comedendo autem ea, non obediam: in quibus exemplis inobedientia & contemptus, sic se habent, ut jam unum alterum consequatur: jam præcedat & dirigat.

Porrò inobedientia ista formalis, & contemptus rerum bonarum ac sanctarum, nunquam est sine aliquo peccato, ut minimùm veniali: nec id etiam in rebus, quæ purè sunt consilij, sine peccato esse potest: licet enim non tenearis eas amplecti, alijs relictis, sub pœna ullius offensæ, non possunt tamen per contemptum reprobari absq; noxa, quia licet non teneamur omne bonum sequi; tenemur tamen illud in pretio & æstimatione habere. Et consequenter, & à fortiori (ut loquuntur in scholis) non possunt illud contemnere, & vili pendere.

Sequitur præterea eum, qui violat regulam, & con-

& constitutiones per contemptum,parvi ea pendere,& inutilia judicare; quod non poteſt non eſſe maxima præſumptio, & audacia; vel certè ſi non vile,neque inutile judicat bonum,quod per conſilium ſuadetur amplectendum, nec tamen velit ſe regulæ ſubmittere, tunc infringit ſuum inſtitutũ magno cum proximi detrimento, dum ei malo eſt exemplo, ne dicam ſcandalo, fallit enim ſocietatem,& promiſſum ei factum denegat: quin & piam,& Religioſam domum perturbat,unde magna conſequi poſſunt incommoda.

Vt autem aliquo modo dijudicari poſſit, quando Religioſæ Congregationis violent regulas,& imperium per contemptum detrectent, en,notas aliquas eam in rem adijcio. I. quando correctæ irrident,& ſignum doloris nullum edunt. II. quando in errore perſeverant,nullo ſigno emendationis dato. III. quando eò uſq; deveniunt, ut dicant, regulam, aut mandatum nihil eſſe ad rem. IV. quando conantur alias, ad idem malum inducere; & ab eis tollere omnem timorem mali ſecuturi, hoc,aut ſimili modo dicentes: nihil id omnino eſſe,& ne umbram quidẽ ullius damni,aut peccati continere.

Hæc tamen ſigna non ita ſunt certa,quin ſubinde poſſint provenire ex cauſis alijs, quàm ex contemptu. Poteſt enim evenire,ut aliquis irrideat eum,à quo reprehenditur ob exiguum re-

ſpectum, quem de eo habet, & in eo perſeveret ex infirmitate: quin & præ iracundia, & cholera nihil non moveat, ut alios ſeducat, ſuæq; opinionis habeat conſortes, nec non argumenta excuſandi ſuum factum. Nihilominus tamen facilè eſt per adjacentes circumſtantias indicare, quando id evenit per contemptum: & quando non, quia tandem in fine per manifeſtam impudentiam, & maleſanam libertatem, ordinariè ſequitur contemptus; & qui id habent in corde, paulò pòſt habebunt in ore, & dicent, quod David notat: *quis noſter Dominus eſt?*

Adijciamné verbum aliquod de tentatione, quæ contingere poteſt in hoc puncto? Ea eſt, quòd ſubinde aliqua è Religioſis non credat, neque exiſtimet ſe inobedientem, & plus æquò liberam, quando contemnit unam alteramve regulam, quæ ei apparent non eſſe magni momenti, dum cæteras omnes obſervat. Ah mi Deus! quis non videt deceptionem? nam id quod una aliqua parvi faciet, altera magni æſtimabit, & è contra: eodem modo quando in Societate & Congregatione unus quiſpiam contemnet regulam unam, ſecundus alteram, tertius tertiam, quis non videt, quod omnia ſusq; deq; ferentur? tunc enim mens hominis non niſi ſecundum inclinationes, & auerſiones ſe gerit, ac gubernat. Quid ergo aliud expectandum eſt, rebus ſic ſe haben-

habentibus, quàm perpetua inconſtantia, & varietas delictorum? heri eram lætus, ſilentium diſplicebat, & tentatio mihi ſuggerebat, quòd eſſem otioſus; da me hodie eſſe melancholicum; dicet ille recreationē & honeſtam collocutionē eſſe magis inutilē: heri cùm perfunderer conſolatione, cantus mihi placebat, hodie cùm ſim in ſiccitate, idem cantus diſplicebit, & ſic de alijs.

Cæterùm, qui vult vitam beatam & perfectam ducere, ſe aſſuefaciat oportet vivere juxta rationem, regulas, & obedientiam, non autem juxta inclinationes, vel averſiones; regulas omnes æſtimare, honorare, ac familiares ſibi reddere (ut minimùm per voluntatē ſuperiorem) debet. Nam ſi hodie contemnat unam, & cras alteram, & die tertio tertiam: quis dubitabit, quin (poſtquam omnis ſolicitudo & cura abjecta, & diſſipata fuerit) futurum, & quidquid erat ligatum, ſenſim quaſi ſine ſenſu diſſoluatur, & diſſipetur.

Avertat Deus, ne unquam Religioſa aliqua VISITATIONIS ita ſe ſeparet à via divini amoris, ut ſe per contemptum regularum, per inobedientiam, duritatem & obſtinationem cordis, perditum eat? Ecquid hoc, obſecro, peius vel infortunatius ei poſſet evenire? Et maximè cùm paucis particularibus & proprijs ſuæ Congregationis regulis ligata ſit; quia earum pars maxima, imò quaſi omnes ſunt vel regulæ ge-

nerales (quas etiam in ſuis domibus in ſæculo manentes obſervare deberent, ſi vel parum vivere vellent cum honore, æſtimatione, & Dei timore) vel quæ ſpectant ad manifeſtam decentiam devotæ & bene conſtitutæ domûs; vel in particulari ad dictæ domûs Miniſtrorum convenientem diſciplinam. Quòd ſi quandoque ijs occurrunt diſplicentia aliqua, vel averſio contra conſtitutiones & regimen CONGREGATIONIS, gerent ſe eo modò, quo debent adverſus alias tentationes, corrigendo ſcilicet averſionem, quam habent, dictamine rationis, & firmo decreto partis ſuperioris animæ, expectantes uſq; dum Deus ijs immittat in progreſſu viæ ſuæ conſolationem, & eas videre faciat (quemadmodum Iacobum Patriarcham fecit, cùm laſſus & defeſſus eſſet in ſuo itinere) quòd regulæ & inſtitutum vitæ, quod complexæ ſunt, ſit vera ſcala, per quam debent, inſtar Angelorum, aſcendere ad Deum per charitatem, & deſcendere in ſe ipſas per humilitatem.

Sed ſi abſq; averſione eveniat regulæ violatio per infirmitatem humanam, tunc quàm primùm ſe humiliabunt *ſub potenti Dei manu*, petentes remiſſionem delicti & renovantes decretum obſervandi eam ipſam regulam: cum primis autem cavebunt ne fiant puſillanimes, incurrantvé animi inquietudinem, ſed novâ erga Deum con-

ceptâ confidentiâ, recurrant ad divinum ejus amorem.

Quod verò attinet ad violationes regularum, quæ non fiunt per meram inobedientiiam, neq; per contemptum, si contingant per negligentiam, imbecillitatem humanam, tentationem, vel oscitationem, poterunt, & verò etiam debebunt in confessione pandi Sacerdoti ; ut peccatum veniale, vel certè, ut res, cui inesse potest veniale. Quamvis enim nullum omninò peccatum sit ibi, ex obligatione regulæ, potest tamen esse ratione negligentiæ, pigritiæ, pręcipitationis, vel aliorum defectuum : rarò siquidem evenit, ut videntes bonum nostri profectûs proprium, & maximè cùm notanter invitemur, & moneamur ad illud faciendum, omittamus voluntariè sine aliqua offensa. Nam talis neglectus, & negligentia aliunde non procedit, quàm ex segnitie, & depravata affectione, vel fervoris defectu. Et quandoquidem nobis reddenda est ratio verborum otiosorum, quæ verè sunt otiosa, quantò magis, quòd otiosam, & inutilem reddidimus admonitionem, quam nobis facit regula ad sui exercitium & observationem ? Dixi, quòd rarò eveniat, ut Deum non offendamus quando negligimus facere bonum quodpiam, quod facit ad nostrum profectum ; quia fieri potest, ut non omittatur voluntariè, sed per oblivionem, inadvertentiam,

& repentinam aliquam oppreſſionem, quæ nullum inducunt peccatum, neque parvum, neque magnum: niſi res, quam obliviſcimur tanti ſit momenti, ut obligemur adhibere accuratam attentionem, ne incidamus in oblivionem, inadvertentiam, & improviſam mentis occupationem: ut exempli cauſâ, ſi aliqua è noſtris Religioſis frangat ſilentium, eò quòd non ſit attenta & ſolicita, ut illud ſervet, ideóq; non recordata ſit, vel quia alijs rebus ſe occupârat, vel certè improviſâ aliquâ occupatione, vel tumultu interveniente, locuta eſt antequam cogitârit eſſe tacendum: talis dubio procul non peccavit: obſervatio enim ſilentij non eſt tanti momenti, ut quis obligetur ad habendam talem attentionem, quæ nunquam ſit tradenda oblivioni: quin imò interveniente re optimâ tempore ſilentij, ob quam ſe occupet alijs ſanctis & pijs cogitationibus, ſi dum eſt intenta ijs, obliviſcatur ſilentij ſervandi, cum oblivio hæc profluat ex cauſa ita bona, omiſſio ſilentij mala eſſe non poterit.

At verò ſi illa obliviſceretur inſervire ægrotæ, quæ, defectu ſervitij, periclitaretur, & ita injunctum ei fuiſſet ſervitium hoc, ut omnis ſolicitudo aliarum ſororum in eam eſſet rejecta: non eſſet bona excuſatio, ſi diceret; non de ea cogitavi, non ſum recordata: non, inquam, eſſet bona excuſa-

cuſa-

cusatio : nam res ei commissa tanti erat ponderis, ut eam attentam, ne omitteret, habere debuisset : quare omissio huius attentionis non potest esse excusabilis propter rei circumstantiam, quæ omni jure requirebat attentionem.

Credendum est quòd quâ mensurâ divinus amor adaugebit gradûs gratiæ in animis Religiosarum huius CONGREGATIONIS, eâdem etiam eas ipsas Religiosas efficiet semper magis ac magis exactas, & solicitas in observatione suarum constitutionum; esto, illæ ex se ipsis nõ obligent, neque sub mortali, neque veniali peccato. Nam si obligarent sub pœna mortis, quàm putas strictè observandæ essent?

Porrò, AMOR *fortis est ut mors* : igitur illicia & suavitas amoris sunt etiam æquè potentia ad faciendam executionem concepti semel decreti, ut minæ mortis *Dura est*, inquit sacrum Canticum, *æmulatio ut infernus*. Animæ igitur quæ Zelo, seu æmulatione aguntur, tantùm efficient, & fors etiam plus, in virtute illius Zeli, quantùm efficerent OB TIMOREM INFERNI. Atque ita, si filiæ CONGREGATIONIS per suavem violentiam amoris, ita exactè observabunt suas regulas, Deo juvante, quàm si essent obligatæ sub pœna damnationis æternæ.

Paucis, habebunt perpetuam memoriam dicti Salomonis, Proverbiorum 19. versu 16. *Qui custo-*

dit

dit mandata, custodit animam suam, qui autem negligit viam suam, mortificabitur. Vestra autem via, est genus vitæ, in qua vos Deus posuit. Nihil dico hic de obligatione, quæ nobis incumbit ratione votorum servandorum, evidens enim est, quòd, qui transgreditur absolutè regulam, & in re gravi vota essentialia, PAUPERTATEM, CASTITATEM, & OBEDIENTIAM, peccet mortaliter, & idem est, si agat contra clausuram.

Sorores faciant professionem particularem ad nutrienda & custodienda corda sua in intima, forti, & generosa devotione & pietate. Dico intimâ, ut scilicet habeant voluntatem conformem bonis actionibus exterioribus, quas facient, sive eæ parvæ sint, sive magnæ; nihil autem fiat ex consuetudine, sed ex electione & applicatione voluntatis. Etsi quandoque actio exterior præveniat affectionem interiorem propter consuetudinem, minimùm: ut affectio illam sequatur quàm proximè fieri potest, danda est opera. Si antequam me inclinem ad exhibendam superiori meo reverentiam corporalem, non adhibui interiorem per humilem electionem ad me ei submittendum, saltem electio concomitetur vel sequatur quàm maximè fieri poterit inclinationem exteriorem.

Filiæ, seu Religiosæ Congregationis perpaucas habent EXTERIORES REGULAS, paucas ASPERITA-

RITATES, paucas item CEROEMONIAS, ſicut & officia: dent proinde operam, ut ijs libenter, & amanter ſua addicant corda, faciendo, ut, quod forinſecus eſt, proveniat ac naſcatur ex interiori homine, & nutriant alantq; quod interius eſt, exterioribus. ita enim ignis producit cinerem & cinis viciſſim alit ignem.

Oportet devotionem hanc eſſe fortem: I. ſufferendo tentationes, quæ nunquam deſunt ijs, qui ſeriò Deo ſervire volunt.

II. Fortē etiam ad tolerandas ingeniorum varietates, quæ inveniuntur in Congregatione, quæ ſatis magnos, & vehementes creant aſſultus, ratione debilium ingeniorũ, quæ paſſim obvia ſunt.

III. Fortem etiam, ut unaquæq; ſuas toleret imperfectiones, & ne turbetur, quòd ijs ſit ſubjecta. Nam quemadmodum animoſam habere oportet humilitatem, ne animo deſpondeatur; ſed confidentiâ in Deum aſſurgatur inter huiusmodi imbecillitates, ita etiam forti ac excelſo oportet eſſe animo ad recipiendam correctionem, & totis animi ac corporis viribus contendendum ad perfectam emendationem conſequendam.

IV. Quin & fortes eſſe debent eædem ſorores ad penitus expugnandas ſuas imperfectiones.

V. Fortes etiam ad contemnenda verba & judicia mundi, quæ nunquam non contradicunt pijs inſtitutis & maximè in eorum principijs.

VI. For-

VI. Fortes, & liberæ ſint oportet ab affectionibus, amicitijs, vel inclinationibus particularibus, cavendo omni ſtudio ne vivant juxta illas; ſed juxta lumen veræ pietatis.

VII. Fortes item, & independentes à neſcio quibus teneritudinibus, ſuavitatibus, & conſolationibus, quæ tum ex DEO, tum ex creaturis proveniunt, ne implicent, intricentvé ſe illis, adinſtar gallinæ hærentis in ſtuppa.

VIII. Fortes demum ad bellum continuum ſuſcipiendum contra malas inclinationes, pravos habitus, & inolitas conſuetudines.

Oportet tandem ut ſint generoſæ, ne occurrentibus velut agmine facto difficultatibus, terreantur, ac loco cedant; ſed è contrario, dilatato per illas animo, glorioſam de ijs reportent victoriam. Nam, (ut dicit ſanctus Bernardus) ille non eſt ſtrenuus, cui non creſcit animus inter adverſitates, & contradictiones. GENEROSÆ item, ut contendant ad ſupremum perfectionis apicem (gratis ac fruſtrà ſeſe opponentibus omnibus imperfectionibus, ac infirmitatibus) Chriſtianæ; præſentes item, ac prompto ſine animo, innitentes (conceptâ perfectâ in Deum confidentiâ) eius miſericordiæ; ad exemplum illius quæ dicebat ſuo dilecto: *trahe me: poſt te, currremus in odorem unguentorum tuorum*, Cantic. 1. Quaſi vellet dicere: ad me quod attinet, ſum immobi-

mobilis; verùm quando me trahes, curram. Divinus amator animarum nostrarum sæpe nos derelinquit, quasi absorptos in nostris miserijs; ut sciamus nostram liberationẽ à se solo provenire, &, ut, quando eum tenuerimus, charum habeamus, velut pretiosissimum bonitatis donum. Quapropter ut pietas generosa nunquam cessat ad Deum clamare: TRAHE ME: ita nunquam intermittit, quin aspiret, speret, & promittat se animosè cursuram, dicturamque: NOS POST TE CURRIMUS. Nunquam autem ulla se turbet, si statim ac evestigiò non curratur post Salvatorem, modò assiduè dicatur: TRAHE ME, & adsit fortis animus, qui dicat: nos currimus: nam etsi non curramus, sat est, quòd, Deo juvante, curremus.

Congregatio hæc non magis, quàm aliæ Religiones, constat perfectis Religiosis: sed ijs, quæ intendunt se perficere; neque etiam re ipsâ currentibus, sed quæ cupiunt currere: quæ proinde omnium primò, paulatim discunt ambulare, posteà properare, & semicurrendo ambulare, tandemq; currere.

Hæc generosa pietas nihil contemnit; facit autem, sublatâ omni turbatione, & inquietudine, ut videamus quemlibet ambulantem, currentem, & volantem diversimodè juxta diversitatem inspirationum, & varietatem mensurarum

gratiæ

gratiæ divinæ,quam quilibet recipit. Qua de re magnus Apoſtolus Sanctus Paulus admonet Romanos cap. 4. dicens : *alius credit ſe manducare omnia : qui autem infirmus eſt,olus manducet. Is,qui manducat,non manducantem non ſpernat : & qui non manducat manducantem non judicet : Deus enim illum aſſumpſit : quilibet abundet in ſuo ſenſu : qui manducat Domino manducat, & qui non manducat , Domino non manducat : & gratias agit DEO.*

Regulæ non multa præcipiunt jejunia ; poterunt tamen plura aliqua,obtenſâ à ſuperioribus licentiâ,ob peculiares ſuas neceſſitates, aſſumere. Quæ jejunabunt non contemnent non jejunantes, quæ autẽ comedent ſimiliter nõ judicabunt jejunantes. & idem dicendum de omnibus alijs rebus,quæ neque præceptæ ſunt,neq; prohibitæ. Quælibet abundet in ſuo ſenſu, id eſt, quælibet fruatur & utatur ſua libertate, non judicando,neque arguendo alias,quæ non faciunt uti illa facit,volens meliorem modum invenire ; fieri ſiquidem poteſt,ut aliqua comedat tali cum reſignatione propriæ voluntatis,quali altera jejunaret ; item ut una ſuos defectus & culpas non enunciet ob eandem renunciationem,ob quam altera ſuos enunciat.

Generoſa devotio & aſſiduus cultus rerum divinarum non vult habere omnibus in rebus, quas facit, conſortes & ſocios ; ſed ſolummodò in ſua intentione,quæ eſt gloria Dei,& proximi

in-

in amore divino profectus. Dumodò autem recta â ad eum scopum tendatur: non curat illa, quâ viâ & ratione id fiat; modò ea, quæ jejunat Deo jejunet, & quæ non jejunat, etiam Deo non jejunet: utriusq; actus æqualiter ei placet & arridet.


Non vult igitur alias trahere ad suum vivendi modum; sed simpliciter, humiliter, ac tranquillè suâ incedere viâ. Si autem eveniret, ut aliqua comederet non Deo; sed ex inclinatione naturali, vel declinaret moderatam corporis diverberationem, & hoc non Dei intuitu; sed per innatam sibi aversionem, ne tunc quidem, quæ faciunt exercitia & actus contrarios illius, eam judicare deberent: vel ullam, ei adversando, ferre censuram, sed suaviter suâ progredi viâ, sine ullo contemptu, vel judicio in damnum, & præjudicium infirmarum; recordantes, quòd si hæ his in occasionibus videantur plus æquo suis secundare inclinationibus & aversionibus; in alijs aliæ etiam faciunt idem; quin etiam eæ, quæ tales habent inclinationes, & aversiones, providè cavere debent, ne aliqua effutiant, signumvé dent displicentiæ, quasi aliæ meliùs faciant. Magnum enim absurdum hoc faciendo, committerent. Quid ergo? considerantes suam infirmitatem, intueri debent ea, quæ melius faciunt cum sancta, suavi, ac intima cordis reverentia. Sic enim tantum haurire poterunt ex sua imbecillitate pro-

fectûs ſpiritualis,per humilitatem, quæ inde naſcetur,quantum aliæ conſequuntur per ſua exercitia ſpiritualia. Quòd ſi punctum hoc probè intelligatur,& accuratè obſervetur,vix dici poteſt, quantùm animi tranquillitatem,& ſuavitatem in Congregatione promovebit. Sit Martha activa, verùm non arguat Magdalenam,quæ tota eſt in contemplatione; verùm & hæc caveat ne contemnat Martham, verè enim Dominus ſuſcipiet cauſam illiꝰ, quæ ab altera cenſetur,defendendã.

Si tamen aliquæ è ſororibus haberent averſionem à rebus pijs,bonis ac receptis,aut certè inclinationes ad eas,quæ minus promovent pietatem, ſi mihi fidem habuerint,adhibitâ violentiâ,contravenient & reſiſtent tum averſioni,tum inclinationi ſuæ, ut evadant verè dominæ & ſui ipſarum victrices, ſerviantq; Deo per excellentem ſui mortificationem, repugnentque taliter ſuæ repugnantiæ, contradicant ſuæ contradictioni,declinent à ſuis inclinationibꝰ,divertant à ſuis averſionibus,in omnibusq; efficiant, ut ratio ſuâ gaudeat auctoritate,triumphetq; in ſuo regno. Præcipuè autem in rebus,in quibus datur otium ad diſcernendum quid expediat.Et,ut concludam,conentur habere cor docile & tractabile,quod ſe facilè ſubmittat rebus licitis,& in omni facto oſtendat obedientiam & charitatem. Quo facto imitabuntur columbã,quę in ſuis plumis

mis ostendit omnes colores, quos recipit à sole. Beata sunt corda flexilia, quia nunquã frangẽtur!

Filiæ seu sorores VISITATIONIS semper humiliter loquentur de parva hac ac velut modò genita Congregatione: omnes alias ei præferendo (quantum attinet ad honorem & æstimationem) & nihilominus illam etiam præferent omni alteri, quantùm ad amorem; ex animo testantes, oblatâ occasione, quàm libenter & suaviter vivant in sua vocatione. Sic fœminæ nuptæ præferre debent cuivis alteri suos maritos, non quoad honorem, sed quoad affectum & amorẽ. Sic etiam quilibet præfert suam patriam alijs in amore, nõ autẽ in æstimatione; & quivis nauta pluris facit suas naves, in quib⁹ velificat, quàm alias, quamvis majoris sint pretij & rebus pluribus ac meliorib⁹ instructæ ac ornatæ. Fateamur liberè Congregationes alias esse meliores, ditiores, ac excellentiores, sed nõ item amabiliores aut desiderabiliores quoad nos. Voluit siquidem Deus, Creator noster illam patriam esse nostram, & etiam navem: voluit item cor nostrum maritatum esse huic instituto juxta dictum illius hominis, qui cùm interrogaretur, quæ esset gratissima commoratio in vita hac? & optimum alimentum pro infante? sinus, inquit, & lac propriæ matris: nam esto sint sinus pulchriores, & lac melius, tamen pro illo infante nec est gratior sinus, nec hoc amabilius.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO II.

In qua quæritur an adiri poßit DEVS cum magna fiducia, non obstante interno sensu & notitiâ nostræ miseriæ, & quomodò? & de perfecta nostri ipsorum derelictione & desertione.


PEtitis à me, charæ filiæ, an anima habens intimum sensum suarum miseriarum, possit ad DEUM magna cum fiducia accedere? Respondeo non solùm animam habentem cognitionem suarum miseriarum posse confidenti animo ad Deum accedere, sed dico, eam non posse habere veram confidentiam, nisi habeat cognitionem suarum miseriarum: cognitio enim & confessio nostrarum miseriarum accessum nobis facit ad Deum. Ita omnes excellentes Sancti: Iob, David, & alij incipiebant omnes suas orationes per confessionem suæ indignitatis ac miseriæ: proinde

inde optima res est se pauperem, vilem, abjectum, & indignum, qui coram Deo compareat, cognoscere. Verbum hoc tam celebre inter antiquos: Cognosce te ipsum; esto accipiatur de cognitione magnitudinis & excellentiæ animæ, quæ non debet dedecorari nec profanari rebus indignis sua nobilitate, etiam intelligitur de notitia nostræ indignitatis, imperfectionis, ac miseriarum: quia quantò nos miserabiliores cognoscemus, tantò etiam magis confidemus in bonitate & misericordia Dei; inter misericordiam enim & miseriam est certa quædam unio, & quidem tanta, ut una exerceri non valeat, nisi accedente alterâ. Si Deus hominem non creasset, fuisset nihilominus verè optimus Deus, sed actualiter non fuisset misericors; nam misericordia solùm adversus miseros se exercet. Vides igitur, quòd, quantò magis miseros nos agnoscimus, tantò major nobis est occasio confidendi in Deo; nihil siquidem habemus, in quo confidere possimus, & si quæris, unde proveniat diffidentia nostri? dico provenire ex notitia nostrarum imperfectionum. Bonum est diffidere in nobis ipsis: sed quid nobis id prodest, nisi proijciamus totam nostram confidentiam in Deum, & expectemus ejus misericordiam? Defectûs & infidelitates, quas in dies committimus, omni dedecore & confusione nos suffundere debe-

rent, dum Deum accedere cogitamus: & sic legimus quasdam animas sanctitate sublimes, ut sanctam Catharinam Senensem, sanctam Matrē Theresiam, quæ, cùm incidissent in aliquos defectus spirituales, maximè erubuisse. Consentaneū etiam est rationi, ut Deo à nobis offenso, nos retrahamus aliquantulum per humilitatem, & confusione consperfi hæreamus: nam si vel amicum solùm offendamus, erubescimus eum adire. Verumenimverò non hic hærendum est: nam hæ virtutes humilitas, abjectio, & confusio sui ipsius, sunt virtutes mediæ, per quas nobis ascendendū est ad unionem animæ nostræ cum Deo; parum enim esset se ipsum exspoliasse, & exinanivisse, (quod fit per actus inferentes facienti confusionem) nisi id fieret, ut nos totos quantos Deo traderemus: prout S. Paulus nos docet, scribens ad Colos: 3. c. v. 9. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

Hic parvus recessus & velut detrectatio non alia de causa fit, quàm ut fortius quis se vibret in Deum per actum amoris & confidentiæ: non enim quis se tristitiâ & inquietudine confundere debet; est, est noster proprius amor, qui hanc confusionem nobis creat, quia miramur & dolemus nos non esse perfectos, & hoc non tam amore Dei, quàm amore nostri ipsorum. Et licet non experiaris in te talem confidentiam, non ideò

debes

debes actus intermittere aut non dicere Deo: etsi Domine non in me experiar confidentiam in te, quam vellem ac deberem, Sciens tamen te esse Deum meum & me totum quantum esse tuum, non habentem spem aliam & in alio quàm in tua bonitate, proinde me totum in manus tuas trado: & quidem semper tibi licitum est, & potes tales actus exercere: licet autem id non fiat sine difficultate, non est tamen impossibile eos exercere. Et quidem in istis occasionibus, medijsq; difficultatibus datur tempus, quo nostram fidelitatem Deo testari debeamus. Demus enim nos facere tales actus sine gustu, & sine satisfactione spirituali (ut nobis quidem videtur) non ideò oportet se excruciare & animũ despondere: dum enim hoc agimus modo, pluris facit, amatq; magis Dominus tales nostros actus. Cave, ne dixeris te quidem verè sic loqui, sed solùm ore; nam si cor nollet, neq; verbum ullum os posset efferre. Quare ubi id feceris, te in pace constituito, nulla facta reflectione supra tuas turbas, sed alijs de rebus continuò Deum compellato.

En, conclusio primi hujus puncti: Quod apprimè expediat habere confusionem, quando cognitionem & sensum nostrarum miseriarum ac imperfectionũ probè tenemus, sed nec hic standum est, nec in pusillanimitatem & abjectionem animi descendendum, sed cor per confidentiam

ad Deum erigendum;cujus fundamentum in illo ſit oportet,in nobis autem minimè ; ſiquidem nos ſemper mutamur ; ille autem nunquam: manet proinde ſemper tam bonus & miſericors, quando nos ſumus debiles & imperfecti, ſicuti quando,noſtro ſenſu,exiſtimus fortes &perfecti.

Solitus ſum dicere thronum miſericordiæ Dei eſſe noſtram miſeriam. Quantò igitur miſeria noſtra major eſt, tantò etiam major eſſe debet noſtra confidentia.

Faciamus nunc gradum ad alteram quæſtionem,quæ eſt de derelictione,& expoliatione ſui ipſius : quæ expoliatio debet eſſe ſtudium & exercitium animæ derelictæ. Omnium primò ſciendum eſt,quòd derelinquere noſtram animam, & nos ipſos,aliud non ſit,quàm nos ipſos deſerere,& voluntatem noſtram abnegare, eam ut integrè Deo tradamus. Parum enim,vel nihil nobis prodeſſet (ut jam alibi dixi) nos ipſos abnegare,ac jus noſtrum renunciare (ſi quod tamen habemus) niſi id fieret ad nos perfectè uniendos divinæ bonitati. Ea itaque de cauſa ſolùm facienda eſt iſta derelictio,quæ alioquin eſſet inutilis,& ſimilis renunciationi antiquorum Philoſophorum : qui admirandas rerum externarum & ſui ipſorum abrenunciationes fecerunt, ſeq; addixerunt Philoſophiæ ſtudio propter vanam gloriam. Exemplo ſit Epictetus nominatiſſimus Phi-

Philosophus, qui cùm conditione esset mancipium, propter insignem suam sapientiam illius temporis homines libertate eum donare volebant; ille autem per renunciationem maximè inauditam, omnino renuit: sicq; voluntariè servus in tali paupertate mansit, ut post ejus mortem nihil inventum sit præter lampadem unam, quæ magno pretio fuit vendita, eò quòd fuisset possessa à tam insigni Philosopho. Verùm nolumus nos derelinquere & abnegare, nisi committendo Dei voluntati.

Plurimi hominum dicunt Deo: me omnino committo tibi, & absq; ulla reservatione trado, sed perpauci sunt, qui amplectantur praxim sui ipsorum neglectûs, qui aliud non est, quàm perfecta indifferentia ad recipienda omnis generis eventa, secundùm quod eveniunt ex ordinatione providentiæ divinæ. Et inter hæc æquè est afflictio, atque consolatio, infirmitas atque sanitas, paupertas uti divitiæ, contemptus æquè ac honor, & opprobrium, sicut & gloria. Quæ intelligenda sunt juxta partem superiorem animæ nostræ; nullum enim est dubium, quin inferior pars & inclinatio natutalis semper potiùs honorem, quàm contemptum; divitias, quàm paupertatem eligat. Esto non ignoret contemptum, abjectionem, & paupertatem esse Deo gratiora, honore, & abundantia omnium divitiarum. Ut

autem ad contemptum hunc pertingamus, obedire oportet SIGNIFICATÆ DEI voluntati & BENEPLACITO. Vnum fit per modum resignationis, & alterum indifferentiæ. Voluntas DEI significata comprehendit ejus mandata, consilia, inspirationes nostri INSTITUTI, regulas & ordinationes superiorum; voluntas autem ejus beneplaciti respicit eventa rerum, quæ nos providere non possumus. Exempli causa, nescio an cras sim moriturus, video esse DEI beneplacitum ut moriar, ideoq; me committo ejus beneplacito, & morior libenter. Eodem modo, nescio an fructus terræ anni sequentis venturi sint ad suas tempestates, an verò antequam, ad eas pertingant, cœli, ventorumq; procellis destruendi sint: si eveniat, ut citius pereant, vel dira pestilitas, vel alia sinistra eventa grassentur, clarum est esse Dei beneplacitum, ac ideò me illi confirmabo. Continget te in tuis exercitijs spiritualibus nullam percipere consolationem, ne ideò turberis, quia certum est id evenire ex DEI beneplacito: proinde adhęrere te oportet extremæ ac inconcussæ indifferentiæ, inter desolationem & consolationem. Eodem modo faciendum est in omnibus rebus, quæ nobis eveniunt: in vestibus. v. g. quæ nobis attribuentur, in cibis, qui apponentur &c. Notandum insuper est, res nonnullas esse, in quibus jungenda est DEI voluntas significata vo-

lun-

luntati ejus beneplaciti : exempli causa, si incido in magnam febrim ; hoc in eventu video Dei beneplacitum esse, ut in absoluta indifferentia sanitatis vel infirmitatis penitus me constituam, & in ea mordicus persistam : at voluntas Dei significata est, ut ego, qui nullius subjectꝰ sum imperio, vocem Medicũ, applicem omnia remedia, quæ possum reperire. Non dico tamẽ exquisitissima, sed comunia, & ordinaria ; Religiosi autem, qui subsunt superiorí, ex ejus directione sumant oportet, & ipsi remedia & tractationem, quæ eis exhibetur ; & id in simplicitate, & submissione cordis sui. Nam Deus id significavit nobis, dando herbis vim & virtutem medicinalem ; sed & scriptura sacra pluribus in locis nos edocet, quin & Ecclesia præscribit.

Porrò si re sic habente, infirmitas superet vim remediorum, vel remedia superent infirmitatem, in æquilibrio nos ponere debemus ; & taliter quidem, ut si morbus & sanitas adstarent coram præsentes oculis nostris, & Dominus ipse nobis diceret : si eligas sanitatem, omnino nihil à te tollam de gratia, quam tibi dedi ; si autem morbum elegeris, non te etiam vel minimâ adaugebo gratiâ. Veruntamen in electione morbi, aliquid plus est de meo beneplacito, quàm in sanitate : tunc anima, quæ integrè se abnegavit, & gubernandam se tradidit Dei manibus, haud

dubiè,

dubiè, vel ea ſolùm de cauſa, quòd aliquid in morbo plus ſit de Dei beneplacito, infirmitatem eliget: eſto, quod reliquum eſt vitæ, tranſigendum ei ſit in lecto ſuæ infirmitatis; nec id alia de cauſa, quàm ut toleret dolores & cruciatus, qui comitantur morbos. Adde, quòd nec vellet aliũ habere ſtatum, quàm illum. Ita ſancti, qui ſunt in Cœlo talem habent unionem cum voluntate Dei, ut ſi aliquantulum plus placeret Deo, ut eſſent in Inferno, derelinquerent beatitudinem, ut Infernum adirent, ibiq́; in ſempiternum manerent.

Porrò ſtatus iſte omnimodæ derelictionis ſui ipſius, comprehendit etiam perfectam noſtri ipſorum deſtitutionem quoad divinum beneplacitum, quod relucet in omnibus ſpiritualibus tentationibus, ariditatibus, ſiccitatibus, averſionibus, & repugnantijs, quæ contingunt in vita devota. In omnibus enim hujuſmodi rebus clarè advertitur Dei beneplacitum; eſto eæ res nullâ noſtrâ evenirent culpâ, nullumq́; prorſus in ijs committeretur peccatum.

Quid multis? hæc abrenunciatio, & noſtri ipſorum derelictio eſt virtus virtutum: cremor charitatis, odor humilitatis, meritum, ut videtur, patientiæ, & fructus perſeverantiæ. Verbo, magna & excellens eſt hæc virtus, & ſola digna, quæ exerceatur per charos Dei filios. *Pater mi,*

inquit

inquit dulcis Salvator noster super crucem: *in manus tuas commendo spiritum meum.* (Verum est, voluit dicere, quòd omnia sunt consmummata) *quæ mihi tradidisti*: si tamen tua sic constituta est voluntas, ut ulterius subsistam super hanc crucem, causâ patiendi plura pro genere humano, placet: *in manus tuas commendo spiritum meum*, de eo facere poteris quidquid tibi placuerit.

Nos idem præstare debemus, Charissimæ in Christo filiæ, in omni occasione, sive aliquid patiamur, sive quopiam gaudio perfruamur: sinamus sic nos gubernari à divina voluntate juxta ejus beneplacitum, non sinentes unquam nos præoccupari à particulari nostra voluntate. Dominus noster amore summè tenero amat eos, qui eam habent felicitatem, ut se omnino abnegent, & paternæ ejus curæ committant, sinendo se gubernari à divina ejus providentia: non permittendo se occupari inutilibus cogitationibus, an effectus istius providentiæ ijs sint futuri utiles, fructuosi &c. vel contrà, cessuriné sint in ipsorum damnum: sed sint securi, & intelligant, quòd nihil à paterno, & amabili ejus corde eveniet; nec permittet ille, ut quid ijs accidat, ex quo non hauriant insigne bonum, & eximiam utilitatem: dumodo tamen omnem suam in eo confidentiam fixerint, & ex intimo corde dicant: COMMENDO SPIRITUM MEUM, ANIMAM

MEAM,

MEAM, CORPUS MEUM, ET QUIDQUID inter benedictas tuas manus habeo, ut de eo facias prout tibi placitum erit: nunquam enim eò extremitatis redacti sumus, quin possimus semper ante thronum divinæ Majestatis adolere thura, & thymiamata, quin & odoramenta sanctæ submissionis, nec non continuæ promissionis de eo nunquam offendendo, nec sacratissimæ ejus voluntati scienter ac volenter contraveniendo, aspergere. Subinde vult Dominus noster ut animæ electæ pro servitio suæ Majestatis se sustentent, ac velut nutriant firmo & invariabili decreto, ad perseverandum in sua sequela per quævis earum mentiũ fastidia, ariditates, repugnantias, & asperitates vitæ spiritualis, remotâ interim omni consolatione, gustu spirituali, omnique genere teneritudinum & solatiorum; & ut credant se indignas omni alia re, sequentes divinum suum Salvatorem sola vivacitate mentis hominis superioris armatæ, prætermisso omni alio sustentaculo præterquam divinæ ejus bonitatis, cui sic stat animo. Et sic, Charæ Filiæ, cupio & desidero nos ambulare.

Vlterius petitis à me, qua re se occupare debeat in interiori domo anima hæc, quæ se totam quantam resignavit in manus Dei?

Respondeo, nihil facit aliud, quàm manet apud nostrum Salvatorem omni curâ vacua, nul-

lique

liq́ue rei incumbens, & neque de corpore, neque de anima ſolicita ; nam quandoquidem navem divinæ providentiæ conſcendit, cur cogitet quid ſe futurum ſit ; Dominus noſter, cui penitus, penituſq́ue, alijs derelictis, ſe commiſit, abundè pro illa cogitaturus eſt.

NB. Non ideò tamen intendo dicere, quòd non oporteat animam illam (intellige hominē) cogitare de rebus, quæ ei incumbunt juxta ſuum officium : non enim ſuperior quiſpiam ſub prætextu & umbra, quòd uni & ſoli Deo ſe totum tradiderit, ac nunc in ejus cura conquieſcat, debet negligere lectiones, & omittere documenta, quæ ei ſunt addiſcenda, & ſpectant propriè ad exercitia ſui muneris. Verum eſt, ponendam eſſe in illo magnam confidentiam, ut ſe quis omnino ſic derelinquat, abſque aliqua ſui reſervatione, divinæ providentiæ ; ſed etiam verum eſt, quòd ſi nos derelinquimus omnia, Dominus noſter etiam ſuſcipit omnia, & dirigit omnia. Si autem aliquid eſt, quod ei non confidamus, nos derelinquit, & hoc, aut ſimili modo nobis loquitur : *Putatis vos ſatis ſapientes eſſe ſine me, ad id, quod mihi non concreditis, faciendum per vos : videritis quem exitum ſitis repertura.* Qui enim ſe Deo dedicarunt in aliqua Religione, omnia, nullâ omnino re excepta, debent derelinquere.

Sancta Maria Magdalena, quæ tota quanta ſe

expo-

expoliârat, & commiserat voluntati nostri Salvatoris, jacebat ad ejus pedes; & illo loquente, hæc tacens audiebat; cùm autem cessabat loqui, cessabat & ipsa audire, non tamen ab eo recedebat; eodem modo anima hæc, quæ se dereliquit, nil quod agat habet aliud, quàm ut quieta maneat ad pedes Salvatoris, velut infans in sinu matris, quem, quando illa avellit à sinu, & ponit ad terram, ut gradiatur juxta vires usquedum eum resumat ad illum pro libitu gestandum: nescit is, neque cogitat, quò illa eat; sed sinit se portari vel duci, quò uni placet matri: eodem modo anima hæc incensa amore voluntatis beneplaciti Dei adimplendæ in omni re, quæ ei evenit, permittit se portari, & ambulat nihilominus magno studio, & curâ, faciendo quidquid est voluntatis Dei significatæ.

Rogatis nunc etiam, & exquiritis, an sit possibile ut voluntas nostra sic sit mortua in Deo, ut non amplius sciamus quid velimus, vel quod nolimus?

Respondeo primò, nunquam evenire, simus quantumcunq; velimus exuti nostrâ voluntate, ut libertatem arbitrij nostri non retineamus; Vnde semper nobis adest desiderium aliquod, sicut & voluntas: verùm non sunt voluntates absolutæ, neque desideria formata: quamprimùm enim anima, quæ se commisit Dei beneplacito, in-

in se advertit aliquam propriam voluntatem, evestigiò mori eam facit in Dei voluntate.

Velletis etiam scire, an anima adhuc multùm imperfecta possit cum utilitate manere ante, vel coram Deo cum simplici attentione ad sanctam ejus præsentiam in oratione?

Dico ad hoc, quòd si Deus vos ponat in eo statu, quidnî possetis manere? evenit enim frequenter, ut Deus det quietem & tranquillitatem animabus quibusdam, quæ necdum bene sunt expurgatæ: sed dum adhuc egent purgatione; debent tamen hujusmodi præter orationem edere signa aliqua, & facere considerationes necessarias ad se emendandas: nam esto, Deus eas teneat semper apprimè collectas, adhuc tamen eis remanet libertas ad discurrendum, & ratiocinandum per intellectum de compluribus rebus differentibus. Quidnî ergo possint considerare, & decreta cudere ad sui emendationem & praxim virtutum acquirendam?

Inveniuntur utriusq; sexus homines multùm perfecti, quibus Dominus nunquam elargitus est tales dulcedines & animi tranquillitates; qui tamen omnia faciunt beneficio partis superioris animæ suæ: quin & mori cogunt suam voluntatem in voluntate Dei efficaciâ fortitudinis & vi rationis. Et hæc mors, est mors crucis: quæ longè est excellentior, & generosior, quàm altera,

quæ potiùs vocanda eſt indormitio, quàm ipſa mors. Nam anima, quæ conſcendit navim divinæ providentiæ, ſinit ſe ferri, & ſuaviter velis ac remis agi, velut quiſpiam dormiens in navi, quâ tranquillo oceano, ſine labore, pertingit ad portum. Modus hic ita ſuaviter moriendi datur per modum gratiæ; alter autem per modum meriti.


Vultis adhuc ſcire quale fundamentum habere debeat noſtra confidentia? Oportet ut fundata ſit ſuper infinitam Dei bonitatem, & ſupra merita mortis & paſſionis Domini Ieſu: & quidem ex parte noſtra, hæc conditio eſſe debet, ut habeamus & cognoſcamus in nobis perfectum & integrum decretũ, quantùm humanitùs cognoſci poteſt, quòd totas quantas nos dereliquerimus, & hoc abſque ulla reſervatione divinæ providentiæ tradiderimus.

Deſidero tamẽ, ut diligenter notetis, me nõ ita dicere, quaſi oporteret nos ſentire iſtud decretum, ſeu omnimodam reſolutionẽ, ut ita omnino oporteat nos eſſe Dei; ſed ſolùm quòd oporteat illa habere & cognoſcere in nobis; quia non oportet ſic ſe decipere in eo, quod ſentimus, vel quod non ſentimus; ſiquidem magna pars noſtrorum ſenſuum, & ſatisfactionum deprehenditur fautrix & amica proprij amoris.

Non oportet etiam intelligere, quòd in omnibus iſtis rebus de expoliatione noſtri ipſorum, &

de

de indifferentia non habeamus unquam desideria contraria Dei voluntati, & quòd nostra natura non repugnet eventis ejus beneplaciti, nam id potest persæpe evenire. Sunt enim nonnullæ virtutes, quæ resident in superiore parte animæ; inferior autem ordinario modo nihil in ijs intelligit; æstimanda proinde non est, nec respiciendum quid illa velit: sed arripienda est divina voluntas, & nos ei unire, inferiore etiam omnino invitâ. Pauci inveniuntur homines, qui ad hunc perfectum sui ipsorum derelictionis gradum perveniant. Sed omnes nihilominus debemus ad illum tendere: quilibet autem juxta sua talenta & capacitatem.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO III.

Supra Fugam Christi in Ægyptum: in qua tractatur de firmitate & constantia, quam habere debemus inter varietates accidentium mundi hujus.


Uo die celebratur octava festi sanctorum Innocentium, proponit Ecclesia legendum Evangelium, quod docet quemadmodum Angelus Domini apparuit in somnis Iosepho dicens: *surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum: futurum est enim, ut Herodes* (timens ne suum amitteret regnum) *quarat puerum ad perdendum eum:* tunc inquit textus, *Herodes iratus est valde,* (quòd Magi non redijssent in Hierusalem) *& mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus à bimatu & infra,* (id est infra ætatem duorum annorum) sibi persuadens, quòd inter illos occideretur Christus, & hoc modo securum se redderet de regni possessione.

Evangelium hoc plenum est propè infinitis pulcherrimisq; conceptionibus, & eximiæ doctrinæ documentis: nos contenti erimus aliquibus, quæ nobis subministrabunt non solùm PIAM ET GRATAM COLLOCUTIONEM, sed & maximè FRUCTUOSAM.

Exordior à prima NOTA, quam adfert magnus sanctus Ioannes Chrysostomus: quæ est de inconstantia, varietate, & instabilitate accidentium hujus vitæ mortalis.

O quàm utilis est hæc consideratio! defectus enim istius considerationis nos inducit in pusillanimitatem & ingenij mutabilitatem, inquietudinem

dinem

dinem & varietatem inutilium conceptuũ, & desideriorum inanium, nec non in inconſtantiam, & inſtabilitatem in noſtris decretis. Quia ſcilicet in itinere vitæ hujus nullam vellemus habere remotam, nullam difficultatem, nullam contradictionem, nullum deniq; laborem & cruciamentum; ſed ſemper conſolationes ſine ulla ſiccitate & ariditate mentis; quin & bona abſq; admixtione ullius mali, ſanitatem abſq; infirmitate, quietem abſque labore, pacem ſine turbatione. Eheu! quis in his non videt noſtram amentiam?

Volumus ſiquidem id, quod eſſe non poteſt; puritas ſiquidem ſolùm invenitur in Paradiſo, & in Inferno; in Paradiſo quidem omnia bona; requies & conſolatio ibi ſunt in ſua puritate abſq; aſperſione ullius mali, tribulationis vel afflictionis; contrà autem, in Inferno omne malum, deſperatio, turbatio & inquietudo; & id in ſua puritate abſq; ulla admixtione ullius boni, ſpei, & tranquillitatis pacis &c. At in via hac periculoſa nunquam eſt bonum ſine ſequela mali: divitiæ ſine inquietudine, quies ſine labore, conſolatio ſine afflictione, ſanitas ſine morbo. Breviter omne quod in ea eſt, eſt permixtum, dum in ea bonum non reperitur ſine malo.

Eſt continua varietas accidentium diverſorum. Ita Deus diverſas voluit eſſe tempeſtates. Hinc ætatem ſequitur Autumnus, & hyemem

Ver: quo nobis ob oculos ponit nihil esse permanens in hac vita. Quis non videt res temporales perpetuò esse mutabiles, inconstantes, & subjectas multis ac varijs mutationibus?

Defectus cognitionis hujus veritatis, uti jam dixi, est id, quod nos reddit mutabiles & varios in nostro genio & ingenio, QUIA NON UTIMUR RATIONE, QUAM DEUS NOBIS ELARGITUS EST. Quæ RATIO, nos efficit immutabiles, firmos, & solidos in nostris cœptis, & consequenter similes Deo, siquidem ipse dixit: *faciamus hominem ad nostram similitudinem*, & simul dedit RATIONEM, & USUM illius, ad ratiocinandum, considerandum, & discernendum bonum à malo, & res, quæ merentur electionem, vel rejectionem.

Ratio est id, quod nos reddit superiores & dominos omnium animalium; postquam enim Deus creavit primos nostros parentes, contulit illis plenum dominatum super pisces maris, & bestias terræ, & ex consequenti, dedit illis notitiam cujuscunq; speciei, adjecit & media ad eas edomandas, & suis usibus subijciendas. Deus enim non tantùm contulit homini gratiam, ut se faceret domium animalium, mediante dono, quod illi tribuit, dando rationem, per quam illum effecit similem sibi; sed ultra hoc, dedit illi potestatem super omnia accidentium & eventorum genera.

Hinc

Hinc dictum est, *quòd vir sapiens dominabitur astris*: id est, qui se regit per rationem absolutè astris dominabitur: quod est dicere: non nisi, usu rationis adhibito, erit firmus & constans in diversitate accidentium, & eventorum hujus vitæ mortalis: & hoc sive tempus pulchrum sit, sive pluvium, sive aër sit tranquillus, sive agitatus ventis, homo sapiens ista non curat; perbellè enim novit nihil esse stabile & permanens in hac vita. In afflictione non desperat, sed expectat consolationem; in infirmitate non se excruciat, sed sanitatem præstolatur. Vel si videt se ita male habere, ut mors secutura videatur, Deum laudat: sperans requiem vitæ immortalis, quæ post hanc temporariam sequitur; si prematur aliqua paupertate, non ideò se tradit tristitiæ; probè enim scit divitias in his inferioribus terræ regionibus non esse sine paupertate. si contemnitur, novit honorem non esse permanentē; sed quod ordinariè eum sequatur ignominia, & cōtempt⁹. Breviter in omni eventorum genere, sive in prosperitate, sive in adversitate, est firmus, stabilis & constans in suis decretis, tendens assiduè ad fruitionem bonorum æternorum. Verùm non solùm consideranda est hæc varietas, mutatio & instabilitas in rebus transitorijs & materialibus hujus vitæ caducæ; non solùm, inquam, in ijs; sed insuper considerare oportet in successioni-

bus vitæ nostræ spiritualis ; ubi firmitas & constantia tantò magis necessaria est, quantò vita spiritualis exaltata est supra mortalem & corporalem.

Abusus est permagnus, nolle pati, vel nolle sentire mutationes & varietates in naturalibus ingenij nostri affectibus, dum nos ipsos non gubernamus per rationem, nec per eandem nos ab alijs patimur gubernari. Dicitur communiter: en puerulus iste, est quidem juvenis, verùm jam habet usum rationis. Ita complures habent usum rationis, qui adinstar puerorum, nec se, nec sua dirigunt imperio rationis. Deus dedit quidem homini rationem, quâ regatur, sed pauci sunt, qui sinant illam esse Reginam & Imperatricem ; sed contrà sinunt se regi suis passionibus, quæ subjectæ & obedientes rationi esse deberent, juxta ordinem, quem Deus à nobis requirit.

Declaro me familiarius : major hominum pars, qui hunc mundum inhabitant, sinunt se gubernari suis affectibus, & non ratione : atque ita ordinariè sunt phantastici, varij, & mutantur in suis moribus, & sibi ingenitis instinctibus ut luna. Si ijs in mentem venit, ut citò cubitum se recipiant vel tardè, faciunt sic ; si contrarium v. g. ut foras ad campum se conferant, primo mane è lecto se proripiunt, verùm si aliâ moveantur passio-

passione, scilicet ut dormiant in profundum diem, hoc similiter agunt: nec solum phantastici & inconstantes in hoc & similibus, verùm etiam in conversatione.

Volunt enim, ut omnes suo se genio accommodent, nullius autem se volunt accommodare. Sinunt se quocunque ferri suis propensionibus & particularibus passionibus, affectionibusque. Ista quidem vitia à mundanis hominibus non magni æstimantur; dum ita parum, vel nihil id turbat mentem proximi, ut non habeantur phantastici & inconstantes. Et quam ob causam? Non aliam, quàm quòd malum istud ordinariè habeatur non malum inter mundanos.

Verùm in Religione nemo se potest in tantum sinere passionibus suis abripi: regulæ enim pro exterioribus exercitijs sunt, quibus regimur & vocamur ad orandum, ad comedendum, & dormiendum, & sic ad alia exercitia, semper eâdem horâ, quando vel obedientiâ, vel campanâ monemur. Adde, quòd semper non nisi unam eandemque conversationem habeamus: neque enim fas est, ut aliæ ab alijs separentur.

In quo igitur phantasticè & inconstanter exercere nos possemus? In diversitate morum, complexionum, ingeniorum, voluntatum ac desideriorum. Nunc sum lætus, quia omnia mihi succedunt juxta meam voluntatem, paulò post

ero triſtis,quia ſcilicet eveniet mihi parva aliqua contradictio, quam non expectabam. Sed,neſcitis vos non hîc eſſe locum, ubi gaudia inveniantur pura,& ſine admixtione diſplicentiæ, eò quòd vita hæc permixta ſit ſimilibus accidentibus? Hodie dum in oratione affluunt conſolationes,vos eſtis alacres,& promptæ ad bene ſerviendum Deo; at verò cras poſitæ in ſiccitate mentis,non habebitis neque cor,neque animum ad ejus ſervitium bene & laudabiliter exhibendum.

Mi Deus, ſum tota quanta languida & animo dejecta, dicitis vos. At amabò, dicitote mihi: ſi vos regimini ratione,non videtis, quòd ſi heri erat conveniens & æquum Deo bene ſervire, quidnî etiam hodie optimum ſit eidem debita exhibere obſequia? quin & craſtino die eodem, vel etiam meliori modo? Eſt enim ſemper idem Deus tam dignus amore, quando vos languetis in ſiccitate, ſicut quando conſolationibus affluitis.

Nunc rem vnam volumus, & craſtino die volemus alteram; & quod video à tali, vel tali fieri hac hora, mihi placet, paulò poſt idem ita diſplicebit ut me impellat ad concipiendam non modicam averſionem.

Nunc amo quempiam intimè & apprimè mihi placet ejus converſatio; cras habebo quod

agam,

agam, ut illum rectis oculis aſpiciam: quid ſibi vult hoc? nonné tam eſt hodie capax amoris, quàm heri? certe ſi quod nobis dictat ratio reſpiciamus, videbimus hominem illum ideò amandum eſſe, quia eſt creatura, quæ refert, & repræſentat imaginem divínæ Majeſtatis, utique ſic agendo, tantam ſuavitatem in ejus converſatione experiemur hodie, quantam heri & aliàs. Sciendum autem id aliunde non provenire, quàm quia gubernamur à noſtris inclinationibus, paſſionibus, vel affectìonibus, pervertentibus ordinem, quem Deus nobis præſcripſit, qui eſt, omnia obſequi debere rationi.

Sí enim ratio non dominetur ſuper omnes noſtras potentias, facultates, paſſiones, inclinationes, affectiones; & denique ſuper id omne, quod nos ſpectat, quid expectandum eſt aliud, quàm continua víciſſitudo, inconſtantia, varietas, mutatio, & levitas, quæ nunc facient nos eſſe ferventes, paulò poſt remiſſos, negligentes, pigros; nunc lætos & ſtatim melancholicos? horâ unâ erimus tranquilli, & dein duobus diebus inquieti.

Paucis, vita noſtra tranſigetur inertiâ, & ignaviâ, nec non abuſione & jacturâ temporis. Videtis certè per hanc primam notam ſancti Chryſoſtomi nos incitari & provocari ad conſiderandam inconſtantiam & varietatem ſucceſ-

ſuum

ſuum & eventorum mundi; & hoc tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus rebus, ne per occurſus eventorum, quæ efferare poſſunt noſtras mentes & ingenia, ut res ſcilicet novæ, & non præviſæ, deijciamur animo, nevè folij inſtar ad inæqualitatem geniorum, ingeniorumque, (mediante inæqualitate rerum, quæ nobis accidunt) abripi nos ſinamus, ſed ſubjecti regiminis rationis (quam Deus in nobis poſuit,) & divinæ ejus providentiæ (cui nos comiſit) firmi, conſtantes, & invariabiles in decreto, quod fecimus ad ei ſerviendum conſtanter, animoſè, intrepidè, & ardenter, ſine mutatione ullius facti decreti, in illius ſervitio maneamus.

Si ad eos loquerer, qui me minus bene intelligerent, conarer utique ijs inculcare, optimo quo poſſem modo, id quod jamjam dixi: verùm vos ſcitis me ſemper operam dediſſe, ut quàm poſſem efficaciſſimè memoriæ veſtræ imprimerem ſpiritûs æqualitatem, cùm ea ſit virtus maximè neceſſaria, cùm ubique, tum maximè in RELIGIONE.

Omnes antiqui Religionum Patres ſingulariter collinearunt ut hæc æqualitas & ſtabilitas naturalis complexionis & ſpiritûs vigerent in ſuis Monaſterijs. Eam ob cauſam ſtatuta condiderunt, conſtitutiones & regulas præſcripſerunt ac ſtabiliverunt, quibus Religioſi, tanquam

ponte

ponte aliquo, ad transmittendam continuam æqualitatem exercitiorum notatorum uterentur, & ijs sese sicut & dictæ amabili & desiderabili æqualitati spiritûs, per mediam inconstantiam, & inæqualitatem accidentium, quæ ijs tam in itinere mortalis vitæ nostræ, quàm spiritualis occurrunt, subijcerent.

Magnus sanctus Chrysostomus dicit: ò homo, qui indignaris quòd res omnes non tibi juxta tua vota succedant, nonné te pudet, quòd id desideres, quod ne in ipsamet quidem Salvatoris familia reperitur? Considera, amabò, vicissitudinem, mutationem, & diversitatem rerum, quæ in ea occurrunt.

Beatæ Virgini nunciabatur futurum, ut conciperet filium virtute spiritûs sancti, qui & futurus esset Dominus & Salvator noster: ò qualis lætitia! qualis jubilatio erat illi in sacra illa conceptionis Verbi æterni hora!

Paulò pòst inventa est à Iosepho gravida, qui sciens non ex se: Deus bone, in quantam ille non decidit tristitiam! & Domina nostra quantum dolorem & afflictionem non sensit in anima sua, videns charum suum sponsum cogitare de se dimittenda: modestia enim non siverat, ut ipsa Iosepho aperiret HONOREM & GRATIAM, quâ Deus se dignatus fuerat: paulò pòst, turbatione ista sublatâ, postquam scilicet Angelus Iosepho myste-

myſterij ſecretum detexit, quid gaudij, quid conſolationis ambo non receperunt? & poſtquam Beata Virgo peperit filium ſuum, & Angeli ejus Nativitatem hominibus promulgârunt, paſtores, & Reges adoratum eum venerunt; ſino te cogitare, quid jubilationis & conſolationis ſpiritûs non hauſerint?

Pòſt parùm, adeſt Angelus Domini, qui Ioſepho apparet in ſomnis, & monet dicens: *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi: futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* O quanto dolore nuncium hoc perculit Dei Matrem, ſicut & Beatum Ioſephum! ò quàm circumſpecto putas modo cum Ioſepho, nempe ut cum conſummato Religioſo agit Angelus? *accipe puerum,* dicit ille, *& matrem eius. & fuge in Aegyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi.* Ecquid hoc eſt? Pauper Ioſephus nonné poterat dicere: dicis mihi, ut fugiam in Ægyptum, nónne tantum temporis interijci poteſt, ut cras mane diſcedamus, quò vis ut noctu eamus? res pro itinere non comparavi, non diſpoſui, quomodo vis ut feram puerum? ſatné fortia habebo brachia, ut eum continuè feram tam longo itinere? tuáne fortè eſt mens, ut mater ſuo geſtet ordine? Eheu! nónne vides eam eſſe admodum adhuc juvenem & teneram? Non habeo, neque equum, neque argentum ad iter faciendum. Ad hæc ſcis Ægyptios eſſe inimi-

cos

cos Israëlitarum: Quis nos recipiet? Hæc & his similia allegassemus nos præsenti Angelo, si fuissemus loco Iosephi, qui ne verbum quidem effatus est, quo notari potuisset detrectasse obedientiæ præceptum ab Angelo sibi impositum: quin imò eâdem horâ discessit & fecit quidquid Angelus ei mandârat.

Multa hic notanda occurrunt circa Angeli mandatum: & in primis docemur nullam adferendam esse dilationem & procrastinationem circa res, quæ spectant obedientiam. Est enim hominis pigri factum tardare rem, & dicere sicut sibi ipsi dicebat Augustinus: *iam iam, adhuc parum, & deinde convertar.*

Spiritus Sanctus nullam vult dilationem, neq; moram, sed desiderat magnam promptitudinem, quæ nullâ interjectâ morâ, sequatur inspirationes. Perditio nostra venit ex nostra ignavia, quæ inducit nos ad dicendum: statim statim incipiam; quare non hac horâ, quâ inspirat & nos propellit? Verbo: sumus nimis molles, & nobis ipsis indulgentes: quo fit, ut id omne timeamus, quod nostram quietem videtur imminuere, quæ aliud non est, quàm nostra ipsorum tarditas & inertia; à quibus nolumus retrahi per ullam rem, quamtumvis urgentem, quæ nostram turbare videatur pacem & quietem; quin & dicimus nos adinstar pigri, qui querebatur

tur se cogi ad exeundū de domo sua, & dicebat: *Leo est foris, in medio platearū, occidendus sum.* Proverb. 22. v. 12. *Et ursi sunt in semitis, qui dubio procul me deuorabunt,* O quàm sumus iniqui, dum permittimus, ut DEUS sæpius mittat, qui portas cordis nostri pulset antequam vel semel ei aperiamus, & in eo ad habitandum locum præbeamus: timendum certè est, ne eum aliquando irritemus & cogamus, ut nos penitus deserat.

Deinde considerandа est magna pax & tranquillitas mentis sanctissimæ Virginis, & sancti Iosephi, dum inter magnas inæqualitates diversorum accidentium, quæ eis euenerunt, tam sunt constantes, uti diximus.

Considerandum item, an juxta rationem agamus, dum videntes similes occursus in domo DEI, quæ est Religio, miramur & turbamur: siquidem id etiam fiebat in ipsamet Domini nostri familia; in qua firmitas & soliditas ipsa residebat, scilicet Dominus ipse. Hoc dicendum est non semel, sed sæpius, ut eò firmius mentibus nostris imprimamus, nunquam sinendum esse, ut inæqualitas accidentium inducat animas & mentes nostras in inæqualitatem habitûs vitiosæ naturæ. Hæc enim inæqualitas complexionis naturalis non ex alia scaturigine profluit, quàm ex nostris passionibus, inclinationibus, & affectionibus immortificatis; quæ affectiones non debent habere po-

re potestatem ullam super nos, dum nos incitant ad faciendum, relinquendum, vel desiderandum rem aliquam quantumuis etiam minimam, quæ contraria sit rei, quam ratio dictat faciendam, vel relinquendam ad Deo placendum.

Propero ad secundam considerationem, quam facio super VERBUM ANGELI DOMINI, qui dicit Iosepho: *accipe matrem,* & quæ sequuntur, sed huic VERBO ANGELI DOMINI INHæREO; unicè desiderans, ut notemus quanti facere debeamus curam, succursum, subsidium, & paternam directionem eorum, quos Deus nobis præficit ad juvandum nos, ut securè ambulemus in via perfectionis.

Primo scire oportet, quando dicitur ANGELUS DOMINI, non esse sic intelligendum, quòd sit idem dicere quod hoc: Angelus talis viri, aut talis mulieris: hoc enim postremum dictum enunciat Angelum nostrum custodem, qui curam nostri habet immediatè acceptam à Deo: Dominus autem noster, qui est Rex & Dux ipsorummet Angelorum, non eget, neque eguit tempore vitæ suæ mortalis cura ullius Angeli custodis.

Quando ergo dicitur ANGELVS DOMINI, id sic debet intelligi, quòd sit is destinatus ad regimen domûs & familiæ Christi Salvatoris, & magis specificè, quàm ullus alius, ex omnibus Angelorum choris, dedicatus servitio Christi Sal-

 vatoris,

vatoris,& sanctæ Virginis. Quod ut intelligatur, familiariter explicandum est: nuper officia mutata sunt in hoc domicilio, & inter cætera ea-tata sunt in hoc domicilio, & inter cætera earum, quæ apud nos vocantur auxiliares seu Auxiliatrices. Quid sibi volunt istæ Auxiliatrices, quæ vobis dantur? & quem in finem dantur?

Sanctus Gregorius dicit nobis faciendum esse in hoc miserabili mundo, quod faciunt ij, qui ambulant supra glaciem, ut firmiter ac solidè nos subsistamus in negotio, quod tractamus, nempe perfectionis in via acquirendæ, & salutis in patria perpetuò possidendæ. Dicit, inquam, præfatus sanctus, quòd se invicem per manus teneant, vel per brachia; ut si quis inter eos (ob nimiam glaciei lubricitatẽ) prolabatur, retineri posit ab altero, & deinde quòd alter possit retineri ab illo, quando esset motus & impulsus ad cadendum suo ordine. Sumus in hac vita velut supra glaciem, qui multam & frequentem habemus occasionem offendendi & cadendi, nunc in hanc anxietatem, post paulò in illam murmurationem, quin & in inconstantiam & varias phantasticorum ingeniorum nostrorum mutationes, quæ causa nobis sunt, nihil ut fieri posit, cui perfectè acquiescamus: deinde ingredimur fastidia, & velut aversiones à nostra vocatione. Melancholia nobis suggerit futurum, ut nunquam faciamus rem alicujus momenti, & nescio quæ

non

non aliæ hujuſmodi res & accidentia, quæ ſibi occurrunt & diſcurrunt in noſtro parvo mundo ſpirituali. Homo enim eſt velut parvum mundi compendium, vel, ut meliùs dicam, parvus mundus, in quo ſibi obviant ea omnia, quæ videntur in magno & univerſali mundo.

Paſsiones repræſentant beſtias & animalia, quæ ſunt ſine ratione; ſenſus autem noſtri propenſiones, affectiones, potentias & facultates animæ noſtræ: omnia iſta habent ſuam peculiarem ſignificationem. Verùm his nolo inhærere, ſed proſequi inceptos diſcurſus.

Auxilia igitur, quæ nobis dantur, ſunt ad nos juvandos, & firmiter in via retinendos, ut impediant, ne cadamus, vel certè ſi ceciderimus, juvent ut confeſtim reſurgamus. O quali cum libertate, cordis ſimplicitate, mentis ſinceritate, & amoroſa confidentia tractare debemus cum auxiliantibus, & adjutoribus, qui dati nobis ſunt à Deo ad profectum noſtrum ſpiritualem promovendum! non aliter profectò, quàm cum bonis noſtris Angelis; eodem proinde loco eos habere, eodemq; honore colere debemus, atq; illos colimus. Nam boni noſtri Angeli, vocantur cuſtodes Angeli, quia ijs incumbit ex officio ſibi à Deo injuncto præſentes nobis adeſſe, & juvare ſuis inſpirationibus, nec non defendere in noſtris periculis, reprehendere etiam ob noſtra

errata, quin & excitare ad profecutionem virtutum: eorum etiam muneri annexum eſt, ut ferant noſtras orationes ad thronum Majeſtatis, bonitatis, & miſericordiæ Dei noſtri; & inde quid noſtris petitionibus obtinuerimus, referant. Sciendum enim eſt, gratias, quas confert nobis Deus, eorum interventione & interceſſione conferre.

Auxiliares noſtri ſunt boni noſtri Angeli viſibiles, ſicut Angeli ſancti cuſtodes noſtri ſunt inviſibiles. Auxiliares noſtri faciunt viſibiliter, quod Angeli inviſibiliter. Monent enim nos de noſtris erratis animant nos in infirmitatibus: ijdem nos excitant ad profecutionem cœptorum, quæ faciunt ad acquirendam perfectionem, ijdem ſuis bonis conſilijs impediunt, quò minùs in peccata prolabamur, & ſi prolabi nos contingat, nos erigunt, quando in præcipitium alicujus imperfectionis vel erroris incidimus.

Si tædij & faſtidij morbo laboramus, juvant nos ut patienter & fortiter feramus dolores inde provenientes; Deumq; orant ad gratiam & robur nobis elargiendum ne tentationi ſuccumbamus.

Advertitis, credo, quanti facere debeamus eorũ auxilium ob curam, quam de nobis gerunt.

Conſidero poſt hæc, quare Chriſtus Dominus noſter qui eſt ſapientia æterna, non ſuſcipiat curam

ram familiæ ſuæ, & vel Ioſepho vel dulciſſimæ Matri ſuæ, omnia quæ eis erant eventura non indicet? Quidnî poterat in aurem Ioſephi Patris ſui putatitij dicere? eamus in Ægyptum, ibi tanto tempore commorabimur &c. Dico hæc, quia certum eſt eum à primo inſtanti conceptionis ſuæ in puriſſimis Beatiſſimæ Virginis viſceribus, habuiſſe uſum rationis, ſed nolebat facere miraculum, loquendo antequam ordinarium & conſuetum alijs pueris tempus adveniſſet. Vel ſi loqui nolebat, nonné poterat inſpirare cordi Beatiſſimæ Matris, aut dilecti Patris ſui putatitij Ioſephi ſponſi ſacratiſſimæ Virginis? Ecquare ergo iſta non præſtitit potius, quàm ſivit, ut Angelus id officij præſtaret, non obſtante, quòd longè eſſet inferior Dominâ noſtrâ? Nec hoc ſine myſterio ſic factum eſt.

Dominus noſter nihil voluit attentare vel immutare circa munus demandatum Angelo Gabrieli, eò quod illi commiſſum erat à Patre æterno, ut MYSTERIUM INCARNATIONIS glorioſæ Virgini nunciaret. Vnde fuit velut Oeconomus generalis domûs & familiæ Domini noſtri, ut curam ſucceſſuum & accidentium diverſorum, quæ eventura erant, ſuſciperet, & impediret, quò minùs aliquid accideret, quo vitam mortalis parvuli noſtri, modò geniti infantis abbreviaret. Qua ex cauſa, monuit Ioſephum, ut promptè de-

ferret in Aegyptum ad evitandam tyrannidem Herodis, cui propoſitum erat eum è medio tollere. Dominus autem noſter noluit ſe per ſe ipſum gubernare, ſed ſinere ſe ferri quocunque, & per quemcunque libitum eſſet.

Videri poſſet Chriſtus Benedictus non ſe ſat ſapientem (ſi ita loqui licet) judicaſſe, qui ſe, ſuamq; familiam gubernaret: ideò permiſiſſe id muneris Angelo, ut ad placitum id ageret: eſto non habuerit neq; ſcientiam neque ſapientiam, quâ comparari potuerit divinæ ejus Majeſtati.

Et nos homunciones audebimus dicere, ſat nos eſſe aptos ad nos ipſos regendos, & tanquam non indigentes ampliùs directione vel ſubſidio eorum, quos nobis gubernandis præfecit Deus, nos in officio regendi magis idoneos judicabimus? dicito mihi, Angelus eratné plus aliquid, quàm noſter Salvator, vel Beata Virgo? melioríné ingenio & judicio gaudebat? Minimè: ſed aliqua fortè gratia ſpeciali vel particulari præ illis donatus erat? nullo modo: dominus ſiquidem noſter, eſt Deus & homo ſimul, & domina noſtra, exiſtens ejus Mater, conſequenter majorem longè gratiam & perfectionem habebat, quàm omnes ſimul Angeli, & tamen Angelus mandabat, & illi obediebant.

Sed inſuper, ſi advertas ordinem, qui in iſta familia examuſſim ſervabatur, nullum eſt dubium,

bium, quin is idem vel ſimilis fuerit, qui eſt inter accipitres, ubi fœmellæ dominantur maſculis. Quis poſſet dubitare, quin Beata Virgo pluris fuerit, quam ſanctus Ioſeph, & quin majora prudentiæ dona ad gubernandum propria, quàm ſuus ſponſus habuerit? attamen Angelus non agit cum Beata Virgine de ullis eorum, quæ facienda & præparanda erant, ſive ad iter ſuſcipiendum in Aegyptum, ſive inde redeundum, ſive aliud quid adornandum. Nonné videri poſſet Angelus magnam committere imprudentiam, dum de omnibus, quæ facienda ſunt cum Ioſepho potiùs agit, quàm cum matre pueri, quæ erat caput domûs? quin & gerebat, non ſolùm claves, ad patris æterni theſaurum, ſed ipſum theſaurum? Erraſſetné à recta ratione, ſi offenſa fuiſſet ob modum & rationem ſecum tractandi?

Dubio procul dicere poterat ſponſo ſuo: cur vadam in Aegyptum, ſiquidem nec filius meus mihi eundum indicavit, nec Angelus etiam ea de re vel verbum mihi locutus eſt? Sed, ò humilitas hujus Matris ac dominæ! omnia tacet illa, non ægrè fert, quòd Angelus, ſe præteritâ, rem conficiat cum Ioſepho; obedit autem religioſa cum humilitate, eò quod conſcia ſit Deum ita ſtatuiſſe. Non quærit quare, ſed abundè ei ſufficit Deum ſic velle, gaudet poſſe ſe ſubmittere ad

Deo placendum, cætera non æſtimat, proinde ea tacet.

Advertitisné Deum ſibi complacere, dum ſic agens cum hominibus, eos docet ſanctiſſimam & amabiliſſimam ſubmiſſionem?

Sanctus Petrus erat ſenex, rudis, & adhuc tunc minùs excultus; ſanctus Ioannes contrà, juvenis, ſuavis, gratioſus; & tamen Deus vult ut ſanctus Petrus alios regat, & ſit univerſalis ac generalis reliquorum ſuperior, & quidem etiam ut ſanctus Ioannes unus eſſet ex ijs, qui imperio obedientiæ regebantur à ſancto Petro. O magnus error ingenij humani, renuentis ſe reddere, capax ad adoranda ſecreta Dei myſteria, ſanctiſſimamq; ejus voluntatem, nî habeat aliquam notitiæ ſcintillam, quare hoc, vel illud ita fiat? Meliore (inquit aliquis de ſe ipſo) polleo ingenio, habeo plus experientiæ, & ſimilia, pulchrioraq; (ut ſibi videtur) dona. Quæ tamen bene conſiderata, nulli rei ita propria ſunt, quàm turbis, diſſenſionibus, & murmurationibus ciendis & procreandis. Qua ratione & motivo, huic vel illi tale minus confertur? quare hoc dictum eſt? quo fine huic potiùs, quàm illi, hoc, vel illud exhibetur? O immenſa fragilitatis humanæ inſcitia? dum ſubinde, & non admodum raro aſſueſcimus ad ſcrutandum & examinandum quidquid menti incidit, vel ſe oculis objicit. Hem! quid

quid non agimus? & hoc, ut nos animosq́; nostros inquietemus?

Hæc, hæc ratio, nullis alijs admiſſis, ſat eſt, & eſſe debet, quòd Deus hoc modo ordinârit. Verùm quis me certiorem faciet, quod talis hic & nunc ſit Dei volnntas? Vellemusné, ut Deus nobis res omnes per ſecretas inſpirationes revelaret? an fortaſſis, ut Angelos nobis mitteret, qui nobis ea nunciarent, quæ ſint ejus voluntatis? id, ne Dominæ quidem noſtræ præſtat (ut, vel ex hoc præſenti negotio apparet) ſed, interveniente ſancto Ioſepho, cui erat ſubjecta hac in re ut ſuo ſuperiori, nunciat.

An fortè doceri & inſtrui cupimus à Deo ipſo, viâ & interventu extaſum, raptuum, viſionum; &, neſcio quorum ſimilium ſimplicitatum, ne dicam ſtoliditatum, quas nobis mente fabricamus, potius quàm nos ſubmittamus amabili & communi viæ ſanctæ ſubmiſſionis, juxta ductum & diſciplinam eorum, quos Deus nobis directores dedit in hac vita.

Sufficiat igitur nobis ſcire, quod velit Deus nos obedire, nulla conſideratione habitâ capacitatis eorum, quibus obtemperandum eſt. ſic agendo ſubijciemus, & aſſuefaciemus mentes noſtras ad feliciſſimam ſanctæ tranquillitatis & humilitatis currendam viam, quæ nos Deus efficiet infinitè gratos & acceptos.

Transſeamus nunc ad tertiam conſideratio- nem: quæ eſt nota una, quam adjunxi mandato, quod Angelus præſcripſit Ioſepho: ACCIPE PUERUM, ET MATREM EIUS ET FUGE IN ÆGYPTUM, ET ESTO IBI USQUE DUM DICAM TIBI.

Certè Angelus breviter, & tanquam auctoritatem habens, agebat, & tractabat cum Ioſepho, uti tractari ſolet cum veteri quopiam & probato Religioſo. i, inquit, & ne redi, niſi dixero tibi. Ex hoc modo agendi, & procedendi inter Angelum & Ioſephum, tertio loco edocemus, quomodo, conſcendentes mare divinæ providentiæ ſine pane nautico, vulgò, bis cocto, ſine remis, ſine palmulis velisque: verbo, ſine ullo proviſionis apparatu, omnem de nobis curam, & de ſucceſſu negotiorum, nullâ mandati allatâ excuſatione, committere nos Domino debeamus, quin & ſine timore ullius adverſæ rei, quæ poſſet nobis evenire. Angelus enim dicit ſimpliciter: *accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Aegyptum*; nihil addit de itinere, nihil de proviſione neceſſaria ad viam perficiendam, ſed nec ad quam partem Aegypti ſe conferre debeant, enunciat, multoq; minùs quis eos ſit hoſpitio recepturus nec denique quomodò conquirendus & habendus ſit cibus, poſtquam eò pertigerint.

Quid videtur, nonné Ioſeph hoc in ſtatu poſitus occaſionem habuiſſet tergiverſandi, & impoſ-

possibilitatem adferendi? exempli causâ: dicis me debere iter accipere,& hoc ita properè,imò & hac ipsa horâ: & hoc ad ostendendam promptitudinem,quam spiritus sanctus requirit à nobis,quando dicit: *Surge,exi de te ipso, & de tali imperfectione*, ò quàm est spiritus sanctus inimicus longioribus moris & dilationibus! Considera, amabò, exemplar & formam perfecti Religiosi expressam in sancto Abrahamo : vide uti Deus eum tractat: *Abraham egredere de terra tua, & de cognatione tua,& veni in terram, quam monstrabo tibi.* Quid loqueris Domine,vis ut exeam de civitate? sed mihi dicito,an ad Orientem,an verò ad Occidentem pergendum mihi sit? nullam hic adfert excusationem, nullam mandati prætendit difficultatem, sed discedit promptè, & it, quò Dei spiritus eum ducit usque ad montem,qui posteà nominatus fuit VISIO DEI, eò quòd acceperit in monte hoc magnas & singulares gratias à Deo,qui & quantoperè sibi promptitudo grata sit in obediendo,collatâ remuneratione copiosâ, ostendit.

Sanctus Ioseph nonné poterat dicere Angelo: dicis tu mihi,ut educam puerum & matrem ejus,at dicito tu mihi, si tamen lubet: unde eos alam in via, scis enim probè Domine mí, quòd pecuniam non habeamus? nihil dicit horum,sed fidit futurum ut Deus etiam abundè sibi cum

suis

ſuis provideat. Quod & fecit, eſto tenuiter, faciens,ut invenirent unde ſe ſimpliciter, vel per opificium Ioſephi, vel etiam per eleemoſynas ijs collatas, ſuſtentarent.

Certè omnes antiqui Religioſi fuerunt admirandi in hac confidentia, quâ crediderunt firmâ fide, Deum ſemper proviſurum de ijs, quæ ſpectant ad vitæ ſuſtentationem, permittentes omnem ſui ipſorum curam divinæ providentiæ. Verùm conſidero non ſolùm eſſe neceſſarium quieſcere in divina providentia quoad id, quod reſpicit res temporales, ſed longè magis quoad id, quod viam ſpiritualem & noſtram perfectionem ſpectat. Certè nulla eſt cauſa, niſi nimia cura, quam de nobis ipſis gerimus, quæ nos perdere facit tranquillitatem mentis, & nos inducit ad neſcio quas phantaſticas inæqualitates & ingeniorum mutationes: nam ubi aliquæ contradictiones nobis eveniunt, imò, ubi perſpicimus ſolummodò parvam aliquam è noſtris imperfectionibus, vel ubi commiſimus defectum quempiam, ſit quantumvis parvus, videmur perditi. Eſtné tam rarum & admirandum, quòd ſubinde offendamus? Sed dices, adeò ſum miſerabilis & imperfecta. Hoc ſi certò agnoſcis, Deum laudato, quod hanc notitiam tibi dederit: & noli tantùm lamentari: profectò non parum es felix, ſi non ſolùm miſeram, ſed & miſeriam

ipſam

ipſam te agnoſcas, desq; operam (poſtquam DEUM laudaveris & gratias egeris ob datam iſtam notitiam) ut reſcindas poſthac hujusmodi inutilem teneritudinem, quæ facit, ut queramur de nimia tua, (nolo graviore verbo uti) infirmitate.

Habemus quaſdam teneritudines annexas noſtris corporibus, quæ plurimùm officiunt & obſunt perfectioni; verùm longè magis, & abſq; ulla comparatione, obſunt illæ, quæ inhærent noſtris animabus. Væ mihi! quòd non ſim fidelis Domino DEO, & ideò nullam habeam conſolationem in oratione? O quæ iſthæc afflictio! ſed utplurimùm in ſumma ſum ſiccitate, quod me inducit ad timendum, ne non ſim eo apud DEUM loco, (qui tamen abundat omni conſolatione) quo cuperem. Ecquid ais? quaſi verò DEUS ſemper amicos ſuos perfunderet conſolationibus?

Dic age, aliquandóne extitit pura creatura, quæ digna fuerit ſic amari à DEO? non Domina noſtra, non ſanctus Ioſeph, luce enim meridiana clarius eſt, eos non ſemper abundaſſe conſolationibus. Potuítne major & vehementior excogitari afflictio, quàm fuerit Beati Ioſephi tunc, quando animadvertit uterum glorioſæ Virginis intumeſcere, probè ſciens id non ex ſe provenire. Eius afflictio & anguſtia tantò erat major,

major, quantò amoris passio erat vehementior, quàm cæteræ, quæ ab anima profluunt affectiones. Et, quod auget dolorem, Zelus in summo amore, in summo etiam gradu reperiebatur; quemadmodum declarat sponsa in Canticis Canticorum 8. *Fortis est*, inquit illa, *ut mors dilectio*; nam procreat similes effectus in anima ijs, quos mors in corpore: *sed dura sicut Infernus est æmulatio*. His ita se habentibus, sino te cogitare, qualis fuerit dolor afflicti Iosephi, & adhuc tunc Dominæ nostræ, quando advertit in ea se esse æstimatione, quam de se habere poterat is, qui illam tam charam habebat, & à quo sciebat se vehementer amari. Zelus adeò eum exercebat, in eumque languorem inducebat, ut nesciret cui parti adhæreret. Decrevit tamen illam dimittere & derelinquere, insalutataque, abire potiùs, quàm traducere & obtrectare, quam semper tantopere honorârat & amârat.

Sed fortè dices, sentio & ego magnos dolores, & experior difficultates, quæ me, vel certè mea magna imperfectio, inducunt in tentationem. Credo equidem; sed estné dolor iste tuus comparandus illi, quem habuit Iosephus & Maria DEI Mater? Non potest id esse: & si esset, considera, obsecro, an causam habeamus querendi & lamentandi, siquidem sanctus Ioseph non queritur, imò nullum signum exterius dat

ani-

animi dolentis; non eſt amarior erga Dominam noſtram in ſua converſatione, & ne geſtum quidem vel ſignum ei dat turbati animi, non pejus ſolito eam habet, at ſimpliciter & tacitè fert ſuum dolorem, & nihil aliud verſat animo, quam eam relinquere; Deus ipſe ſcit, quid in eo in caſu perplexus poterat aliud facere.

Mea averſio (dicet aliquis) adeò eſt magna adverſus talem & talem, ut vix loqui ei valeam ſine indignatione & intrinſeco quodam dolore. Et hoc ſummè mihi diſplicet. Non ideò te debes tradere triſtitiæ, ſed cavere ſolùm, ne intres in neſcio quas phantaſticas moroſitates contra illos, quaſi forent cauſa iſtius tuæ moleſtiæ, ſed oportet ferre & diſsimulare, ſicut Beata Virgo & Ioſeph tulerunt & diſsimularunt: oportet item nos eſſe pacificos ac tranquillos in noſtro dolore, & ſinere Dominum, ut ſuperfluam iſtam ſolicitudinem, quando ei libuerit, à nobis tollat.

Erat equidem in poteſtate Beatæ Virginis ſedare, & tranquillare turbas illas; ſed noluit illa hoc facere, at exitum totius rei commiſit divinæ providentiæ.

Sunt duæ chordæ diſcordes quæ ut edant ſonum in muſica gratum, inter ſe æqualiter concordent neceſſe eſt: una eſt tenuiſsima ſeu altiſsima; altera fundamentalis ſeu primana, & claritatis cauſâ Bassistica. Quid magis diſcors

quàm

quàm altum, & Bassum seu submissum? Et nihilominus sine concordia & convenientia harum duarum chordarum non est grata ulla harmonia in nostra musica.

Eodem modo in spirituali nostro cantu seu musica, duæ res æqualiter discordantes necessariò inter se debent concordare: sunt autem eæ duæ res, ut magnam curam habeamus in vita spirituali nos perficiendi; curam autem nostræ perfectionis integrè Deo committamus. Volo dicere, nos habere oportere curam & solicitudinem, quam Deus vult nos habere, ut nos in spiritu perficiamus, & nihilominus nostræ perfectionis solicitudinem sibi relinquamus.

Vult ergo Deus, iterum repeto, nos habere curam, & solicitudinem tranquillam, & pacatam, quæ nos inducat ad faciendum id, quod judicatum fuerit nobis proprium ab ijs, qui curam nostri gerunt; vult item Deus ut asiduè & fideliter progrediamur in via, quæ nobis notata & designata est per regulas & directiones, quæ nobis datæ sunt; alia autem relinquamus eius paternæ curæ; conari autem debemus quantùm fieri potest, ut nostram animã in pace posideamus: nam *factus est in pace locus eius* (Psalm. 65. Ver.3.) & in corde pacato ac quieto.

Vos scitis, quando mare est quietum, & ejus aquæ non agitantur ventis, cœlum in nocte serena,

rena, pulcherrimè unà cum ſtellis repræſentari, quin & aſpicientium oculis deorſum ejuſdem Cœli pulchritudinem æquè obijci, atque ſi ſurſum aſpicerent: eodem modo, quando anima noſtra eſt quieta, & venti ſuperfluarum curarum, inæqualitas mentis ac inconſtantia eam non turbant, neque inquietant, admodum eſt capax gerendæ Dei imagini: verùm, quando turbata, & inquieta eſt, nec non adeò diverſis velut turbinum paſſionibus agitata, ut ſinat homo ſe ab illis gubernari, excluſa ratione, quæ tamen illa eſt, à qua ſimiles reddimur Deo, tunc nullo modò ſumus idonei repræſentandæ imagini amabiliſſimæ Chriſti crucifixi, neque etiam diverſitate excellentium virtutum, adde, quòd nec anima noſtra tunc poſſit eſſe capax, ut ei ſit loco nuptialis thalami.

Oportet igitur relinquere curam noſtri ipſorum arbitrio divinæ providentiæ; & nihilominus quàm poſſumus commodiſſimè, & ſimpliciſſimè facere, quod in noſtra eſt poteſtate, ad nos emendandos & perficiendos; danda autem eſt ſemper opera, ne animæ noſtræ turbentur inquietenturvé.

Noto denique quod Angelus dicit Ioſepho, ESTO IBI, id eſt, in Aegypto, *uſque dum dicam tibi*, animadverto etiam Ioſephum nihil dixiſſe, cùm poſſet hoc vel ſimili modo ei reſpondiſſe:

& quando, Domine mi, id mihi dices? Et hoc ad docendos nos, quando nobis mandatur, ut hoc vel illud exercitium faciamus, non esse dicendum: hocné exercitium longo tempore durabit? Sed amplecti oportet omnì cum simplicitate, imitando perfectam Abrahæ obedientiam: quando Deus ei mandavit sacrificare filium suum, nullam attulit ille excusationem, nullam querelam, neque dilationem exequendi mandatum petijt. Proinde Deus magnopere cùm in alijs, tum in inveniendo ariete, quem in monte ei sacrificaret, loco filij gratificatus ei est, & suavissimè conquievit in prompta ejus voluntate.

Concludo cum simplicitate, quam Ioseph exercuit, dum ad Angeli mandatum perrexit in Aegyptum: ubi certus erat se inventurum tot inimicos, quot erant incolæ in regione illa. Quidni potuerit sic dicere: *jubes tu nos tollere puerum, & ferre in Aegyptum: facis tu nos fugere inimicum unum, & nos tradis in manus millium & millium aliorum, quos reperturi sumus in Aegypto: quia sumus ex Israël.* Non facit hoc neque dicit bonus hic Ioseph: imò nec ullam facit reflexionem circa factum sibi mandatum; pergit plenus pace & confidentiâ erga Deum conceptâ.

Eodem modo, dilectæ Filiæ, quando officium aliquod nobis injungitur, ne dicamus, ò mi Deus! tam


tam ſum rudis, mille committam abſurda, quia cùm aliàs multùm diſtracta ſim in hoc, quo nunc fungor officio, longè adhuc ero diſtractior in eo quod injungitur mihi. Verùm ſi in mea cellula relinquerer, eſſem, meo judicio, perquam modeſta, tranquilla, & in Deo collecta. Ito bona puella, ito ſimpliciter in Aegyptum inter multitudinem inimicorum, quos ibi es habitura. Vult enim hoc Deus, te ire oportet, ibi te conſervabit, non ibi morieris; vel contrà, ſi tu manſeris in Iſraël, ubi eſt inimicus propriæ tuæ voluntatis, dubio procul, is te morti traditurus eſt.

Vt non rectè agit quiſquis ſua ſponte & propriâ electione ſuſcipit mnnera & officia adminiſtranda, (timendum enim eſt, ne ijs adminiſtrandis ſuccumbat) ita, ſi ſuſcipit ex obedientia, nullam adferens excuſationē, Deus ſtans pro eo, efficiet, ut in perfectione longè magis progrediatur, quàm ſi nihil ageret. Non tenetis id, quod alias jam ſæpe vobis dixi, & non eſt abs re iterum atque iterum dicere? virtutem ſcilicet non requirere, ut nullam habeamus occaſionem impingendi in aliquam imperfectionem, quæ virtuti eſt contraria.

Non ſufficit, inquit Caßianus, ut ſimus patientes, & in nobis ipſis ſuaves, ut privati ſimus converſatione hominum: contigit ſiquidem me exiſtentem in mea cellula omnino ſolum, æſtu choleræ maximè inflammari. Ec-

quid causa! quia igniarium meum ignem nolebat concipere, unde illud e manibus indignabundus abjeci.

Ad finem discursui huic imponere oportet, & te in Aegypto relinquere cum Christo Domino, qui, uti credo, & alij mecum, jam tunc incipiebat parvas cruces fabricare, & hoc, quando supererat aliquid temporis, & ejus opera sancto Iosepho non erat necessaria: jam tunc testificans desiderium perficiendi & adimplendi opus nostræ redemptionis.



VIVAT IESVS.

IV. COLLOCVTIO PIA AC RELIGIOSA.

De sincero amore cordis, in quo quæritur quomodo se ad invicem amare debeant sorores dicto amore, remotâ nihilominus à se omni indecenti familiaritate.


T satis fiat vestræ petitioni, & intelligatur in quo consistat iste sincerus cordis amor, quo sorores se invi-

invicem amare debent, sciendum est sincerum amorem cordis nihil aliud esse, quàm veram & sinceram essentiam amicitiæ, quæ nequit esse nisi inter personas ratione præditas, quæ foveant, & nutriant suam amicitiam interventu rationis; aliter enim non potest esse amicitia, sed solùm amor. Sic bestiæ habent amorem, amicitiam autem nequaquam habere possunt, quia ratione carent. Habent amorem inter se propter convenientiam naturalem; quin imò etiam amant homines, ut experientia quotidiana docet, & auctores etiam scribentes de rebus admirabilibus id asserunt: & nominatim de delphino, qui ita perditè puerulum unum in littore maris, sæpius visum amabat, ut mortuo infante, mortuus sit & delphinus ex dolore. Hoc autem minimè vocari debet amicitia, convenientia siquidem amicitiæ esse debet inter duos, qui se invicem ament: & id interveniente ratione.

Vt plurimùm quidem sic homines contrahunt amicitias, sed cùm non habeant bonum finem neq; rationem sequantur ducem, non merentur nomen amicitiæ. Sed, & præter rationem adesse debet convenientia, vel vocationis, vel prætentionis, vel conditionis inter illos, qui ineunt amicitiam: & hoc clarè docet experientia; Nemo enim dicet veriorem esse amicitiam, neque fortiorem eâ, quæ est inter fratres: *quem enim*

habent parentes amorem erga filios, non est amicitia, sicut nec filiorum adversus parentes: quia habent convenientiam de qua hic loquimur, sed alias differentes: amori enim parentum in filios junctus est dominatus in eos, & auctoritas non modica; filiorum autem in parentes amor suâ naturâ plenus & respectûs & submissionis in parentes. Verùm inter fratres, ob similitudinem conditionis eorum, convenientia amoris efficit firmam, fortem, & solidam amicitiam.

Ea de causa antiqui Christiani tempore primitivæ Ecclesiæ se omnes vocabant fratres: refrigescente autem primâ charitate inter communes Christianos, institutæ sunt Religiones diversæ: in quibus præscribitur, ut Religiosi se compellent omnes fratres, & sorores, quæ similiter sunt Religiosæ, & hoc in signum sinceræ & genuinæ amicitiæ, quam inter se fovent vel fovere debent. Cùm autem non sit amicitia ulla, quæ comparari valeat amicitiæ fratrum, quia scilicet omnes aliæ sunt inæquales vel contractæ aliquo (ut est eorum, qui juncti sunt Matrimonio) artificio, quæ etiam fiunt per contractus scriptos, & pronunciatos per Notarios vel certè per simplicia promissa. Eodem modo amicitiæ, quas contrahunt homines mundani inter se, vel propter aliquod emolumentum particulare, vel propter causam & subjectum frivolum, sunt amicitiæ magnopere obnoxiæ interitui, & subi-

taneæ dissolutioni; verum, quæ inter fratres est amicitia, penitus contrario modo se habet: est enim sine ullo artificio, ac proinde laudabilis.

Quod cùm ita sit, dico id esse causam, ob quam Religiosi se fratrum nomine compellant, ideoq; habent amorem, qui verè meretur nomen amicitiæ, nec communis tantùm, sed cordis: id est, amicitiæ, quæ fundamentum suum habet in corde, in quo amor sedem suam fixit & fixam retinet. Hinc nunquam nos nimis amare possumus nostrum proximum, nec excedere limites rationis in hoc amore, modo domicilium suum habeat in corde. Verùm quoad testimonium hujus amoris, possumus in eo errare & excedere, nec non transgredi ultra regulas rectæ rationis.

Gloriosus sanctus Bernardus dicit mensuram amandi Deum, esse sine mensura, & amori nostro nullam præfixam esse debere metam aut terminum; sinendum proinde, ut suos ramos extendat quantum potest. Quod dictum est de Dei, debet etiam intelligi de amore proximi, dummodò tamen semper Dei amor supernatet omnibus alijs, & principatum teneat. Post Deum, debemus diligere nostras sorores secundùm omnem cordis latitudinem: nec satis nobis esse debet eas amare ut nos ipsos, ut Dei præcepta nobis præscribunt; verùm amare debemus plus quàm nos ipsos ad bene servandas regulas perfectionis

Evangelicæ,quæ hoc à nobis exigit. Christus ipse hoc ipsum dixit: *diligite invicem sicuti ego vos dilexi.*

Hoc magnopere considerandum est, DILIGITE INVICEM SICUTI EGO VOS DILEXI: nam hoc loquendi modo, vult dicere plus amandum esse à nobis proximum, quàm nos à nobismet ipsis. Et quemadmodum Dominus semper nos prætulit sibi ipsi, & etiam nunc præfert quoties eum in venerabili sacramento se ipsum nostrum cibum facientem recipimus; ita vult, ut nos talem amorem ad invicem habeamus, quo semper proximum nobis ipsis præferamus. Et sicut omnia fecit, quæ potuit pro nobis, nisi quòd damnationi se non tradidit (quia scilicet non poterat, nec debebat) eò quòd peccare non poterat: quod unum & solum nos ducit ad damnationem. Vult, & regula perfectionis requirit, ut quidquid possumus mutuò nobis præstare, præstemus (excepta damnatione) excluso hoc, amicitia nostra adeò firma, sincera, & solida esse debet, ut nunquam recusemus facere vel pati, quidquid tandem patiendum occurrit pro nostro proximo, ac in primis pro nostris Sororibus.

Hunc autem amorem cordis comitari debent duæ virtutes, quarum altera AFFABILITAS nuncupatur, altera bona CONVERSATIO: AFFABILITAS est illa, quæ certa quadam suauitate asper-

git

git omnia negotia & ministeria seria, quæ ad invicem tractamus. Bona CONVERSATIO nos efficit gratiosos & amabiles in recreationibus, & communicationibus minùs serijs, quæ nobis sunt cum proximo.

Omnes virtutes, ut probè scitis, habent duo vitia contraria, quæ sunt extremitates seu excessus virtutis. Virtus igitur affabilitatis est media inter duo vitia, gravitatem scilicet & nimiam mollitiem blandiendi, & profundendi verba decoro frequentius, quæ sapere videntur adulationem. Porrò virtus AFFABILITATIS habitat inter NIMIUM, & PARUM, ostendendo (juxta necessitatē) ijs, quibus cum agit, signa amoris; retinens nihilominus suavem gravitatem, juxta personarum, & negotiorum, de quibus agitur, exigentiam.

Dico adhibendas esse honestas & moderatas blanditias certo tempore: neq; enim esset conveniens, nec ad propositum, adstare alicui ægroto tanta cum gravitate, quanta adhiberetur alibi, nolendo ei plus gratificari & servire, quàm si uteretur optima valetudine. Non oporteret etiam tam frequenter adhibere blanditias & amoris signa, & quavis occasione adferre in medium mellita verba, eaq; plenis pugnis jacere supra primos quosq; occurrentes. Vt enim, si quis plus æquo sacchari inijceret in cibum ali-

quem, moveret nauſeam comedenti, propter nimiam dulcedinem,ita blanditiæ parerent faſtidium audientibus, & ſcientibus id fieri non ad ſe recreandos,ſed ex minùs probata conſuetudine. Cibi,in quos pugillatim ſat ſine grano ſalis inijceretur, eſſent ingrati propter nimiam ſuam acrimoniam: verùm ij, in quos inijcitur ſal & ſaccharum juxta modos & menſuras, efficiuntur guſtui comprimis grati: eodem modo officia & ſigna amoris, quæ exhibentur juxta prudentiæ menſuram, ſunt grati & ſalutares ijs, quibus porriguntur.

Virtus bonæ converſationis exigit, ut lætitiæ ſanctæ & moderatæ, ſicut & collocutionibus, quæ debent eſſe gratioſæ, ea miſceantur, quæ conferant conſolationem aliquam & recreationem proximo: ita ut non ei crëemus per neſcio quam frontis contractionem & caperationem faſtidium & moleſtiam: vel nos recreare recuſemus, tempore conſtituto, & recreationi aſſignato. At cùm jam de virtute hac in collocutione de modeſtia tractaverimus, progredior ulteriùs, & dico rem eſſe perdifficilem ſemper tangere ſcopum & metam,in quem collineatur; verum quidem eſt debere nos omnes habere hanc intentionem,ut album jaculatorium eſſentiæ virtutis (quod ardenter equidem deſiderare debemus) attingamus; ſed ſi ſecus eveniat, non

ideò

ideò deijciendus est animus, neque conturbandus, dummodò orbiculum seu metam tangamus. Id est quàm proximè poterimus: neque enim sancti ipsi omnibus semper in virtutibus potuerunt cujusq; in particulari album seu essentiam proximè attingere: solus Christus Dominus & Beata ejus Mater id præstare potuerunt; sancti autem secuti sunt eos, sed longo intervallo. Quale, amabò discrimen est inter spiritum sancti Augustini, & sancti Hieronymi, id deprehendi potest in eorum scriptis! Nihil suavius est Augustino: ejus scripta sunt ipsamet dulcedo & suavitas: è contrario sanctus Hieronymus summè erat austerus. Vt id aliquantulum intelligas, eum vide in suis Epistolis, pene semper videtur in cholera; nihilominus uterque virtutum erat studiosissimus: sed unus plus suavitatis, alter longè plus austeritatis vitæ, ambo autem (quamvis non æqualiter suaves, neque similiter austeri ac rigorosi) fuerunt magni sancti: ex quo addiscimus non debere nos mirari, neque affligere, si non simus æqualiter mites & suaves, dummodò amemus nostrum proximum sincero amore cordis, juxta omnem ejusdem cordis latitudinem; & sicuti Dominus nos amavit (id est plus, quàm nos ipsi) eum semper præferendo nobis omnibus in rebus, manendo intra limites sanctæ Charitatis, & nihil unquam ei recusando,
quod

quod ad ejus faciat utilitatem, nisi quòd ejus causâ non debemus velle damnari, uti jam suprà diximus.

Ideò conandum est, quantùm valemus, testimonia nostræ affectionis exteriùs ostendere, & hoc conformiter rationi: ridendo cum ridentibus, flendo cum flentibus. Dico nos testificari debere, quòd sorores nostras amemus (& hoc est secunda pars quæstionis) exclusa omni familiaritate indecenti. Et hoc dicit regula. Sed videamus quid in hoc faciendum est? Nihil, nisi ut sanctitas appareat in nostra familiaritate, & testetur sinceram amicitiam: sicut dicit sanctus Paulus in una suarum Epistolarum: *salutate invicem*, inquit, *in osculo sancto*, Rom. 6. Erat tunc consuetudo adhibendi oscula, quando Christiani sibi occurrebant. Christus Benedictus etiam osculis salutabat Apostolos, sicuti id addiscimus ex salutatione Iudæ Christum tradentis.

Sancti Religiosi, aliàs, cùm sibi occurrerent, dicebant: Deo Gratias, quod erat argumentum gaudij, quod sibi mutuò occurrentes percipiebant, quasi dicerent, vel dicere voluissent: Gratias ago Deo, mi chare frater, ob consolationem; quam capio te videndo. Ita charæ Filiæ, testari oportet nos amare nostras sorores, & complacentiam habere ad invicem; dummodò tamen sanctitas semper comitetur testimonia,

nia, quibus nostram affectionem adversus illas fatemur; & ita ut Deus non modò ex hoc non possit offendi, sed gloriâ, & honore magnificè exaltari. Idem sanctus Paulus, qui vult & docet nostras affectiones adversus proximum testatas esse debere testimonio sancto, & obsignatas sincero cordis sigillo; vult inquam & docet id nos gratiosè facere, dum suo passim præit exemplo, ut ad Colos. 4. (*Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, Nympham &c.*) & alibi passim jubet tales & tales salutari, asserens eos omnes ex corde à se amari.

Quæritur circa motam quæstionem seu argumentum, an audeamus plus affectionis ostendere erga sororem unam, quæ putatur magis studiosa esse virtutum, quàm erga aliam minus studiosam. Ad hoc respondeo, quòd quamvis obligemur magis amare eas amore complacentiæ, quæ majores gradus fecerunt in virtutibus, non tamen debemus magis amore benevolentiæ, neque etiam ostendere majora signa amicitiæ. Et hoc duas ob causas. I. est, quòd Christus Dominus noster id non fecit, quin imò videtur plus affectionis exhibuisse imperfectis, quàm perfectis; siquidem dixit *non venisse propter justos, sed propter peccatores.* Id est, eos, qui magis egent nostra opera, quibus, ut innotescat in specie noster amor, efficere debemus. In hoc siquidem clarius monstramus nos amare eos ex charitate,

quàm

quàm illos, à quibus videmur plus consolationis accipere, quàm difficultatis, dum eos amamus.

Et in hoc procedendum est juxta quod utilitas & commodum proximi requirit extra hoc autem danda est opera, ut omnes amemus æqualiter, siquidem non dixit Salvator plus amate perfectiores in virtutibus, sed sine discrimine: *amate vos invicem*, sicuti vos amavi, nullo omnino excluso, quantumcunque imperfecto.

II. Causa ob quam non debemus majora signa amicitiæ uni ostendere & exhibere, quàm alijs, & non sinere nos ad illos cœco amore magis abripi: & hoc ideò, quia non possumus judicare, qui sint perfectiores & ditiores in virtutibus. Signa enim exteriora imponere & decipere possunt: & quidem sæpe evenit, ut, quos judicaveris esse magis conspicuos virtutibus (ut alibi dixi) non sint tales in oculis Dei, qui solus id potest cognoscere. Fieri enim potest, ut soror quæpiam, quæ sæpius offendit, & multas committit imperfectiones, plus profecerit in virtutibus & gratior sit Deo; vel ob magnitudinem animi, quam conservat inter suas imperfectiones (non sinens se turbari, nec inquietari ob frequentes suos lapsus) vel certè ob humilitatem, quam inde percipit, vel etiam ob amorem suæ abjectionis, quàm alia, quæ habeat duodecim virtutes, vel naturales, vel acquisitas,

& mi-

& minus exercitij & laboris ; & consequenter potest esse magis pusillanimis, & minus humilis, quàm altera, quæ subjecta est, & obnoxia quotidianis lapsibus.

Sanctus Petrus electus fuit, ut esset superior & caput Apostolorum, non obstante, quòd obnoxius esset multis imperfectionibus; & ita quidem, ut etiam post receptum spiritum sanctum committeret aliquas. Sed quia, nihil obstaculi ponentibus ejus defectibus, semper erat magnanimus, nec rebus adversis frangebatur, Christus eum constituit suum Vicarium, &, favore singulari prosequens, super omnes eum extulit; & ita quidem extulit, ut nemo quidquam opponeret, vel diceret eum non mereri, ut principatum haberet supra Ioannem, qui peculiari dilectione à Christo amabatur, aliosvé Apostolos. Oportet igitur in affectione, quam erga nostras sorores habere debemus, quàm maximè fieri potest æqualiter nos continere ob allatas superius rationes. Et quia scire omnes debent, quòd se amemus amore cordis, necesse non est nos uti multis verbis, quòd eæ nobis sint charissimæ, quòd trahamur singulari ad illas propensione, hasq; & illas particulari prorsus amore prosequamur; & alia similia, quæ minimè necesse est aperire. Habere siquidem inclinationem erga unam majorem, quàm erga alias, non facit amorem

rem noſtrum perfectiorem. Imò amor iſte poteſt eſſe magis obnoxius mutationi, & ob rem minimam, minus ad placitum factam, evaneſcere.

Quòd ſi verum eſt nos habere inclinationem ad amandum unam potiùs, quàm alteram, hoc mente voluendo nos detinere non debemus, multò autem minus id ei manifeſtare. Amare ſiquidem non debemus noſtrum proximum propter inclinationem, ſed, quia vel re ipſa eſt amator virtutum, vel ſi nondum talis eſt, ſpem habemus eum brevi talem futurum. Præcipua autem cauſa noſtri amoris debet eſſe Dei voluntas: Efficax autem argumentum noſtri in eum amoris cenſebitur, & erit, ſi procuremus ei bonum, quod in noſtra eſt poteſtate: & hoc tam pro anima, quàm pro corpore, ſi pro eo item oremus, & ſincerè ei ſerviamus quandocunque ſe offert occaſio. Amicitia ſiquidem, quæ terminatur pulchris & mellitis verbis, non magni eſt momenti; imò toto cœlo diſſimilis eſt illi amori, quo Chriſtus Dominus nos amavit; Cui non fuit ſatis aſſerere ſe certò nos amaſſe; ſed progreſſus ulterius præſtat pro nobis quidquid præſtare potuit pro argumento, & teſtimonio ſui in nos amoris. Sanctus Paulus 2. Corinth. 12. 15. ſic loquitur ſuis Corinthijs, Filijs ſuis in Chriſto: *ego libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*: & hoc abſq; ulla omnino mei reſerva-

servatione , ad testificandum quam paternè, quam pretiosè,& quàm tenerè vos amem. Quod est dicere : paratus sum permittere,in vestri gratiam,ut vos de me faciatis vel fieri per alios jubeatis quidquid lubitum est. In quo nos docet, quòd impendere se, quin & vitam ipsam donare pro proximo sit minus,quàm sinere se impendi & superimpendi ad voluntatem aliorum, idque vel per illos ipsos,vel pro illis. Id didicerat ex suavi nostro Salvatore in cruce pendente.

Ad hunc, ad hunc inquam,supremum amoris gradum adversus proximum, Religiosi &Religiosæ,quin & nos reliqui,qui consecrati sumus servitio Dei, unà vocati sumus : non enim satis est adesse & opitulari proximo, commodis temporalibus, teste sancto Bernardo,qui hunc in modum loquitur : *non est satis impendere propriam nostram personam, ad patiendum & tolerandum pro isto amore, sed plus ultrà adhuc progrediendum est ; sinere scilicet debemus nos, loquendo phrasi sancti Pauli,superimpendi ad libitum pro illo, per sanctam obedientiam, nunquam resistendo.* Nam quando nos ipsos impendimus per electionem propriæ voluntatis, hoc multùm consolationis,& gaudij adfert proprio amori ; at sinere, ut impendamur in rebus, quas nobis alij imponunt contra nostram voluntatem,id est,quam nos non eligimus ; in hoc situs est summus abnegationis gradus. Exempli

causa : vellemus concionari, præcipitur nobis, ut serviamus ægrotis; orare pro proximo, mittimur ad ei serviendum: ubi semper præferendum est, absque ulla comparatione id, quod nobis imponitur (intelligo autem quod Deo con-contrarium non est, & quo is non offenditur) ei, quod nos facimus seu eligimus nostrâ sponte. Amemus igitur adinvicem, & illud MOTIVUM teneamus quod ita peraptum est ad excitandum nos ad hanc sanctam electionem, ut Christus ob illud sanguinem suum supra crucem positus usq; ad ultimam guttam in terram fuderit, velut ad conficiendum sacrum cæmentum, quo volebat ita exstruere, unire, conjungere & applicare simul omnes suæ Ecclesiæ lapides, qui sunt ejus fideles; ut unio ista adeò esset efficax, nunquam ut ulla eorum eveniret divisio seu dissolutio. Tam ille timebat, ne hujusmodi divisio multis causa esset æternæ damnationis!

Favor & gratia in ferendis proximi imperfectionibus est unum è præcipuis punctis hujus amoris. Hoc Dominus ostendit manens fixus in cruce: qui permite cor erga nos gerebat, & charos habebat. Nos, inquam, & illos ipsos, qui ei mortem eo momento inferebanr, & erant in actu peccati tam enormis, quàm posset unquam ab ullo homine committi. Nam peccatum, quod Iudæi commiserunt, fuit exemplar summæ impro-

probitatis ; & nihilominus Dominus noster tunc mente volvebat pro ijs cogitationes amoris, exhibens nobis exemplum non imaginabile in eo, quod excusabat eos, qui se crucifigebant, & in se furore plus quàm Barbarico sæviebant ; ille autem quærit inventiones & modos inducendi Patrem ad ijs in ipso actu peccati & injuriæ condonandum. O quàm miseri sumus nos homines mundani ! dum vix parvam aliquam injuriam à longo jam tempore nobis illatam valemus condonare ! Qui proinde præveniet proximum suum in benedictionibus dulcedinis, erit maximus imitator Domini nostri. Oportet ulterius notare amorem cordis junctum esse uni virtuti, quæ est velut appendix istius amoris, & ea est confidentia tota quanta parvulorum. Parvuli enim dum plumam aliquam pulchram, vel quid simile adepti sunt, quod pulchrum existimant, non cessant, non quiescunt, donec occurrant quotquot invenire possunt è suis paribus, ad plumam illam ostendendam, & ad partem suæ lætitiæ ijs communicandam. Iidem pariter nullam quietis partem capiunt, donec doloris sui (si quem habent) eosdem suos coëtaneos participes faciant ; unde si fortè digitus unus aliquis, eis parum doleat, nullis sibi obviantibus non dicunt, ut aliqua commiseratione se moveri ostendant erga illos : quin & leviter sufflent

ſupra illud membrum, quod ſibi dicunt dolere.

Porrò,non dico oportere prorſus eſſe uti ſunt infantes; ſed quod confidentia inducere debeat ſorores,ne ſint tam parcæ & tenaces in communicandis exiguis ſuis bonis ſpiritualibus,& conſolationibus alijs conſororibus; timentes forte, ne ex hoc ſuæ imperfectiones alijs innoteſcant. Non dico tamen debere omnibus communicari donum aliquod extraordinarium, quod ijs ſingulariter à Deo datum eſſet, non, inquam, hoc dico; Verùm, quod attinet ad exiguas aliquas earum conſolationes, & bona alia ſpiritualia,ea ego communicari vellem abſq; ulla reſervatione & reticentia,ubi daretur occaſio; ſed id minimè formâ,& modo jactantiæ ac vanitatis,at ſimplici confidentiâ, idq; rotundè & ex animo ad invicem. Quod autem ſpectat ad noſtros errores & defectus ſpirituales, ne, amabò, affligamur, ſi detegantur & reſciantur ab alijs: non enim meliores fient ſorores illæ, ſi earum defectus intra eas abſcondantur, quàm ſi foras prodeuntes, oculis aliarum ſubijciantur: nec ideò credent aliæ ſorores illas,quæ ſuos defectus tectos vellent, iis carere; & fors etiam imperfectiones illæ erunt periculoſiores, ſi in tenebris lateant, quàm ſi in lucem veniant; & faciem veſtram pudore & non minori verecundiâ cooperiant,

quàm

quàm earum, quæ magis sunt faciles ad illas exterius prodendas. Non oportet igitur turbari neque animo deijci, quando errores & defectus videntibus sororibus committimus: sed contrà, debemus lætari, quòd agnoscamur tales, quales sumus. Esto commiseris absurdum aliquod & inconveniens coram sororibus, quæ te unicè diligunt, ac proinde nôrunt quàm optimè sufferre tuos lapsus, quin & plus commiserationis erga te sic peccantem, quàm passionis contra te habituræ sunt.

Atque ita videbis, quòd confidentia ista magnopere nutriet & augebit sincerum amorem cordis, quin conservabit quietem animarum nostrarum, quas proclive aliàs est turbari, quando advertimur facilè labi in rem aliquam, esto sit perexigua: quasi verò valde rarum & mirum esset committere nos impetfectiones.

Tandem, pro conclusione hujus discursûs, semper debemus meminisse, quòd propter aliquem neglectum debitæ suavitatis, qui subinde ex inadvertentia incurritur, non oporteat se turbare, aut judicare carere sincero amore cordis, potest enim is amor stare cum aliqua imperfectione. Actus quispiam subinde ex aliqua occasione commissus, modò non frequenter, non efficit hominem vitiosum, præcipuè autem quando adest prompta voluntas se emendandi.

INTERROGATIO II.

Quid ſit facere omnia in ſpiritu humilitatis uti præcipiunt conſtitutiones?

Vt hoc meliùs intelligatur, ſcire oportet, quòd ut eſt diſcrimen inter ſuperbiam & conſuetudinem ſuperbiæ, & ſimul ſpiritum ſuperbiæ (ſi enim committis actum ſuperbiæ; ecce ſuperbia, ſin autem omni occaſione & occurſu tales actus committantur, adeſt conſuetudo & habitus ſuperbiæ. Si verò in ijs actibus tibi complaces, eosque requiras, eſt ſpiritus ſuperbiæ) ita eſt differentia inter humilitatem, habitum humilitatis, ac ſpiritum ejuſdem humilitatis. Humilitatis eſt facere actum quempiam ad ſe humiliandum; habitus autem omni omnino occurrente occaſione; ſed ſpiritûs humilitatis eſt ſibi complacere in humiliatione, & quærere abjectionem & humilitatem omnibus in rebus: id eſt, in omni re, (quam facimus, dicimus, vel deſideramus) præcipuus noſter ſcopus debet eſſe nos ipſos humiliare, & exinanire, quin & gaudiũ habere dum propria abjectio in omni occaſione nobis occurrit, ſed & cogitationes de ipſa abjectione libenter habere debemus.

En quid ſit facere omnia in ſpiritu humilitatis, & quod idem eſt, ac ſi quis diceret, quærere humilitatem & abjectionem in omnibus. Præ-

clara


clara est humilitatis praxis non intueri actiones proximi, nisi ad notandas virtutes, imperfectiones autem nunquam. Dum enim nobis non incumbit, non debemus oculos eam in partem conijcere, multò minus eas ex instituto perpendere.

Semper in meliorem partem interpretari debemus quantùm fieri potest id, quod videmus fieri à nostro proximo: & quidem in rebus dubijs debemus nobis persuadere id, quod vidimus fieri, non esse malum; & nostrâ imperfectione fieri, quod in mentem nobis veniat talis cogitatio: & hoc ad evitanda temeraria judicia in alienis actionibus. Quod malum est periculosissimum, ideoq; summè detestandum. In rebus autem evidenter malis concipere debemus commiserationem, & ob proximi peccata non minùs nos humiliare, quàm ob propria; quin & Deum orare, ut se emendent, & quidem eodem cordis affectu, quo pro nobis, si similibus defectibus obnoxij essemus, oraremus.

At (dicitis vos mihi) quid nobis faciendum est, ut talem humilitatis spiritum acquiramus, qualis nobis descriptus est?

Respondeo, non superesse modum alium eam acquirendi, quàm quo acquiruntur aliæ virtutes, acquiruntur autem per actus sæpius iteratos.

Humilitas nos inducit ad exinanitionem nostri ipsorum in rebus omnibus, quæ necessariæ non sunt ad augmentum gratiæ, ut esset. v. g. bene & eleganter loqui, habere eximiam staturam, magna talenta ad res exteriores cum plausu tractandas, excellens ingenium, eloquentiam nulli secundam, & hujusmodi alia: in rebus enim exterioribus desiderandum est, ut alij meliùs quàm nos agant.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO V.

De Generositate.

VT bene intelligatur quid sit, & in quo cōsistat robur & generositas animi, de qua interrogatis; primò oportet respondere ad quæstionem unam, quam frequenter movistis, scilicet IN QUO CONSISTAT VERA HUMILITAS? nam resolvendo nodum istius puncti, melius intelligar loquens de secundo, quod est de generositate animi, de qua vultis me nunc tractare.

HUMI-

HUMILITAS *igitur aliud non est, quàm perfecta cognitio nostri nihili, & clariùs, quàm nosse quòd nihil simus:* efficit illa, ut nos contineamus in hac nostri æstimatione. Quod ut melius percipiatur, scire oportet in nobis esse duo bonorum genera. Quorum alia sunt in nobis & ex nobis; reliqua autem sunt in nobis, & non ex nobis.

Quando dico nos habere bona, quæ sunt ex nobis, non intendo dicere, quòd non veniant ex Deo, vel quòd ea habeamus à nobis ipsis: in veritate enim ex nobis ipsis aliud non habemus, quàm miseriam & nihil; sed volo dicere esse bona, quæ Deus taliter in nobis posuit, ut videantur esse ex nobis. Et bona ista sunt sanitas, divitiæ, scientiæ, & similia alia. Porrò humilitas impedit, quò minus gloriemur & nos ob ista bona magni æstimemus: eò quòd non pluris ea faciat, quàm gerras, seu quod idem est, quàm nihil. Et re ipsa sic dictat ratio, cùm non sint bona stabilia, & quæ Deo nos efficiant gratiores, sed mobilia & subjecta ludibrio fortunæ. Quòd autem res aliter non se habeat, dic age, aliquidné est minus securum, & firmum, quàm sint divitiæ, quæ à tempore & tempestatibus dependent? quam pulchritudo, quæ pallorem ex re minima cõtrahit? Vnica mentigo in facie (quæ est infirmitas pecudum) sufficit ad tollendum nitorem totius vultûs. Quod autem ad scientias attinet, exigua

cerebri turbatio efficit, ut perdamus & obliviſcamur quidquid unquam didicimus & ſcivimus. Omni igitur jure humilitas talia bona nihili ducit; at quantò magis nos deprimit & humiliat, per notitiam eius, quod ſumus nos ex nobiſmet, & per exiguam exiſtimationem, quam habet de omni eo, quod eſt in nobis & ex nobis: tantò etiam magis facit, ut nos ipſos magni æſtimemus ob bona, quæ ſunt in nobis, & non ex nobis; quæ ſunt FIDES, SPES, CHARITAS, eſto in nobis ſint perexiliter, ſicut etiam quædam capacitas, quam nobis Deus elargitus eſt, ut ei uniri, mediante gratiâ, poſſimus; Et quantum ad nos attinet, vocatio noſtra nobis dat aſſecurationem (qualis in hac vita haberi poteſt) poſſeſſionis gloriæ, & felicitatis æternæ; æſtimatio autem, quam exhibet humilitas de omnibus iſtis bonis, ſcilicet, fide, ſpe, & charitate, eſt fundamentum generoſitatis. Advertitis, credo, prima illa bona animi, de quibus vobis loquimur, pertinere ad humilitatem, ut objectum & materia illius circa quæ eius exercitia verſantur; ſecunda autem ad generoſitatem. Humilitas conſiderans noſtram paupertatem & infirmitatem, quæ ſunt ex nobiſmet ipſis, credit ſe nihil poſſe, contrà generoſitas nobis ſvadet, ut dicamus cum Sancto Paulo: *omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Humilitas facit nos diffidere de nobis ipſis; generoſitas autem

facit

facit nos confidere in Deo. Advertitis certè has virtutes, humilitatem & generositatem ita inter se esse unitas & conjunctas, ut nunquam ab invicem possint separari.

Reperiuntur nonnulli, qui se occupant circa falsam & stolidam humilitatem, à qua impediuntur, quo minus considerent id, quod Deus in ijs posuit boni: sed errant toto cœlo, nam bona, quæ Deus in nobis posuit debent recognosci, æstimari, & plurimùm honorari, minimeq; haberi in classe humilis æstimationis, quam habere debemus de ijs, quæ sunt in nobis, & ex nobis.

Non solùm autem veri Christiani cognoverũt recognoscenda esse duo genera bonorum in nobis, unum eorum, quæ nos humilient; alia autẽ quæ divinam bonitatem, quæ ea est elargita glorificent; sed etiam Ethnici Philosophi. VERBA enim illa, quæ sæpe usurpant: NOSCE TE IPSUM, intelligi debent non solùm de notitia vilitatis & miseriæ; sed insuper de excellentia, & dignitate nostrarum animarum, quæ ex pura puta Dei bonitate capaces sunt unionis cum divinitate, quæ nobis indidit, & velut insculpsit certum quendã instinctum, qui semper nos urget, ut tendamus, & anhelemus ad illam unionem: in qua consistit omne nostrum bonum.

Humilitas, quæ non producit generositatem, dubio procul falsa est, nam postquam dixit NI-

HIL

HIL POSSUM, NIHIL SUM, QVAM NIHILUM; cedit & dat continuò locum animi generositati, quæ dicit: NIHIL EST, ET NIHIL ESSE POTEST, QVOD NON POSSIM, modò omnem meam confidentiam in Deo, qui omnia POTEST, repositam habeam. Quare freta hac fiduciâ aggreditur generosè, & magnanimiter facere & exequi quidquid illi demandatum est. At notes velim, quòd dicam, quidquid illi demandatum vel consilio suggestum est, sit quantumvis difficile. Dico enim vobis certò eam non iudicare miracula patranda esse sibi impossibilia, si ei facienda præciperentur: quòd si animum & manus applicet executioni rei demandatæ in omni cordis simplicitate, Deus potiùs faciet miraculum, quàm subtrahat potentiam & vim complendi rem cœptam, eò quòd non agat viribus suæ propriæ confidentiæ, quam habeat in robore animi sui ad prosequendum rem inchoatam; sed quæ fundata sit super æstimationem, quam illa habet in donis sibi à Deo concessis. Atq; ita, facit apud se ipsam hunc discursum: si Deus me vocat ad statum adeò sublimis perfectionis, ut in vita hac non sit excellentior, quid me impediet, quò minus ad eam perveniam, siquidem certò scio, quòd is, qui opus meæ perfectionis incepit, etiam perficiet?

At, etiam atque etiam vide, ne in hoc sit aliqua

præsumptio, quia hæc confidentia nullum ponit obicem, quò minus non semper vigilemus & caveamus, ne fallamur; quin imò attentiores, vigilantiores, & solicitiores nos reddit ad faciendum id, quod nobis prosit, & promoveat nostram perfectionem.

Humilitas non solùm sita est in hoc, ut de nobis ipsis diffidamus, sed vel maximè ut Deo fidamus. Diffidentia nostri ipsorum, & nostrarum virium producit confidentiam in Deo; & ex hac confidentia nascitur generositas illa animi, de qua nobis est sermo.

Sanctissima Virgo, Domina nostra clementissima suppeditavit nobis ad hanc rem intelligendam exemplum maximè notandum & simul celebrandum, quando pronunciavit verba hæc: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, nam in hoc, quòd dicit *se esse Ancillam Domini*, exercet actum humilitatis ita magnum & excellentem, ut neque major, neque excellentior posset excogitari: quia opponit laudibus & encomijs, quæ ei tribuit Angelus, dum futuram Dei matrem asserit, & dum infantem, qui ex purissimo ejus utero egredietur, vocandum filium Altissimi adstruit (quæ dignitas major est, quàm unquam antè cogitari, & in mentem admitti potuerit) opponit, ut dixi, omnibus istis depredicationibus & excellentijs suam humilitatem & indignitatem, dicens SE ESSE ANCILLAM DOMINI.

Advertatis velim, quòd postquam persolvit debitum humilitatis officium, continuò exerceat praxim generositatis excellentissimam, dicens: FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM. Verum est (volebat illa dicere) me nullo pacto capacem esse istius gratiæ (respiciendo id quod ex me ipsa sum) sed in quantum bonum hoc, quod in me est donum Dei, & quod tu mihi dicis esse decretum sanctissimæ ejus voluntatis; credo, quod possit esse, & futurum sit, ac ideò, pulso omni dubio, dixit: FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM TUUM.

Nota lector quòd defectu hujus generositatis paucissimi exercentur actus veræ contritionis: quia postquam humiliati & confusi sumus coram divina Majestate, propter magnam nostram infidelitatem, multis in rebus non applicamus nos ad faciendum hunc actum confidentiæ, nos attollendo generosè ex assecuratione, quam habere debemus, futurum scilicet, ut divina bonitas nobis elargiatur gratiam, quâ posthac semper pergam⁹ esse fideles operarij, & perfectius ejus in nos amori respondeamus. Post hunc fiduciæ actum immediatè exerceri deberet actus generositatis, dicendo: quandoquidem certus sim, quòd gratia Dei mihi non sit defutura, volo etiam credere, quòd non sinet, ut meo desim officio, sed ejus gratiæ respondeam.

Sed

Sed dicetis mihi: si desum gratiæ, etiam illa mihi deerit; verùm est. Si igitur ita est, quis assecurabit me nunquam gratiæ defuturam, siquidem toties ei defui hactenus?

Respondeo à generositate hoc præstari animæ, ut audaciter dicat, omni rejecto timore: NON, NUNQUAM POSTHAC ERO INFIDELIS DEO: &, quia sentit in corde suo hanc resolutionem, ut nunquam velit esse infidelis, aggreditur, remota dubitatione, quidquid scit gratum Deo futurum absque ullius rei exceptione. Et dum omnia aggreditur excelso animo, credit se posse omnia, non ex se ipso, sed ex & in Deo, in quem proijcit omnem suam confidentiam: ac proinde facit & aggreditur intrepidè quidquid illi imponitur, & consilio suggeritur.

Sed & hoc à me petitis, an non aliquando permittatur dubitari, & discuti, an simus capaces ad exequendas res, quæ vobis præcipiuntur?

Respondeo generositatem animi nunquam permissuram, ut intremus in aliquam dubitationem. Vt autem melius intelligatis hoc, oportet distinguere (ut solitus sum vobis dicere) partem SUPERIOREM animæ nostræ ab INFERIORE. Quãdo ergo dico, quòd generositas nõ sinet nos dubitare, dictum hoc puta de parte superiori; fieri enim poterit, ut pars inferior redundet multis dubitationibus, & multùm difficultatis sit

habi-

habitura ad suscipiendum onus, quod imponitur: sed ista omnia, anima generosa flocci faciet, imò & irridebit, nulloq; loco habebit; sed simpliciter exercebit munus sibi impositum, nullo in contrarium edito verbo, neque in oppositum actionem aliquam exercebit, ad testificandum sensum & difficultatem, quam habere posset de sua incapacitate. At nos, qui nihil generosum audemus attentare, ita sumus læti, ut ad nostram lætitiam nihil addi posse videatur, quando testari possumus nos non parũ esse humiles, & parvi nos æstimare: & alia hujusmodi in medium proferimus, quæ nihil minus sunt, quàm vera humilitas: quæ nunquam sinit nos resistere judicio eorum, quos Deus ad nos gubernandos dedit. Posui in libro Introductionis exemplum unum, quod huic rei multùm servit, & bene notari debet. Est autem de Rege Achaz, ad quem redactum ad maximam afflictionem per crudele bellum, quod duo Reges ei, obsessâ Ierosolymâ, inferebant, Deus misit Prophetam Esaiam, ut eum ex parte sua consolaretur, promitteretq; futurum, ut victoriam reportaret, & gloriosè de suis hostibus triumpharet: Ad hæc adjecit Propheta, dicens: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra:* at Achaz diffidens de bonitate Dei, & liberalitate, dixit: *non petam, & non tentabo Dominum.* Sed homo versi-

pellis

pellis non id dicebat ad honorandum Deum, agebat ſiquidem contrarium, nolens eum honorare, eò quòd Deus illo tempore volebat glorificari per miracula; quòd Achaz recuſans non dignabatur ab illo vel unicum petere, quod tamen ſignificârat ſe velle facere. Vnde graviter offendit Deum, nolens obedire Prophetæ, quem Deus miſerat ad eì ſignificandam ſuam voluntatem. Nunquam vocare debemus in dubium, quòd nequeamus facere id, quod nobis præceptum eſt, eò quòd ſuperiores perbellè nôrunt noſtram capacitatem.

Sed mihi dicitis vos habere complures miſerias, & magno numero imperfectiones internas, quas noſtri ſuperiores fortaſſis maximè nôrunt, quibus decipi poſſent, dum forte, quæ foris parent, tantùm conſiderant?

Dico ego non ſemper nobìs eſſe credendum, quando impulſæ fortaſſis aliquâ puſillanimitate, dicitis vos eſſe miſerabiles, refertasq́; innumeris imperfectionibus; ſicut neque credi debet vos nullas habere, quando nihil dicitis, cùm ſitis ordinario loquendi modo, tales, quales veſtra opera vos manifeſtant.

Veſtræ virtutes ut cognoſcuntur ex fidelitate, quâ eas exercetis; ita imperfectiones per actus: Manente corde vacuo ab omni malitia, non poteſt ſuperiorum ſpiritus decipi. Sed Dicitis

iterum, complures ſanctos reperiri, qui ſeſe opposuerunt, & onera, quæ eis imponebantur, defugerunt. RESPONDEO, eo in genere id feciſſe illis non ſolùm cauſâ humilis exiſtimationis, quam de ſe ipſis habebant, ſed præcipuè ob eos, qui eis hujuſmodi onera, vel officia imponere volebant, & ſe fundabant ſuper quaſdam virtutes deforis ſolùm apparentes, ut ſunt jejunia, Eleemoſynæ, pœnitentiæ, & corporum aſperitates, non autem ſuper veras & internas virtutes, quas clauſas & tectas gerebant ſub velo ſanctæ humilitatis. Deinde petebantur, & poſtulabantur à populis, qui eos non cognoſcebant, niſi ex auditu & fama.

Adde, quòd in hoc caſu videatur permitti poſſe aliquis renixus & excuſatio. Sed ſcitisné cui? alicui Religioſæ ſeu filiæ Divionenſi, cui, exempli cauſâ, ſuperior Anneſſienſis mandat, ut ea agat aliarum ſuperiorem, cùm nunquam eam neque viderit, neque aliunde cognoverit: ſed filia, ſeu Religioſa apud nos inſtructa in rebus ſpiritualibus, cui idem mandaretur, nunquam deberet rationem ullam adferre, quâ notaretur repugnare mandato; ſed ſtatim incipere officium & munus ſibi demandatum adminiſtrare, & hoc tanta cum pace, & animoſitate, ac ſi judicaret ſe comprimis idoneam muneri tali adminiſtrando. Sed probè aſtum perſentiſco, ideò

recu-

recusamus, quia timemus, ne non cum nostri commendatione & honore, munere illo defungamur. Nobis tanti est fama & reputatio, ut non addiscentes, & tirones in hujusmodi officijs administrandis; sed Magistri, & Magistræ (qui nunquam à recto aberrent scopo) haberi velimus.

Nunc, ut reor, sat intelligitis, quid sit spiritus fortitudinis & generositatis, quem tantoperè hic intus apud nos in nostra Domo habere desideramus; ut procul in exilium ultra Garamantas & Indos, omnes nugas, & nimias teneritudines, mollitiesq; ablegemus. Ecquid mirum? eæ enim ad nihil aliud sunt, quàm ad nos in via Domini retardandos, & impediendos progressus in religiosa perfectione. Teneritates hujusmodi nutriuntur vanis reflexionibus, quas facimus super nos ipsos, præcipuè autem quando novimus nos impegisse in nostra via, committendo scilicet aliquem defectum. Nam hic apud nos, Deo sint laudes, nuuquam ex toto caditur, nunquam saltem adhuc id vidimus; esto subinde impingatur, & loco, quo nos deberemus humiliare svaviter, & deinde erigere fortiter (uti diximus) intramus in consolationem propriæ paupertatis, & supra hoc incipimus intra nos ipsas, nescio quas delicias & svavitates quærere, quin & apud nos ipsas exclamare: ò Deus! quàm sum

ſum miſera! & ad nihilum nata! poſt hoc venitur ad puſillanimitatem & animi abjectionem, quæ nos inducunt, ut dicamus: actum eſt de me, nihil amplius ex me poteſt ſperari; nunquam rem alicujus momenti facere potero; ea de re velle mihi multa dicere, eſt tempus perdere & inſuper ita ſumus conſtitutæ, ut videamur velle ſic relinqui, atque ſi certum eſſet nos nihil unquam facturas. Mi Deus, quàm hujuſmodi res remotæ ſunt ab anima generoſa, & quæ maximi facit, uti diximus, bona quæ Deus in nobis poſuit, quia neque difficultate itineris, quod reſtat faciendum, neque magnitudine operis, neque longitudine temporis, quod adhuc impendendum eſt, denique neque tarditate operis, quod cœptum eſt, frangitur.

Religioſæ Visitationis omnes vocatæ ſunt ad maximam perfectionem, & earum cœptum magno conſilio ſuſceptum eſt altius & ſublimius, quàm vel cogitari poſſe videatur. Ideò non ſolùm contendunt totis viribus ſe unire voluntati Dei, (ad quam faciendam & complendam etiam contendere debent omnes creaturæ rationales) ſed inſuper conantur ſe ejus deſiderijs, quin & intentionibus quàm arctiſſimè poſſunt jungere: intellige, fere etiam antequam eæ ſint illis ſignificatæ. Et ſi quid excogitari poſſet perfectius, & gradu uno majoris perfectionis, quàm ſit ſe

con-

conformare divinæ voluntati, desiderijs, & intentionibus, dubio procul contenderent gradum illum conscendere; siquidem eas propria vocatio ad id obligat: & ideò Devotio hujus Domus debet esse Devotio Fortis & Generosa, uti sæpius jam diximus. Verùm præter ea, quæ dicta sunt de generositate, hoc etiam adijciendum est, quòd ea anima, quæ eâ generositate prædicta est, æqualiter siccitates cordis, & teneritudines consolationis, tædia interiora, tristitias, oppressiones animi, sicuti favores & prosperitates mentis plenæ pacis & tranquillitatis, suscipit. Et hoc ideò, quia considerat eundem esse, qui sibi elargitus est consolationes, & immisit afflictiones; & quidem tam has, quam illas, impulsus eodem amore. Quem proinde permagni æstimat: propterea quòd per interiorem spiritûs afflictionem vult se attrahere ad summum perfectionis gradum, qui est abnegatio omnis omnino consolationis in vita hac, certò sibi pollicens futurum, ut idem Deus, à quo consolationibus privatur in hisce inferioribus terris, privatus æternùm non sit in cœlis.

Obijcietis mihi impossibile, vel saltem perdifficile vobis videri, ut in medijs hisce tenebris exactè fiant istæ considerationes, siquidem, ut vobis videtur, non possumus tunc, vel verbum unum dicere Domino Deo.

Reſpondeo, vos rationabiliter dicere, NOBIS ID VIDERI, quia verè res ſe non ita habet. Sacrum Tridentinum Concilium hoc determinavit, cui tenemur credere. *quòd neque Deus, neque ejus gratia nos unquam ita deſerat, quin ad ejus bonitatem poßimus recurrere, & contra omnem turbationem animæ noſtræ proteſtari, velle nos eſſe totas quantas illius, & nullo pacto eum unquam offendere:* Sed NOTATE hæc eſſe in parte ſuperiori animæ; quia pars inferior nihil percipit eo in genere, ſed manet ſemper in ſuo dolore & afflictione; hoc nos turbat, & facit, ut nos dignas æſtimemus omni commiſeratione. Et ex hoc incipimus tenereſcere in nobis ipſis, quaſi mereremur magnam commiſerationem, quòd ſimus ſine ulla conſolatione. Eho! quid agimus? conſideremus Chriſtum Dominum & Magiſtrum noſtrum voluiſſe exerceri hiſce interioribus tædijs, & modo prorſus incomparabili.

Sed audite verba, quæ protulit in cruce: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Reductus erat ad extremitatem, nihil enim in illo erat, quàm ſolum & unicum ſupremæ vitæ reſiduum, quod oppreſſum non eſſet maximis languoribus. Sed iterum NOTATE, quòd tunc inceperit loqui Deo, quo monſtraret non eſſe impoſſibile, quo minus etiam in tali conſtitutione poſitæ id facere poſſemus. Petitis quid melius ſit tali tempore, loquiné

quinè Deo de nostro dolore & miseriis, an verò ei quidem loqui, sed alijs de rebus? Vobis dico, quòd in hoc, sicut in omni alio genere tentationum, sit melius divertere spiritum ab interna turbatione, quam sentim⁹ & dolore, & loqui potius cum Deo alia de re, quàm de nostræ mentis cruciatu. Nam indubitanter, si ei loqui voluerim⁹ de nostra præsenti afflictione, non fiet id, quin simul teneritates aliquas cordi nostro imprimamus, augentes de novo nostros dolores: natura enim nostra sic est constituta, ut nequeat videre suos dolores sine magna sui ipsius commiseratione.

Verùm, vestro more dicetis, si id non faciatis, futurum, ut nulla ad id sit attentio, ac proinde non recordaturas vos ut aliquid dicatis: ecquid interest si nihil dicatis? sumus ne nos velut infantes, (qui ut supra dixi) multùm recreantur si possint dicere suæ Matri, quòd apicula una sibi aculeum infixerit, & hoc ideò, ut illa aliquid cõmiserationis ostendat, & sufflet supra malum, quod iam est sanatum: nam volumus adire matrem, ut ei dicamus nos plurimùm afflictas fuisse, quin & augemus nostram afflictionem referentes illam minutim, nullâ præteritâ circumstantiâ, quæ vel minimùm quid possit elicere cõmiserationis. An non hæ magnæ sunt puerilitates? si commisimus aliquas infidelitates, seu imperfectiones, bonum quidem est eas referre; si


autem fideliter & cautè egimus, etiam oportet dicere: sed breviter sine utriusque exaggeratione: oportet enim omnia dicere ijs, qui animas nostras dirigunt in viam salutis, sed modis debitis. Nunc mihi Dicitis, quòd senseritis magna incitamenta ad choleram, vel ad aliquam aliam tentationẽ, vos esse semper inquietas, & agi scrupulo, nisi id in confessione aperueritis. Dico ego vos posse referre, causâ vos declarandi, sed non per modum confessionis, sed ad accipiendam instructionem, qualiter eo in genere vos habere debeatis: dico ergo hoc permitti posse, quando deest plena notitia, an dederimus aliquem consensum. Nam si dicatis, Accuso Me, quod continuis duobus diebus habuerim magnos motus ad choleram, verum non consensi; vos confitemini vestras virtutes, loco, quo confiteri deberetis vestra peccata; at ideò id facio, ais, timens, ne aliquid mali commiserim.

Respondeo, videndum, & considerandum moraliter, an illud, quod Malum vocas, solido innitatur fundamento: fieri potest intra biduum te unius horæ quadrante negligentem fuisse in repellendo malo illo motu; si ita est, dic simpliciter te negligentem fuisse quarta parte unius horæ in reijciendo motu ad choleram incitante, nullo tamen dato pleno consensu: Omisso, quòd illa tentatio durârit duobus diebus. Nisi

id ideò

id ideò velis manifestare, vel ad accipiendam instructionem à Confessario, vel certè in aliqua annua conscientiæ recognitione: quod vix potest improbari.

Verùm, si loquamur de confessionibus ordinarijs, esset melius eam rem silentio involvere: siquidem id solùm refers in confessione, ut tibi satisfacias, esto aliquid molestiæ sentias id silendo. Illa verò molestiola ferenda est; ut multæ aliæ, à quibus te liberare non potes, nisi patiendo ad tempus.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO VI.

De discessu sororum Visitationis, quæ aliò se conferunt ad fundandam novam sui Instituti domum.



INter cæteras laudes, quas sancti attribuunt Abrahamo, sanctus Paulus hanc extollit super omnes alias: quòd *contra spem in spem crediderit*, Deus

ei promiſerat futurum, ut ejus generatio multiplicaretur uti ſtellæ cœli, & arenæ maris; & interea mandatum accipit immolandi filium. Bonus Abraham, audito hoc, afflictus quidem fuit, ſed non ideò ſpem amiſit, at ſperavit, *& credidit in ſpem contra ſpem*, ecquid credidit? quod etſi obediret mandato de filio ſuo è medio tollendo, & in ſacrificium offerendo, Deum non violaturum fidem ſibi datam, & promiſſam. Magna certè fuit ejus ſpes; nullus enim occurrebat modus & ratio, cui ea ſpes inniteretur, niſi datum ſibi Dei verbum. O quàm verum & ſolidum fundamentum eſt Dei verbum, quia infallibile! pergit ergo Abraham, ut compleat Dei voluntatem, & hoc cum ſimplicitate nulli ſecundâ; non enim plus fecit difficultatis, neque attulit excuſationis, quàm eo tempore, quo Deus ei dixit: *egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi*, nullam ei terram in ſpecie nominando, ut eò majori cum ſimplicitate divinæ providentiæ navim conſcenderet. Ambulans igitur ſpatio trium dierum & totidem noctium cum filio ſuo Iſaac, portante ligna pro ſacrificio: anima hæc tota quanta innocens quæſivit ex Patre ubi eſſet *victima holocauſti?* dixit autem Abraham: *Deus providebit ſibi victimam holocauſti, fili mi.* O Deus! quàm eſſemus felices, ſi poſſemus nos aſſvefacere ad
dandum

dandum cordibus nostris tale responsum, quando jactantur fluctibus solicitudinis & curæ alicujus rei adversæ! Deus providebit, & post hoc non amplius turbaremur, non excruciaremur, neque comprimeremur plus quàm Isaac, qui tacuit, postea, credens Dominum provisurum de victima, uti pater illi dixerat. Magna profectò esse debet confidentia, quam vult Deus nos ponere in sua paterna cura, divinaq; providentia. Sed, quidnî talem poneremus, nemo siquidem unquam fuit deceptus? Nemo unquam confidit Deo, & non recepit fructus suæ confidentiæ. Dico hæc inter nos; nam quod attinet ad homines mundanos, rarò eorum confidentia est sine aliqua diffidentia: quo dato, nullius est valoris coram Deo.

Consideremus, obsecro, id, quod Dominus & Magister noster dicit Apostolis, ad stabiliendos illos in hac sancta & amorosa confidentia Lucæ 22. 15. *Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis numquid aliquid vobis defuit? & dixerunt, nihil; ite ergo, inquit ille, & nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? neque etiam cùm ducemini propter me ad Præsides & Reges, cogitetis quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Quod autem ad alia, cibum, potum, vestimenta &c. attinet, *nolite soliciti esse, scit enim pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis.*

Sed

Sed ſum oppidò rudis (dicet quæpiam è noſtris Sororibus) neſcio quomodo agendum, & loquendum ſit cum Dominis & Potentatibus, careo doctrina. Reſpondeo: nihil refert, in DEO confide: dixit enim: *nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? etſi oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Putatisné, quòd is, qui curam gerit avium cœli, & eſcam ijs ſubminiſtrat, ſicut & aliïs terræ animantibus, *quæ non ſeminant, neque metunt*, oblivifcetur aliquando providere de neceſſarijs homini, qui confidit pleniſſimè in ejus providentia, maximè cùm is capax ſit & aptus ad unionem cum ſummo bono ineundam?

Hæc, chariſſimæ ſorores, agenti mihi de veſtro diſceſſu viſa ſunt digna, quæ in medium adferrem: nam licet capaces non ſitis dignitatis Apoſtolicæ, ob veſtrum ſexum, tamē aliquo modo eſtis capaces officij Apoſtolici; dum pluribus in rebus, Deo poteſtis ſervire, procurando ſingulari modo augmentum eius gloriæ; prout procurârunt Apoſtoli; certè, Filiæ chariſſimæ, hoc vobis debet eſſe excellens motivum ad magnam conſolationem, quòd Deus dignetur veſtra opera uti in re tam eximia, quàm eſt vocare vos ad tantam dignitatem. Ob hoc beneficium, quo Deus vos honoravit, magnas gratias agere debetis divinæ eius Majeſtati. Quid enim eſt,

quod

quod Deus à vobis desiderat, nisi illud ipsum, quod disponebat & exigebat ab Apostolis, quando eos mittebat in mundum, eo modo, quo ipse Christus in mundum missus fuit à Patre, scilicet ut vitam daret hominibus: & non tantùm hoc inquit, *sed ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*; quod præstitit dando illis gratiam: Apostoli missi sunt à Christo eadem de causa per universum orbem: dixit enim illis Dominus: *sicut misit me Pater, ita mitto vos.* Ioan: 10. *Ite & date vitam hominibus*; sed in hoc, ne conquiescat vestra opera: sed insuper efficitote, ut vivant vitâ perfectiori, mediante doctrinâ, quam eis impertiemini. Vitam autem habebunt credendo in meo verbo, quod ijs exponetis: sed habebunt vitam abundantiorem per bonum exemplum quod ijs exhibebitis. Nec solicitæ sitis si laborem vestrum, quem impenditis, non sequatur fructus. Non enim à vobis exigetur fructus, sed solùm quæretur an fideliter terris siccis & sterilibus excolendis vos impenderitis.

Non quæretur ex vobis an multùm messis in horrea Domini intuleritis; sed tantummodò an solicitè & accuratè, proque viribus agrum Domini excolueritis.

Eodem modo, charissimæ Filiæ, mittimini nūc huc, & nunc illuc ad loca diversa, ut homines vitam habeant, & abundantius habeant, & cum

Aucto-

Auctore vitæ vivant sempiternùm. Nam quid aliud faciendum à vobis requiri potest, quàm ut conemini homines imbuere notitiâ perfectionis vestri Instituti: & mediante hac notitiâ attrahere complures animas ad amplectendam omnem disciplinæ & observationis rationem in dicto Instituto comprehensam ac inclusam? sed hoc nó concionando, non Sacramenta administrando, non peccata remittendo, quia ista facere erat Apostolorum. Cæterùm dum facitis, quæ vestri sunt Instituti, nonné vitam hominibus datum itis? sed proprius adhuc vobis loquendo, nonné itis datum vitam centenis ac centenis filiabus, quæ vestro fortè exemplo allectæ ad vestram Religionem sese aggregabunt, quæ manendo in mundo, quis scit an non perijssent? cùm in Religione vivendo, post mortem in omni æternitate incomprehensibilibus cœli delicijs perfruituræ sint?

Nonné sic agendo per vos vitâ donabuntur? in qua vivent vitâ abundantiore, vitâ inquam, perfectiore, Deoque gratiore, id est, quæ eas efficiet capaces perfectissimæ unionis cum divina bonitate. A vobis enim ita instruendas spero, ut acquirant verum & purum Dei amorem, qui est vita abundantior, quemque Dominus suo in mundũ adventu dedit hominibus. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* & a-

& alio in loco mandat ut ignis incessanter ardeat super suum altare, nec unquam extinguatur, ad ostendendum quo ardore desideret, ut ignis sui amoris semper luceat super altare cordis nostri.

O quantam gratiam Deus vobis facit, dum vos quasi munere Apostolico dignatur, si non omnino dignitate, certè officio & merito, non equidem concionando (sexus enim vester id non permittit) ut Sancta Maria Magdalena, Sancta Martha eius soror, quæ aliquando id muneris obiverunt: sed non ideò intermittetis exercere officium Apostolicum in communicatione vestri modi viuendi, prout iam dixi. Ite igitur bene animatæ ad faciendum id, ad quod estis vocatæ, sed ite in simplicitate cordis. Si quas apprehensiones & difficultates habetis, dicite animæ vestræ DOMINUS PROVIDEBIT: si considerationes debilitatis vestræ vos molestant, proijcite cogitatum vestrum in Domino, & ei confidite.

Apostoli erant piscatores, & ut plurimùm homines rudes & ignari, Deus eos effecit doctos & sapientes quantum erat necessarium officio & muneri, quod illis volebat committere: confidite in illo, innitamini eius providentiæ, & nihil timeatis, nec dicatis, non habeo talenta ad loquendum, &c.

Respondeo, nihil refert, ite, nullo facto discursu, quia Deus vobis elargietur quidquid vobis neces-

necessarium erit ad dicendum & legendum suo loco & tempore. Quod si non habetis virtutem, nec experimini intra vos habere, ne ob id contristemini : nam si ad gloriam Dei promovendam, & ad satisfaciendum obedientiæ, aggrediamini vel curam animarum, vel aliquod aliud exercitium, qualecunque illud sit, Deus geret curam vestri, & veluti obligatus vobis, providebit de omni eo, quod erit necessarium tam vobis, quàm illis, quarum curam vobis ille per vestros superiores commiserit.

Verum est, rem esse magni ponderis & momenti, quam suscipis; at male ageres, si bonum exitum ex ea non sperares, tua siquidem electione non suscepti, sed amore & studio satisfaciendi obedientiæ. Dubio procul causam habemus timendi non minimam, quando nos ambimus, & quærimus munera & officia, sive in Religione, sive extra, quæ nobis procurantibus conferuntur. Sed (hoc non interveniente) submittamus humiliter colla nostra jugo sanctæ obedientiæ, & complectamur toto corde onus, quod nobis imponitur : humiliemus etiam nos, quod quidem omni tempore faciendum est, sed simul & semper meminisse debemus stabiliendum esse generositatem super actus humilitatis; alioquin actus illius nullius erunt momenti.

Difficile dictu est, quantopere desiderem in-

ſculpere in nobis VNAM, ut vocant in ſcholis, MAXIMAM, ſeu, quod idem eſt, AXIOMA, tantæ utilitatis, quantam neſcio an aliquid aliud poſſet adferre. Quod AXIOMA eſt: NIHIL PETERE, ET NIHIL RECVSARE. Omnino, Charæ Filiæ, nihil petatis, & nihil renuatis; accipite autem quod vobis dabitur, ſed ne petatis, quod vobis non offertur. Hoc ſi accuratè in praxim deduxeritis, eximiam pacem animabus veſtris invenietis: omnino: REPETO, CONSERVATE CORDA VESTRA IN ISTA SANCTA INDIFFERENTIA, accipiendo quidquid vobis dicetur & imponetur, ne autem deſideretis id, quod vobis non datur. VNO VERBO DICERE VOLO NIHIL DESIDERETIS, at vos ipſas DESERATIS, & veſtram curam pleniſſimè & perfectiſſimè proijcite in Dei providentiam, ſinatiſque eum facere de vobis, (ſicut faciunt innocentes parvuli, ſinendo ſe gubernari à ſuis Matribus, ſeu nutricibus) portet Deus vos ſupra brachium dexterum, vel ſiniſtrum prout illi libuerit, ſinite illum facere, nam infans nullo modo queretur vel offendetur, locetur in lecto, vel inde pro libitu tollatur, ſinatis eam agere, quia bona eſt ipſa, quid vobis deſit, quidque expediat.

Volo dicere: ſi divina providentia ſinit vobis evenire afflictiones, vel mortificationes: nolite eas recuſare, ſed magno & ardente animo, nec

non ſedata mentis tranquillitate accipite; ſin autem vobis non immittat, neque evenire ſinat, ne eas deſideretis, multoque minus petatis. Eodem modo ſi vobis eveniunt conſolationes, eas accipitote cum magna gratiarum actione & recognitione beneficij à divina bonitate profecti. Quod ſi vobis non eveniant, ne eas deſideretis; at conemini cor bene diſpoſitum in promptu habere, ad recipienda eodem animo diverſa eventa à divina providentia immiſſa.

Si officia aliqua adminiſtranda dentur vobis in Religione, quæ videantur periculoſa, ut ſunt præeſſe cum auctoritate charitate plena, ne ea detrectetis; ſin autẽ non imponantur, ne deſideretis vobis imponi, & ſic de omnibus alijs rebus. Intelligo autem de rebus terrenis, nam quod attinet ad virtutes, eas poſſumus, & debemus deſiderare, & à Deo ardenter petere; Amor autem Dei omnes illas comprehendit; non poteſtis credere, ſi expertæ non eſtis, quantum hæc praxis adferet profectûs animabus veſtris. Nam loco, quo vos occuparetis deſiderando hos modos, & deinde alios ad vos perficiendos, ſimplicius & fidelius vos applicabitis ad eos, qui vobis in via domini ambulantibus occurrent.

Conijciens oculos in veſtrum ab invicem diſceſſum, & inevitabiles dolorum ſenſus, quos habebitis, ubi fiet ſeparatio unius ab altera, credo

me

me operæ pretium facturum, si pauca quædam ea de re dixero: quæ imminuere poterunt dolorem: quamvis nolim dicere eum dolorem, & sensum esse illicitum, imò paucis lacrymis indulgeri posse censeo; cùm vix sit in nostra potestate secus facere, postquam tam svaviter & tam amicabiliter, sat longo tempore in praxi eorundem exercitiorum commoratæ estis. Quæ exercitia adeò univerunt animos vestros, ut ægrè admodum patiantur divisionem, aut separationem. Neque, Charæ Filiæ, eritis divisæ neque separatæ, nam omnes eunt, & omnes manent; quæ eunt, manent, & quæ manent, eunt: non quidem in sua propria persona, sed in persona earum, quæ discedunt. Eodem modo, quæ ibunt remanebunt in persona earum, quæ remanent.

Vnus è præcipuis fructibus Religionis est hæc sancta unio, quæ fit per charitatem; quæ & talis est, ut ex pluribus cordibus unum efficiat, & de pluribus membris non nisi unum corpus constituat: omnia taliter unum sunt facta in Religione, ut omnes Religiosi unius Ordinis non sint (ut videtur) nisi unus Religiosus. Sorores domesticæ cantant divina officia in persona earum, quæ sunt ad hoc faciendum dedicatæ; sicut aliæ administrare consveverunt. Rationem quæris? est perquam evidens, quia si illæ, quæ sunt in choro ad cantanda divina officia non essent, aliæ earum

loco essent; si autem non essent sorores, domesticæ ad præparandas suis temporibus corporum refectiones necessarias, sorores, quæ addictæ sunt choro, ad domestica applicarentur, si talis & talis soror non esset superior, esset alia aliqua; eodem modo eæ, quæ se conferunt aliò, manent, & quæ manent, abeunt: nam si eæ, quæ ad eundum aliò designatæ sunt, non possent ire, quæ remanent, deberent earum loco ire; quod autem inducere debet nos ut eamus, & æquè libenter maneamus: charæ filiæ, est certitudo propè infallibilis, quam habere debemus quòd separatio hæc non fit, nisi quoad corpus; nam quantum ad animam, semper arctissimè & unicè unitæ adinvicem manebitis. Exigua res est separatio corporalis, quæ facienda esset aliquando, sive vivamus diu, sive moriamur citò: sed separatio cordium, & discordia mentium ea sola est timenda.

Quod autem ad nos attinet: non solùm ad invicem semper erimus unitæ, sed insuper sanctæ charitatis vinculum in dies magis ac magis augebitur, & juxta mensuram, quâ in via propriæ perfectionis progrediemur, illud renovabitur. Nam efficiendo nos ipsos capaces unionis cum Deo, arctius etiam nos inter nos uniemur: dum quavis communione dignè à nobis obitâ, nostra unio evadet perfectior, de quo nemo sanæ men-

tis

tis dubitare poteſt. Sic ſacra receptio panis cœleſtis, & ter adorandi ſacramenti vocatur communio, id eſt (ſi vim & ſignificationem vocabuli Gallici comme-union ſpectes) quaſi unio. O Deus, qualis eſt illa unio, quæ reperitur in quovis Religioſo eiuſdem Ordinis! talis ſcilicet, ut bona ſpiritualia non aliter ſint permixta, & in unum commune redacta, quàm bona exteriora. Intelligite quæ dico.

Religioſus nihil habet in particulari, quod ſuum ſit, ob votum voluntariæ paupertatis ſacroſanctè Deo oblatum, & per ſacram, quam faciũt Religioſi, ſanctiſſimæ charitatis profeſſionem, omnes eorum virtutes ſunt communes, & omnes efficiuntur omnium in communi bonorum operum participes, eorumque fructu omnes in perpetuas æternitates perfruentur, dummodò maneant ſemper in charitate & obſervatione Regularum ſuæ Religionis, ad quam Deus illos vocavit, ita, ut is, qui verſatur in officio domeſtico, vel in quocunq; alio exercitio, contempletur in perſona illius, qui in choro erat; qui autem labore vacuus quieſcit, participat de labore alterius, qui ex præſcripto ſuperioris laborando ſe exercet.

Videtis igitur, meæ charæ filiæ, quomodo eæ, quæ eunt aliò, manent, & aliæ, quæ remanent, aliò ſe conferant: videtis & quantopere debeatis omnes complecti æqualiter, amanter, & animoſè

obedientiam; & id tam hac occaſione, quàm quavis aliâ. ſiquidem eæ, quæ remanent ex obedientia, partem laboris & fructus itineris earum quæ diſcedunt, habituræ ſunt, ſicuti & illæ bonum tranquillitatis & pacis earum, quæ remanent, ſunt participaturæ.

Dubio procul, charæ filiæ, omnes multis indigetis virtutibus, multâ curâ eas bene excolendi, & in praxim deducendi, tam ad abeundum, quàm ad manendum. Nam, quæ hinc diſcedunt, magno debent eſſe animo, & Deo intimè confidere ad ſuſcipiendum amanter & cum ſpiritu humilitatis id omne, quod Deus ab illis expoſcit: vincendo omnem ſenſum & renixum, quæ eis poſſent evenire, in relinquendo v. g. Domum, in qua Deus primò illas collocavit, Sorores etiam, quas magno amore proſequebantur. Et quarum converſatio earum animabus erat magnæ conſolationi; addo & tranquillitatem ſui receſsûs, quæ perchara eſſe ſolet; parentelam etiam & cognationem, & quoſque familiariter notos, & alias neſcio quas res plures, quibus natura libenter adhæret, quamdiu hac in vita ſumus.

Quæ remanent, eodem modo excelſo & infracto egent animo, tam ad perſeverandum in praxi ſanctę ſubmiſſionis, humilitatis, & tranquillitatis, quàm etiam ad ſe præparandas ad migrandum aliò, ſi ijs demandetur; ſiquidem, ut videtis, ve-

ſtrum

ſtrum INSTITUTUM ad omnes partes, & loca valde diverſa ſe diffundit & extendit: eodem modo opera vobis danda eſt, ut & intenſione & numero creſcant in vobis actus virtutum: unde & animos veſtros dilatare debetis, & capaces vos efficere, quæ applicari valeatis ad ea, quæ veſtri ſunt INSTITUTI, juxta omnem DEI voluntatem.

Dum reſpicio & conſidero initia veſtri Inſtituti, videntur peraptè repræſentare hiſtoriam Abrahami: nam poſtquam DEUS ei promiſit multiplicationē ſuæ familiæ & generationis adinſtar *ſtellarum, quæ ſunt in firmamento, & arenarum, quæ ſunt in littore maris*, mandat illi nihilominus, ſibi ut ſacrificet filium ſuum, per quem DEI promiſſum compleri debebat. Abraham ſperavit & ſe ſolidavit in ſua ſpe contra ipſammet ſpem, quæ tamen ſpes minimè fuit vana, ſed comprimis fructuoſa, & re adimpleta.

Eodem modo quando tres primæ hujus Inſtituti Sorores, agitabant, & ſe diſponebant ad amplectendum præſentis vitæ genus, Deus ab omni æternitate irrevocabiliter ſtatuerat benedicere earum generationi; ijsq; unam præparare & dare magnopere multiplicandam. Sed quis credere potuiſſet hoc, ſiquidem dum incluſæ hærerent, nobis ſvaſoribus, in exiguo ſuo domicilio, nihil aliud intendebamus, nec expectabamus, quàm eas inducere ad moriendum mundo, &

ejus vanitatibus? fuerunt autem ſacrificatæ, imò ſe ipſas voluntariè ſacrificarunt: unde DEO ita placuit earum ſacrificium, ut non ſolùm eis dederit novam vitam pro ipſis, ſed vitam ita abundantem, ut eam, ejus gratiâ adjutæ & fortificatæ, communicârint pluribus animabus, uti hodie gaudentes factum videmus, & ob hoc DEUM uno animo, uno corde, & voce laudamus ac benedicimus.

Videntur mihi tres primæ illæ ſorores præclarè repræſentatæ per tria grana tritici, quæ inventa ſunt in medio ſtraminis, quod erat ſupra currum Triptolemi, & quod ejus armis conſervandis ſerviebat: dicta enim grana delata in regionem, ubi non erat triticum, in terram jacta, in tantum multiplicata ſunt, ut intra paucos annos tanta iſtius frumenti copia fuerit, ut omnes terræ illius regionis conſitæ & proſeminatæ fuerint. Providentia Dei Optimi Maximi manu ſuâ jecit tres iſtas filias in terram VISITATIONIS, quæ & manentes aliquantulo tempore in ea abſconditæ ab oculis mundi, fructum talem, qui nunc omninm patet oculis produxerunt, ut intra breve tempus omnis ferè hæc patria videatur participatura de donis veſtri Inſtituti.

O quàm felices ſunt animæ illæ, quæ verè & abſolutè Dei ſervitio ſe dedicant; nam Deus nunquam patietur eas eſſe ſteriles, neque infructuo-

ctuosas! gerras enim, & nugas, imò & nihilum, quod propter Deum relinquunt, ijs compensat incomparabilibus divitijs tam in hac vita, quàm in altera. Quæ, & quanta, amabò, non est gratia posse impendi servitio animarum, quas Deus tam charas habuit, & pro quibus salvandis Christus Dominus tanta passus est? Est is honor nulli secundus; proinde, charæ meæ filiæ, id maximi facere, & vos fideliter impendere, nullique labori aut curæ unquam parcere debetis. Nam abundè omnia cœlitùs compensabuntur. Nolim tamen hoc motivum, ut servitio Dei vos seriò addicatis, esse primarium: sed ut Deo gratiores evadatis, & ejus gloriam modis possibilibus augeatis.

Ite igitur, constanter & animosè agentes, quod agere vobis incumbit ex vocatione: neque cunctemini ob id, quod non videatis in vobis omnia necessaria officio, quod impositum vobis est administrando. Dicere volo, talenta propria ad onera vobis commissa ritè exequenda. Melius est nos in nobis ea non videre; hoc siquidem intra humilitatis & modestiæ limites nos continet, & occasionem præbet, & nostris viribus, & nobis ipsis diffidendi; insuper inducit nos ad jactandam absolutè totam nostram confidentiam in Deum. Quamdiu non egemus praxi alicujus virtutis, melius est nos eam non habere; quando autem ea egebimus (suppono nos fide-

liter uti ijs, quarum in præsenti praxim habemus) certi simus Deum quamcunque rem necessariam suo tempore & loco nobis daturum. Caveamus proinde ne quicquam nihil ad rem faciens, desideremus aut prætendamus, sed omnimodè proijciamus nos totas quantas inter brachia divinæ ejus providentiæ, & sinamus ut opera nostra utatur juxta beneplacitum divinæ suæ voluntatis. Nam ad quod propositum, rem unam desiderare potius, quam aliam, nonné omnia acceptare debemus sine ullo discrimine? Modò Deo placeamus, & divinam ejus voluntatem amemus, nonné id nobis sufficit?

Ad me quod attinet, miror, quî fiat, ut magis inclinemur, ut huic rei potius applicemur, quàm cuicunque alteri, dum votis obstricti in Religione vivimus! præsertim verò ubi officium aliquod & opus quodcunque (bonum tamen) tam gratum est Deo, atque aliud: obedientia siquidem est, quæ exhibet pretium & valorem exercitijs Religiosis. Pone; nobis dari electionem assumendi occupationes & officia quæ vellemus: dubio procul abjectiora essent desiderabiliora, & quæ amorosius, præ cæteris, essent amplectenda. Verùm cùm electio rerum non sit in nostra potestate, eodem cordis affectu hæc æquè ac alia, totis ulnis amplecti deberemus. Quando munus quod nobis confertur est honorabile in oculis homi-

hominum, nos humiliemus coram Deo; quando autem abjectum est coram hominibus, eò magis putemus nos honorari coram Deo.

Tandem, charæ filiæ, quæ vobis dixi, in pretio omni cum fidelitate habetote, sive ea respiciant interiora, sive exteriora; nil concupiscatis, nisi quod Deus vult vos concupiscere: amplectamini autem omni cum amore euenta rerum, & diversos effectus divinæ voluntatis, non adhærendo ullo modo rebus alijs.

Post hæc, charæ sorores, quid amplius possem vobis dicere, siquidem videtur tota nostra felicitas sita esse in amabili eorum, quæ dixi, praxi. Repræsentabo tamen vobis exemplum Israëlitarum & cum eo finiam.

Hi cùm longo tempore fuissent sine Rege, eos invasit desiderium, aliquem habendi (magnus lapsus & cæcitas humani intellectûs?) quasi verò Deus eos reliquisset sine ductore, vel nō ipsemet Deus suscepisset curam eos regendi, gubernandi & defendendi? Accesserunt igitur Prophetam, eique dixerunt: *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant vijs tuis; constitue nobis Regem ut judicet nos, sicut & universæ habent nationes: displicuit quidem sermo iste in oculis Samuelis*, oravit tamen Dominum pro eis, qui irritatus hunc in modum per Prophetam curavit eis responderi: *nunc vocem eorum audi: veruntamen contestare eos, & prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos*, scilicet quod ille qui *eis imperaturus est, filios eorum*

tollet,


tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos & Centuriones, & aratores agrorum suorum, &c. filias quoq; vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas.

Christus Dominus, charæ sorores, idem faciet ijs, qui se ejus servitio dedicant, nam (ut videtis in Religionibus) sunt diversa munera & officia: sed quid est, quod volo dicere? Nihil aliud, nisi quod videatur divina Majestas vos, quæ hinc abituræ estis, pro focarijs, vel unguentarijs elegisse: ita omnino vos elegit: nam præfectæ & præpositæ estis ex parte illius odoribus virtutum vestri Instituti suavissimis, per loca, ad quæ vos conferetis, dispergendis & emittendis. Et quemadmodum Puellæ juvenes amant unicè bonos odores (uti dicit sacra dilecta, seu amica Sponsi in Canticis Canticorum c. 1. v. 2. & seqq. *oleum effusum nomen tuum,*) vel balsamum, quod omnes in partes spargit odores infinitè gratos. Addit: *adolescentulæ dilexerunt te nimis* (tractæ current in odorem unguentorum tuorum) Efficitote, charæ sorores, ut, velut unguentariæ divinæ bonitatis hinc abeuntes, ubique diffundatis odorem incomparabilem sincerissimæ humilitatis, suavitatis, & charitatis, ut complures puellę juvenes trahantur ad vos sequendas; & hoc per suavitatem vestrorum odorum & genus vitæ, quod vos elegistis, eligant & ipsæ, & totis ulnis illud complectantur, cujus beneficio (uti vos) in hac vita, a-

mabili

mabili & ſancta pace, animæque tranquillitate; ac poſteà beata felicitate in æternũ perfruantur.

Vestra Congregatio eſt inſtar aluearis apum, quod jam diverſa examina emiſit ejecitúe, hac tamen differentiâ, & conditione tantâ, ut, quæ egrediuntur apes, ſe recipiant in aliud alvearium, ibiq; novam domum incipiant. Quodvis examen particularem ſibi eligit Regem, ſub quo militet, ſeque recipiat. At, quod vos attinet, charæ animæ, quamvis intretis recipiatiſque vos in novum alveare (id eſt eatis incipere novam domum veſtri Ordinis) nihilominus non niſi unum Regem ſemper habetis, qui eſt Chriſtus Dominus crucifixus, ſub cujus auctoritate, vexillo, & protectione quocunque vos conferetis, ſecuræ vitam traducetis: nolite timere ne quidpiam vobis deſit, ſemper enim erit vobiſcum, quãdiu, eo relicto, alterum non eligetis: ſolùm diligenter curatote, ut creſcatis ſemper amore & fidelitate erga divinam ejus bonitatem, ei adhærendo quàm fieri poteſt proximè, arctiſſimèque, quo fiet, ut omnia proſperè vobis eveniant. Ab eo diſcite, quidquid vos ſcire opus eſt; nihil feceritis ſine ejus conſilio; eſt enim amicus ille fidelis, qui vos ducet & gubernabit, veſtrique curam accuratiſſimè geret, uti toto corde meo eum ſupplex oro.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO VII.

In qua proprietates columbarum applicantur animæ Religioſæ per modum legis.

PEtijſtis à me in principio hujus anni aliquas novas leges: Vnde conſiderans apud me, quas vobis comprimis utiles, & minimè ingratas dare deberem, conjeci oculos meæ conſiderationis in Evangelium, quod hodie legitur, & fit in eo mentio baptiſmi Domini noſtri, & glorioſæ apparitionis Spiritûs ſancti in forma columbæ: ſuper quam apparitionem ſubſtiti, & conſiderans Spiritum ſanctum eſſe amorem Patris, & Filij, decrevi vobis dare leges totas quantas amoris plenas. Eas deſumpſi ex columbis, motus dignatione & humilitate Spiritûs ſancti, qui dedignatus non fuerit aſſumere formam columbæ. Sed & magis me movit, quòd omnes animæ, quæ dedica-

tæ ſunt

tæ sunt servitio divinæ Majestatis, castæ esse obligentur, ad instar amorosarum columbarum.

Sic in Canticis Cãticorum videmus sponsam sæpe columbæ nomine nuncupari: & hoc omni jure; magna enim est convenientia inter qualitates columbæ propriè dictæ, & amorosæ Christi columbæ. Leges columbarum gratissimæ sunt: estque meditatio svavissima illas considerare: Ecquæ, amabo, pulchrior est lex, quàm honestatis? nihil autem honestius est columbis: merentur omnem admirationem, quæ, quamvis nihil sit sordidius columbarijs & locis, in quibus nidificant, tamen nunquam visa est columba vel minimâ sordium maculâ infecta: semper est videre plumas earum mundas & pulchras instar lilij, quæ plumæ soli oppositæ mirum in modum recreant oculos & animos intuentium.

Considerate, obsecro, quantopere lex simplicitatis earum sit accepta: nam ipsemet Dominus laudavit; dicens: *estote simplices sicut columbæ, & prudenses sicut serpentes.*

Tandem considerate, qaàm grata sit lex mansuetudinis, quæ si in ullis animalibus relucet, in his quàm maximè: sunt enim sine felle & amaritudine. Sunt & aliæ trecentæ leges, quæ & infinitè sunt amabiles, & incredibiles adferunt utilitates ijs animabus, quæ in Religione specialiori servitio divinæ bonitatis sese dedicârunt,

Verùm

Verùm consideravi non dandas vobis ullas, quia si darem aliquas, quas jam habetis, hæ non magni fierent: proinde tres solummodò elegi, quæ talia suis accuratis cultoribus adferunt emolumenta, qualia non sit facile invenire; quæ & maximâ svavitate afficiunt animam se considerantem (quia totæ quantæ constant amore) & eximijs delicijs spiritualibus eandem ad perfectionem cœlestis vitæ tendentem perfundunt.

Tria sunt secreta, quæ tantò sunt excellentiora ad acquirendam perfectionem, quantò minus sunt cognita ijs, qui profitentur se omni studio eam inquirere, vel minimùm majori eorum parti. Sed dic, quales ergo sunt leges istæ?

I. Quam designavi vobis dare, est de columbis, quæ omnia faciunt in gratiam sui columbi, in sui autem ipsarum nihil. Videntur nihil aliud dicere, nisi *dilectus meus columbus totus est meus, & ego tota illius, & semper conversus est ad me, ut de me cogitet; & ego expectans, totam mei curam illi permitto. Eat ergo quærere dilectus meus columbus, ubicunque, quocunque, & quæcunque ei placuerint; ejus amor nunquam mihi erit suspectus, sed plenè mei curam ei confidam.*

Videritis fortasse aliquando, sed vix notaveritis columbas toto tempore, quo incubant ovis, nunquam inde se movere, nisi postquam parvulos suos pullos excluserint, quos ubi exclu-

serint,

ſerint, calefaciunt, & fovent quamdiu neceſſarium eſt. Intereà autem temporis columba non it quoquam, nec quidquam colligit ad ſe nutriendam; ſed totam curam relinquit dilecto ſuo compari: qui adeò illi eſt fidelis, ut non ſolummodò volet ad colligenda grana ad eam ſuſtentandam, verùm etiam ſuo roſtro ei fert aquam, quâ eam adaquet. Quid multis? gerit curam maximam, ut ei nihil neceſſarium deſit. Dixi, maximam, quia nunquam animadverſum eſt, quod aliqua columba eo tempore, quo incubat, mortua fuerit defectu rerum ad nutritionem neceſſariarum. Columba facit totum in gratiam ſui columbi: fovet ova calefaciendo: & hoc deſiderio ei placendi, dandique ex ſe generationem, ac poſteritatem; columbus autem omnem aſſumit curam paſcendi eam columbam: quæ omnem ſui curam illi commiſit. Breviter nihil aliud movet animo, quam vt placeat ſuo compari, & viciſſim columbus nihil cogitat, agitque animo & corpore, quàm ut eam ſuſtentet. O quàm grata & fructuoſa eſt hęc lex, quæ nihil agendum, niſi propter DEUM, & totam ſui curam illi committendam prudentiſſimè docet!

Nec loquor ſolùm de eo, quod reſpicit temporale (nolo enim de eo loqui; notum enim nobis eſt de ſola re ſpirituali nos loqui) ſed loquor de eo, quod ſpectat ſpirituale, & progreſ-

ſum animarum in perfectione. Heus, nonné videtis columbam nil aliud animo volvere, niſi dilectum ſuum columbum, ut ei placeat, non ſe movendo ab ovis excludendis, & calore fovendis, & tamen nihil ei deeſt, ille enim, columbus ſcilicet, in compenſationem ſinceræ ejus confidentiæ, omnem aſſumit illius curam. O quàm & nos felices eſſemus, ſi omnia noſtra faceremus in gratiam amabiliſſimi noſtri columbi, qui eſt Spiritus ſanctus! tunc enim ille noſtri curam ſuſciperet; quò enim noſtra confidentia, quâ quieſceremus in ejus providentia, erga illum eſſet major, eò etiam majorem curam extenderet ſupra omnes noſtras neceſſitates; & tunc nihil omnino eſſet timendum, ne Deus in aliquo nobis deeſſet; immenſus enim ejus eſt amor in animam, quæ in eo plenè conquieſcit.

O quàm felix eſt illa columba, quæ tantam confidentiam ponit, habetque in ſuo compari! illud, illud eſt, quod eam vivere facit in admiranda pace & tranquillitate. Sed centies millies beatior eſt anima, quæ relinquens omnem ſui curam, & eorum omnium, quibus indiget, dilecto ſuo columbo committit; aliud non cogitat, quam incubare, & fovere tum ova, tum pullos ad ei placendum, eumque patrem poſteritatis efficiendum; nam fruitur in hac vita tranquillitate & pace adeò magna, ut ei nulla valeat comparari, ſi-

ri, ſicut nec æqualis pax inveniri in hoc mundo; ſed ſolummodò in regionibus ſupernis, ubi plenè fruetur caſtis amplexibus cœleſtis ſui ſponſi.

Sed obſecro, quid ſibi vult hoc, quòd oporteat nos incubare noſtra ova, uſque dum excludantur, & fiant pulli? Reſpondeo, ova noſtra ſunt deſideria noſtra, quæ cùm incubata & fota fuerint, ex ijs prodeunt columbæ, quæ ſunt effectus noſtrorum deſideriorum. Verùm inter noſtra deſideria eſt unum, quod omnia alia ſupereminet, & quod maximè meretur, ut bene excubetur & formetur ad placendum divino noſtro compari (ſi ſic loqui licet) ſcilicet ſpiritui ſancto, qui ſemper vult nuncupari ſacer ſponſus animarum noſtrarum, tanta eſt ejus bonitas & amor erga nos!

Hoc eſt deſiderium, quod nobiſcum attulimus venientes ad Religionem, quod & amplecti facit Religioſas virtutes; eſtq; unus ex ramis amoris Dei, & quidem celſiſſimus omnium, qui ſunt in iſta arbore divina: veruntamen deſiderium hoc non debet ſe extendere ultra metas & limites notatos in noſtris regulis & conſtitutionibus, quibus veniamus ad eam perfectionem, quam intendebamus acquirere, dum obligabamus nos ad ejus proſecutionem. Verùm deſiderium iſtud oportet incubare & fovere totius vitæ tempore, efficiendo, ut illud evadat in par-

vum ſed pulcherrimum columbum, qui & patri ſuo ſit perſimilis quin & ipſamet perfectio. Interea autem nihil aliud agitemus, expectemusvé, quàm incubare ſupra ova, id eſt, ſimul colligere, & in unum cogere omnes modos nobis præſcriptos ad perfectionem propriam noſtro Inſtituto conſequendam. Permittamus ergo omnem noſtri ipſorum curam unico noſtro amabiliſſimo columbo, qui non eſt paſſurus, ut quidquam nobis deſit eorum, quæ neceſſaria ſunt ad ei placendum.

Magna profectò eſt commiſeratio videre animas, quarum numerus, eheu nimiùm quantùm excrevit! quæ & intendentes perfectionem, ſibi imaginantur totum hoc perfectionis negotium conſiſtere in multitudine deſideriorum, quæ ſibi acervant, & multùm ſe torquent excruciantque ad invenienda nunc hæc, nunc illa, ut ad eam perveniant, nec tamen unquam intra ſe quietem ullam inveniunt. Nam, poſtquam nactæ ſunt deſiderium unum, conantur ſtatim aliud concipere, & videntur eſſe ſimiles gallinis, quæ vix ovum unum pepererunt, & jam altero ſe onerant, derelinquentes illud quod pepererunt incluſum. Quo fit, ut pullum non nanciſcantur: columba autem minimè ſic agit: nam incubat & fovet tum ova, tum pullos excluſos, quouſque volare poſſint ad eſcam ſibi conquirendam. Gal-

lina si pullos habet, magnopere se affligit non cessans glocitare, & tumultum ciêre, verùm columba manet quieta, non glocitans, neque se excrucians.

Eodem modo nonnullæ sunt animæ, quæ non cessant glocitare, & nescio quam non operæ ac negotij infinitam molem ob suos pullos præ se ferre; id est, ob desideria, quæ habent ad perfectionem consequendam, & nunquam sat multos reperiunt homines, cum quibus de hac re loquantur, & petant novos & proprios modos eam acquirendi.

Breviter, ita multùm se occupant loquendo de perfectione, quam intendunt acquirere, ut obliviscantur exercere principale ejus punctum, quod est se quietè habere & omnem suam confidentiam in eum proijcere, qui solus incrementum dare potest semini in terram ab ijs projecto.

Totum nostrum bonum hoc in genere, dependet ex gratia Dei, in quem jactare debemus omnem omnino nostram confidentiam, & interea videmur ex vestro modo agendi, & rem viribus humanis urgendi, confidere in nostro labore, ac multitudine exercitiorum, quæ aggredimur, nec unquam nobis facimus satis. Hoc bonum est, modò comitem habeant pacem, & amorosam curam bene & amanter perficiendi id, quod faciunt, dependentes nihilominus sem-

per à gratia Dei, & non à suis exercitijs: volo dicere, non expectare fructum aliquem ex suis laboribus, nisi gratia Dei præeat, & sequatur earum conatum. Videntur hujusmodi animæ adeò occupari in indagãda perfectione, ut oblitæ sint, aut certè ignorẽt quid Ieremias Propheta dicat Baruch, quod vult dictum cuilibet mortalium: *Hæc dicit Dominus Deus Israël ad Te Baruch: dixisti Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni.* Quasi diceret: tuum quidem est laborare, & terram colere; sed Dei solius incrementum dare, efficereq; ut exhibitâ pluviâ temporaneâ, tua repleantur horrea; poteris quidem irrigare, sed neq; hoc, neq; aliud proderit, nisi Deus benedixerit operi tuo, & suam dederit gratiam, per quam (non autem per tuos sudores) eximiam det & messem. Integrè ergo & unicè adhæreto divinæ ejus bonitati.

Verum est, nostrum esse terram bene excolere, sed Dei solius efficere, ut laborem nostrum bonus sequatur successus. Sancta Ecclesia cantat in quovis Sanctorum Confessorum festo: *Deus honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.* Sapientiæ 10. v. 10. dando scilicet, ut inde perciperet fructum; & hoc ad ostendendum nos ex nobis ipsis nihil posse sine gratia Dei; in quo totam nostram confidentiam ponere debemus, nihil expectantes à nobis ipsis.

Ne nimiùm, amabò, nos coarctemus & comprimamus noſtris operibus, quæ, ut bene faciamus, diligenter quidem nos applicare debemus, ſed ſimul pacatè ac tranquillè operari, non ponendo confidentiam in ijs, ſed in Deo, ejuſque gratia. Hujuſmodi mentis anxietates, quas ſubimus ad progrediendum in noſtra perfectione, & ad experiendum an proficiamus, nullo modo acceptæ ſunt Deo, & ad nihil aliud ſunt, quàm ad ſatisfaciendum amori proprio, qui eſt magnus obcurſitator, nunquam ceſſans plura amplecti, quàm poſſit complecti, id eſt, qui multa incipit, & pauca perficit. Opus bonum factum cum ſpiritûs & mentis tranquillitate longè plus valet, quàm multa, nimiâ ſolicitudine facta.

Columba ſimpliciter inhæret ſuo operi, quod ut bene faciat, omnem aliam curam relinquit ſuo dilecto columbo. Anima, quæ verè eſt columbina, id eſt, quæ Deum amat intimè, ſimpliciter applicat ſe (remotâ nimiâ compreſſione) modis, qui ei præſcripti ſunt ad perfectionem acquirendam, poſitâ omni curâ alios inveſtigandi, ſint illi quantumvis perfecti: *Dilectus*, inquit, *meus cogitat de me*, & me ei confido, qui me amat & tota ſum illius pro teſtimonio mei amoris.

Non adeò multum temporis præterijt, cùm ſanctæ quædam Religioſæ mihi dixerunt: Domine, quid faciemus hoc anno, priori jejunavi-

mus tribus diebus in septimana, & toties nos flagellis diverberavimus: quid nunc totius anni decursu faciemus? Dubio procul faciendum est aliquid plus; tum ad agendas DEO gratias pro anno superiori feliciter transacto, tum ad progrediendum semper celerius in via Domini? BENE dictum est, quod semper oporteat progredi in perfectione, respondi ego, sed profectus noster non ita fit uti cogitatis: per multitudinem scilicet exercitiorum pietatis; sed per ipsam perfectionem, quâ ea exercitia tractamus, confidentes semper magis in nostro dilecto columbo, & nobis ipsis amplius quotidie diffidendo.

Anno superiori jejunastis ter in septimana, & totidem vicibus flagellis vos ipsas excepistis: si vultis semper duplicare vestra exercitia, hoc anno totâ jejunabitis septimanâ, & similiter quovis die vos flagellabitis. Verùm anno venturo quid facturæ estis? Oportebit vos facere bis disciplinam quavis die septimanæ, & jejunare bis eodem die. Magna est stultitia eorum, qui se occupant desiderijs Martyrij subeundi in India, & non se applicant rei, quæ sibi incumbit perficiendæ juxta suum statum & conditionem.

Sed & magna deceptio deprehenditur in iis, qui plus volunt comedere, quàm possint digerere: Non habemus sufficientem calorem spiritualem ad digerenda ea omnia, quę amplectimur

ad

ad perfectionem consequendam: & interea nolumus nos retrahere ab anxietatibus mentis, quibus angimur dum desideramus plus facere, quã possimus. Legere v. g. multos libros spirituales, præsertim autem eos, qui recenter prodierunt, bene loqui de Deo & de omnibus rebus magis spiritualibus, ad nos excitandos, ut dicimus, ad devotionem, audire multas conciones, habere conferentias spirituales omni occurrente occasione, sæpe communicare, & adhuc sæpius confiteri, ministrare ægrotis, bene loqui de omnibus rebus, quas nos agimus, & hoc ad manifestandam prætensionem, quam habemus ad nos perficiendos in vita spirituali, & quidem quàm citissimè fieri poterit. Nonné hæc propria sunt ad nos excolendos ad consequendum finem cœptorum nostrorum? respondeo, omnino: modò omnia ista fiant juxta præscriptum ordinem, & cum omnimoda dependentia à gratia divina: id est, ut fiduciam non ponamus in omnibus istis, sint quantumvis bona; sed in solo Deo, qui solus potens est efficere, ut fructum decerpamus ex omnibus nostris exercitijs.

At, charæ filiæ, considerate, obsecro, paululùm vitam magnorum, illuminatorum, ac sanctorum Religiosorum: exempli causâ magnum Sanctum Antonium, honoratum à Deo & hominibus ob insignem suam sanctitatem. Dicite vos mihi,

quomodò pervenit ad tantam ſanctimoniam & perfectionem? Ex multané lectione, vel per conferentias, frequentem communionem, vel per auditionem multarum concionum? nullo modo; ſed pervenit ſervando & imitando exempla ſanctorum Eremitarum, faciendo ſibi propriam unius abſtinentiam, alterum ſequendo per orationem, & ſic ibat, velut ſolicita apis, ſanctè prædatum & collectum virtutes ſervorum Dei ad colligendum, & ſimul cogendum mel ſanctæ ædificationis.

Age dic: ſanctus Paulus primus Eremita pervenitné ad ſanctitatem, quam habuit, ex lectione præſtantium librorum? Ne habuit quidem libros aliquos: at fors per frequentes communiones & confeſsiones, quas frequenter faciebat? Bis tantùm totâ ſuâ vitâ confeſſus eſt, & toties comunicavit. Sed, dices, fortaſſis per conferentias vel conciones quas audiebat; & ne hominé quidem ullum in illa ſolitudine, quam incolebat, vidit, præter ſanctum Antonium, à quo ſub finem vitæ viſitatus fuit. Scirené vultis, quid eum ſanctum effecerit? dicam: fidelitas, & conſtantia, quâ ſtatim in principio ſuæ vocationis ſe applicavit rei, ad quam Deus è mundo ad eremum, rebus alijs relictis, evocârat.

Magni illi Religioſi, qui vitam Monaſticam agebant ſub ſancto Pachomio, habebantné libros

& prædicationes? nullas penitus, sed fortè conferentias? perrarò: sed confitebanturné sæpe? subinde magnis & celebrioribus festis: fortasſis intererant frequenter sacris Liturgijs? diebus Dominicis & festis, præterea nunquam.

Sed, quid est, quòd tam rarò reficiebantur cibis spiritualibus, qui animas nostras ad immortalitatem nutriunt, & tamen, ut patet ex eorum vitis, semper erant bene constituti, id est, fortes & animosi in acquisitione virtutum, & prosecutione perfectionis & finis quem intendebant? & nos, qui multùm escis cœlestibus vescimur, semper sumus macræ, id est segnes & languidæ ad nostra cœpta prosequenda, quin & videmur solùm, affluentibus spiritualibus consolationibus, habere animum & vigorem ad Deo serviendum.

Convenit & oportet imitari magnos illos sanctos Religiosos, applicantes nos operi, id est, rei, quam Deus à nobis requirit, juxta nostram vocationem, & hoc ferventer & humiliter, nec aliud cogitare, abjectâ omni spe de modo alio inveniendo meliore ad nos perficiendos, quàm ille sit. Sed fortè mihi dicetis, tu dicis FERVENTER. O mi Deus! quomodo id facere potero, cùm destituta sim omni vigore animi! respondeo: fortè destituta es eo, quem tu intelligis, scilicet quantum ad sensibilem quem Deus dat, cui & quando sibi videtur, in nostra autem non est po-

testate

testate habendi quando vellemus. Addo etiam HUMILITER, ut non sit occasio se excusandi, non enim dicendum est, non habeo humilitatem, nec habere possum quando vellem: nam spiritus sanctus, qui est ipsamet bonitas, dat omni à se petenti, non eam quidem humilitatem, id est, internum sensum nostræ parvitatis, qui facit, ut magnopere & gratiosè omnibus in rebus nos humiliemus; sed humilitatem, quâ cognoscimus propriam nostram abjectionem, quin & facit nos eam amare, dum cognoscimus esse in nobis. Et hæc est vera humilitas.

Nunquam olim tantâ diligentiâ data est opera studijs, atque nunc. Magni illi Augustinus, Gregorius, Hilarius (cujus hodie festum celebramus) & plures alij nunquam tantùm insudârunt litteris, neq; potuerunt, dum tanta conscribebant volumina quæ composuerant prædicando, & faciendo reliqua omnia, quæ ad eorum munera spectabant; verùm adeò magnam in Deo & ejus gratia habebant confidentiam, & contrà, ita sibi ipsis diffidebant, ut nihil sibi, neq; suæ industriæ, & labori tribuerent: & sic magna illa opera, quæ propè ex pura confidentia, quam habebant in gratia & in omnipotentia Dei confecerint. *Tu es, dicebant, ò Domine, qui nos facis laborare, & pro quo laboramus, tu etiam eris, qui benedicet nostris sudoribus, quiq; dabit messem copiosam.* Atq; ita

ita libri pariter & prædicationes eorum admirandos ferebant fructus : nos autem unà cum nostris actionibus & operibus, quia in nostris exquisitis verbis, in nostra eloquentia & doctrina confidimus: in fumum evanescimus alium non ferimus fructum, quàm vanitatem.

Oportet igitur pro conclusione I.æ legis, quam vobis do, ut plenè in Deo confidatis, omniaq; pro illo faciatis, omnino derelinquentes omnem vestri curam dilecto vestro columbo, qui geret maximam vestri curam. Et quantò confidentia vestra erit major & perfectior, tantò etiam ejus providentia erit erga vos singularior.

Statui pro II.a lege dare vobis VERBUM, quod suo modo & sermone efferunt columbæ. QUÒ PLURES NOBIS SUBDUCUNTUR (scilicet pulli) EÒ PLURES EXCLUDIMUS, dicunt illæ. Quid hoc sibi vult? quòd, quando eorum pulli parum excreverunt, & ad esum utiles sunt, præfectus columbarij venit & illos aufert, statim matres incipiãt alia ova incubare ad excludẽdos novos pullos; quod nullo modo fecissent si priores ablati non fuissent, sed longiori se tempore occupassent circa pri⁹ exclusos, ac proinde pauciores exclusi fuissent: DICUNT ERGO: QUÒ PLURES NOBIS SUBTRAHUNTUR, EÒ PLURES EXCLUDIMUS. Et, ut meliùs intelligatis, quod dicere intendo, vobis exemplum propono : Iob magnus Dei servus, qui

qui & ore ipsiusmet Dei laudatus fuit, non sivit se ulla afflictione, quæ ei eveniebat, vinci; sed quò plures Deus tollebat ex ejus parvis columbis, eò plures producebat. Quid non faciebat tempore primæ prosperitatis? Quæ, inquam, bona opera non faciebat? Ipsemet hoc modo loquitur cap. 29. *Oculus fui cæco, & pes clando*, (faciens eum gestari, vel imponi super meum asinum vel camelum) *pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Eram oculus cæco* jubens eum manu duci; paucis: eram procurator famelici, & refugium omnium afflictorum. Nunc eum contemplemini ad extrema redactum: non queritur sibi ablata à Deo media, quibus tot bona patrârat opera; verùm dicit cum columba: QUÒ PLURES MIHI AUFERUNTUR, EÒ PLURES REPONO: non plures eleemosynas, quia desunt media, verùm in hoc solo submissionis, & patientiæ actu, quem exercuit, videns se privatum omnibus bonis, atque etiam universa prole, plus fecit, quàm fecerat in omnibus charitatis actibus durante prosperitatis tempore, & magis se Deo gratum exhibuit in solo actu patientiæ, quàm in tot & tantis bonis operibus, quæ vita priore fecerat. Oportebat enim habere amorem longè fortiorem, & generosiorem pro hoc unico actu eliciendo, quàm unquam opus fuerat ad tot alios simul conjunctos. O-

portet

portet idem nos præstare, si observare volumus hanc tam amabilem legem columbæ, sinendo nos per nostrum supremum Magistrum spoliari parvulis nostris columbis, id est, medijs ad exequenda nostra desideria, quando ei placet nos illis privare, esto sint quàm optima: & hoc sine querelis, sine lamentis adversus illum editis, quasi is magnam nobis inferret injuriam; imò debemus nos applicare ad duplicandam (non nostra desideria, non exercitia) sed perfectionem, quâ ea debemus facere, conando hoc modo plus lucrari per unum solum actum (uti indubitanter faciemus) quam lucraremur per centum alios, producendo eos juxta nostram propensionem & affectionem naturalem.

Non vult Dominus, ut portemus suam crucem simpliciter, sed tantùm per extremitates: vult enim honorari adinstar magnarum & nobilium fœminarum, quæ jubent ferri & attolli vestes suas per extremitates: vult tamen portemus crucem, quam nostris imponit humeris, quæ eadem & nostra est. Sed prô dolor! non id facimus: quando enim ejus bonitas nos privat consolationibus, quas dare solebat in nostrris exercitijs, videmur toti quanti perditi, quod nobis tollat media præstandi id, quod aggressi eramus. Videte, amabò, hanc creaturam, quanta cum cura & solicitudine tempore consolationis incubat

bat sua ova, & quàm etiam sapienter relinquat sui curam dilecto suo columbo: si illa est in oratione, qualia non concipit desideria placendi dilecto! tota quanta tenerescit in ejus præsentia, totamque sese effundit in eum, penitus penitusque in brachia divinæ ejus providentiæ se projicit. O quàm sunt ista ova grata & amabilia! & hoc totum bonum est, in promptu sunt pulli, qui sunt effectus; quid enim est, quod illa non faciat! opera charitatis tam grandi sunt numero, ejus modestia probatur omnibus sororibus, tantæ illa est ædificationi, ut majori nemo esse possit! admirationi est omnibus, qui illam vident vel cognoscunt: mortificationes, inquit illa, non dolores, sed consolationes mihi erant, durante tali tempore: obedientiæ præcepta mihi solatia: vix adhuc audiveram signum campanæ, cùm jam surrexeram, nihil de exercitatione virtutū prætermittebam. Et hæc omnia incredibili pace, & maxima tranquillitate faciebam: sed nunc, dum pene omnia fastidio, communiter patior in mea oratione desolationes ac siccitates, adde quòd nullum, ut mihi videtur; habeam animum & voluntatem me emendandi, nec etiam ardorem illum, quem eram solita habere in meis exercitijs. Et quid dicam? gelu & frigus me pertransierunt: eheu! nequeo id diffiteri!

Vide-

Videte, obſecro, quomodò paupercula ac derelicta hęc animula ſuum lamentetur infortuniũ, ejus offenſio & vuln⁹ ipſam ejus im̃utant faciẽ, incedit vultu dejecto, melãcholico, quin & graditur tota meditabũda, & ita eſt cõfuſa ut nihil magis.

Mi Deus! ecquid habes? ecquid haberem? Ita ſum in languorem ſoluta, ut nihil mihi placeat, omnia mihi deſipiunt, ita ſum confuſa! At amabo, quâ confuſione? eſt enim duplex confuſio, una ducit ad humilitatem & ad vitam, altera autem ad deſperationem & conſequenter ad mortem. Tibi certò dico (inquit illa) quòd in eo ſim ſtatu, ut propemodum deſperẽ de perfectione acquirenda. Mi Deus! qualis infirmitas & debilitas? conſolatio deeſt, & ſimul animi robur. Haud ita agendum eſt: ſed quò magis Deus nos privat conſolatione, eò alacrius & diligentius debemus laborare ad patefaciendum ei noſtram fidelitatem.

Vnicus actus factus cum ſiccitate mentis, longè plus valet, quàm neſcio quot facti in mentis teneritudine: quia, uti jam dixi loquens de Iobo, fit talis actus forti & generoſo cum amore, eſto non ſit tam tener, neque ita vobis gratus. QUÒ PLUS ERGO MIHI AUFERTUR, EÒ PLUS FACIO. Et hæc eſt II. lex, quam ita deſidero animis veſtris impreſſã, ut nulla unquã adverſitate deleri valeat

III. lex columbarum, quam vobis repræſento,

eſt quòd eæ plorent, dum lætantur, uno enim ſolùm cantant tono, ſeu concentu: & hoc tam in ſuis lætitiæ canticis, quàm in quibusvis lamentationibus: id eſt, tam in ſuis querelis deplorandis, quàm in dolore ſuo manifeſtando. Videres eas reſidentes ſupra arborum ramos deflentes jacturam ſuorum pullorum, quos muſtella vel monedula furto ſuſtulit, (ſciendum enim eſt, quando alius præter columbarij Magiſtrum ijs aufert, plurimùm illas affligi) eaſdem videas, quando compar eis appropinquat, maximè lætari, & velut conſolatione perfundi: non mutant tamen tonum, ſed more ſuo mutiunt ad oſtendendum ſecum bene agi: quod & faciunt ad aperiendum ſuum dolorem. Hæc eſt ſanctiſſima mentis æqualitas, Charæ meæ animæ, quam totis animæ meæ viſceribus vobis exopto. Sed notate me nõ dicere æqualitatẽ humorum, neque inclinationum, ſed dico mentis & ſpiritùs æqualitatem: nihili enim facio, nec hili æſtimo, nec ut vos æſtimetis moleſtias partis inferioris animæ, & nimium, ac plus æquo varium quorundam ſtudium, qui jam hoc, jam illud inceptant, inducti, melius dicerem, ſeducti ab eadem inferiore parte animæ; quæ cauſa eſſe ſolet omnis perturbationis, & inquietudinis, quando pars ſuperior non facit quod ſui eſt officij, ſubijciendo ſcilicet ſibi ſæpius dictam partem inferiorem, &

ſe Re-

se Reginam, ut est, ostendendo: quin nec vigilias accuratè constituendo ad hostes detegendos, uti docet bellum spirituale faciendum; ut citò certior fieri posset de rumoribus & assultibus, quos illi intentat & facit pars inferior. Hi autem rumores & assultus nascuntur ex nostris sensibus, inclinationibus, & passionibus diversis, ad movendum superiori parti bellum, & eam suis legibus subijciendam. Dico proinde nos semper & constanter accinctos esse oportere armis in parte superiori animæ nostræ ad sequendas virtutes, quas profitemur, ad conservandos nos in continua æqualitate; & hoc in rebus adversis æquè, ac prosperis, in desolatione sicut in consolatione, & tandem in ariditatibus sicuti in teneritudinibus. Iob, de quo locuti sumus in II. lege, hac in materia adhuc exemplum aliud subministrat: quia semper uno tono cecinit omnia sua cantica, quæ composuit ipse, quæque alia non sunt, quàm exarata ejus vitæ historia.

Quid ergo dicebat, quando Deus bona ejus multiplicabat, eumque utriusque sexûs prole egregiâ beabat? Quid multis? Quando Deus ad votum ejus, quæcunque desiderare poterat in hac vita, liberaliter ei dabat? ecquid ille dicebat? aliud nihil quàm *sit nomen Domini benedictum.* Hoc erat ejus CANTICUM AMORIS, quod omni occasione cantabat. Contemplare eum ad ex-

trema per afflictiones redactum, & observa quid agat: invenies eum cantantem lamentationis canticum eodem tono, quo cantabat lætitiæ. *Si bona* (dicebat) *recepimus de manu Domini*, cur etiam non mala recipiamus? Deus prolem copiosam ei & bona dederat, quid omnibus amissis aliud dicebat, quàm *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum*, & hoc semper & ad omnia. O quàm sancta ista anima erat casta, & amorosa columba, comprimisq; dilecta suo charo columbo! Ita possumus & nos facere, Charæ filiæ, si omni occasione acceptemus bona, mala, consolationes & afflictiones de manu Domini, & non nisi canticum hoc amabilissimum cantemus: *sit nomen Domini benedictum*, & hoc semper eodem & continuo æqualitatis tono cantemus. Nam si bonum hoc nobis contingat, fruemur omnibus in occasionibus magna pace, & tranquillitate.

Sed cavendum est, ne faciamus, quod quidam faciunt, dum flent, non affluente consolatione, eâ autem affluente, nihil aliud agunt, quàm cantãt. In quo similes se ostendũt simijs & hujusmodi bestiolis, quæ sunt semper stupidæ, & furiosæ, quando tempus est pluvium, & cœlum turbidum; quando autem est sudum, non cessant crura in sublime jactare, & saltare.


En tres leges, quas vobis do; quæ cùm omnes sint leges amoris, non obligant nisi ex amore.

Amor

Amor igitur, quo Dominum noſtrum amamus, nos reddet ſolicitos, ut eas obſervemus, dicereq; poſſimus ad imitationem ſpecioſæ columbæ, quæ exiſtens ſacra ſponſa dicebat compari ſuo columbo: *dilectus meus totus eſt meus, & ego tota illius*, nihil ago niſi quòd ei placet, ſemper ejus cor converſum eſt ad me per providentiam, ſicuti & meum ad illum per confidentiam. Vbi fecerimus in vita hac quidquid potuerimus pro noſtro dilecto, illi erit curæ, ut in compenſationem noſtræ confidentiæ nobis procuret gloriam æternam, in qua videbimus eorum felicitatem, qui derelinquentes curam ſuperfluam, & inquietudinem vitæ hujus (quam ut plurimùm habemus de nobis ipſis, & noſtra perfectione) omni cum cordis ſimplicitate incubuerunt in res ſuæ vocationis, ſe ipſos abſque ulla ſui reſervatione in divinæ bonitatis (pro qua una & ſola laborârunt) manus totos quantos tradiderunt. Quorum tandem labores pax & quies inexplicabilis conſequetur, dum nimirum in ſinu ſui dilecti in ſempiternas æternitates conquieſcent.

Merces etiam & beatitudo eorum, qui ſecundam legem obſervârunt, erit ampliſſima. Cùm enim permiſerint ſe ſpoliari à Magiſtro columbarij, id eſt, à Chriſto Domino omnibus ſuis pullis, & nihil indignè fecerint, nihilque iracundè contradixerint; quin imò animoſè DICTUM

SUUM repetiverint: QUÒ PLURES NOBIS SUBDUCUNTUR, EÒ PLURES EXCLUDIMUS, ſubijcientes inſuper ſe beneplacito illius, qui eos abſtulit. Quanta putas cum alacritate cantabunt in medio conſolationum æternarum in cœleſti patria amabiliſſimum illud canticum: BENEDICTUS DEUS? quod bono, ac humili corde inter deſolationes, languores, & continua hujus mortalis ac tranſitoriæ vitæ faſtidia decantârint: quod & nos omnes eadem vita durante, ſtudioſè decantare debemus, nosq; conſervare in perpetua ac amabili ſpiritûs & mentis æqualitate. Amen.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO VIII.

De expoliatione & derelictione rerum omnium.


PArvæ affectiones TVI, & MEI, ſunt RELIQVA mundi, in quo nihil eſt ita pretioſum (hominum æſtimatione) quàm illa: ſuprema enim mundi feli-

felicitas est habere multas res proprias, de quibus dicere possis: HOC EST MEUM. Porrò quod nos affectare ac desiderare facit id, quod est nostrum, est magna opinio, quam de nobis ipsis habemus. Nam adeò nos excellentes putamus, ut postquam rem aliquam ut propriam possidemus, longè pluris eam faciamus; exigua autem æstimatio, quam habemus de rebus aliorum, causa est, ut id, quod illorum commodo & dignitati seruit, contemnamus.

At si essemus verè humiles, & ita exspoliatæ, tum propriâ voluntate, tum rebus alijs (ut vult nostra vocatio) ut nos nihili ante oculos Dei æstimaremus, consequenter res, quæ videri possent esse propriæ, flocci faceremus; at verò maximo honori nobis ducimus, si quid possideamns, cuius usus ante fuit alterius. Comprimis autem cùm in hac re, tum in omnibus alijs rebus magnum discrimen notandum est inter inclinationes, & affectiones: nam, quando res istæ creant in nobis inclinationes, non autem affectiones, non multùm inde soliciti esse debemus, quia non dependet à nobis non habere malas inclinationes, sed non eadem est ratio de affectionibus. Si igitur contingat, ut dum mutatur vestis unius sororis, ei detur deterior, partem inferiorem nonnihil sentire, id non est peccatum, dummodò ratio id acceptet libenter ex amore Dei, & sic de

omnibus alijs ſenſibus & motionibus, quæ nobis eveniunt.

Porrò huiuſmodi ſenſus & motus ex eo proficiſcuntur, quòd non omnimodè reſignatæ fuerint, & depoſitæ propriæ voluntates in communi, quod ſtatim fieri debuit in ingreſſu ad Religionem. Quælibet enim ſoror propriam voluntatem in ſuo ingreſſu relinquere deberet extra portam, ut in poſterum Dei ſolius haberet. Beatus ille, qui non haberet aliã voluntatem, quàm communitatis, & quotidie extraheret ex communi marſupio quantum eſſet neceſſe. Hoc modo intelligi debẽt & explicari ſacra Chriſti verba: *ne ſoliciti ſitis de craſtino.* verba illa non tam reſpiciũt ea, quæ neceſſaria ſunt ad vivendum & veſtiendum, quàm exercitia ſpiritualia. Nam ſi quis te interrogaret, quid cras facies? Reſponderes, neſcio, hodie faciam rem mihi commiſſam, cras, quid factura ſim, ignoro, quia neſcio, quid mihi demandabitur. Qui ſic ageret, ab omni ſe cura & ſolicitudine liberaret, inque pace maximè exoptanda ſe conſtitueret. Nam ubi inhabitat vera indifferentia, ibi locum non habet diſplicentia & triſtitia.

Si quæ e Sororibus vellet habere de eo quod eſt MEUM vel TUUM, è domo exire, & ibi dare illi oporteret: nam intra domum verba iſta non audiuntur.

Porrò

Porrò non solùm in genere velle oportet exspoliationem; sed etiam in specie: nihil enim est faciliùs, quàm dicere generaliter *debemus nos ipsas abnegare, & derelinquere propriam voluntatem*: quando enim venitur ad praxim, in ea advertitur latitare totius rei difficultas. Quapropter oportet etiam atque etiam reflectere tum supra propriam conditionem, tum supra omnes res, quæ inde dependent in generali propositione, & postmodum in particulari renunciare jam unam de proprijs nostris voluntatibus; jam alteram usque dum integrè omnibus nos exuerimus. Vera autem renunciatio & exspoliatio fit per tres gradus.

I. est affectio exspoliationis, quæ generatur in nobis per considerationem pulchritudinis ipsiusmet exspoliationis.

II. gradus est animi decretum & resolutio, quæ sequitur affectionem; facilè enim resolvimus nos ad bonum quodcunque, erga quod afficimur.

III. est praxis ipsa, quæ longè plus difficultatis habet, quàm alij duo.

Bonorum, quibus se exspoliare oportet, tria sunt genera. I. Bona externa. II. Bona corporis. & III. Bona animæ. Bona externa sunt res omnes, quas non reliquimus existentes extra Religionem: domus, possessiones, parentes, ami-

cos,& res ſimiles. Vt autem ijs nos exſpoliemus, oportet eas deponere in manus Domini, ac deinde petere affectiones, quas vult nos habere ad illas. Non enim debemus eſſe ſine affectionibus, neq; eas habere æquales & indifferentes; amare oportet quemlibet juxta ſuum gradum: charitas autem eſt, quæ dat ordinem affectionibus. II. ſunt corporis pulchritudo, ſanitas, & huiuſmodi alia, quæ & quibus renunciare oportet, ac deinceps non recurrere ad ſpeculum ad nos cōtemplandas an pulchræ ſimus, neque plus ſolicitudinis aſſumere pro ſanitate, quàm pro infirmitate, ſaltem quantum attinet ad partem ſuperiorem. Nam natura ſemper habet quod queratur, quòd ingemiſcat, quodq́ue ſubinde clamet, & ſingulariter, quando ſumus nos imperfecti. Oportet igitur æqualiter exoptare infirmitatem, quando Deus immittit, ac ſanitatem; Et remedia ac cibos ſumere prout occurrunt: intelligo ſemper cum ratione. Nam quantum ad inclinationes, in eis me non detineo. III. Bona cordis ſeu animi ſunt conſolationes & ſvavitates, quæ inveniuntur in via ſpirituali: bona hæc, dicetis, ſunt optima: quare oportet ſe ijs exſpoliare? ideò quòd ea deponenda ſint in Domini manus, ut de illis diſponat juxta ſuum beneplacitum, eiq́ue ita ſerviamus ſine illis, atque cum illis.

Est & aliud genus bonorum, quæ non sunt neque interna, neq; externa, neq; etiam sunt bona corporis, neque animi: sunt autem bona imaginaria, quæ depēdent ab alterius voluntate; sunt autem eiusmodi: honor, æstimatio, reputatio. Eis autem oportet omnino se spoliare, non desiderando vel petendo honorem alium, quàm Cōgregationis qui est in omnibus quærere gloriam Dei; neq; aliam æstimationem vel reputationem appetere, quàm communitatis, quæ surgit ex eo quòd præbeatur bonum exemplum omnibus in rebus. Omnes istæ exspoliationes & renunciationes dictarum rerum fieri debent non ex contemptu, sed per abnegationem purè putè spectando Dei amorem.

Notandum hic est, quod gaudia, quæ sentimus ex occursu hominum, quos amamus, & testimonia affectionis, quæ ijs dum coram præsentes eos intuemur, damus, non esse contraria virtuti exspoliationis, dummodò non sint immoderata, vel immodesta; vel si sint absentes, corde & animo optemus ijs esse præsentes. Quî enim fieri posset, ut ad objecta præsentia non moverentur potentiæ? esset hoc idem, ac si diceret quispiam socio secum gradienti in occursu leonis, vel ursi: NE TIMEAS: quasi verò in nostra esset potestate ad occursum talium ferarum non timere? Eodem modo in occursu eorum quos

amamus, fieri non poteſt, ut lætitiâ non moveamur: quare, hoc minimè eſt contrarium virtuti. Longè plus dico, ſi deſiderem videre aliquem eorum, quos amo ob rem quampiam utilem, quæ cedat ad Dei gloriam, & intentio veniendi aliquo accidenti retardetur, & inde afficiar aliquâ diſplicentiâ vel dolore, quin imò, ſi urgeo & conor avertere occaſiones & impedimenta, quæ adventum ejus impediunt, nihil omnino facio contrarium virtuti exſpoliationis, dummodò non transgrediar leges quietudinis & pacis animæ.

Ex his videtis virtutem non eſſe rem tam terribilem, quàm quis ſibi imaginari poſſet. Eſt lapſus & error, quem complures committunt, dum formant ſibi neſcio quas in mente chimæras, creduntque cœleſtem viam ſummopere eſſe difficilem. In quo ſe ipſos decipiunt, longeq; à veritate aberrant. Dicebat enim David Domino Deo, ejus legem eſſe nimis ſvavem, cum è contra maligni homines proclament duram & difficilem: dicebat ergo bonus iſte Rex: *Iudicia tua dulciora ſuper mel & favum.* Debemus nos idem dicere de noſtra vocatione, eam æſtimantes non ſolùm bonam & pulchram, ſed etiam dulcem, ſvavem & amabilem. Si ſic fecerimus, maximum habebimus amorem & delectationem obſervandi omnia, quæ inde dependent.

Cla-

Clarum eſt, charæ ſorores, non poſſe pertingi ad perfectionem, quamdiu habetur affectus ad aliquam imperfectionem, etiam quantumcunq; exiguam; imò etiamſi aliud non eſſet, quàm inutilis aliqua cogitatio; vix enim credi poteſt quantùm malum id adferat animæ: nam ubi dederis libertatem menti tuæ inhærendi tali rei inutili, ea aſſumet majorem, & continuò pernicioſis cogitationibus locum præbebit ampliſſimum. Oportet igitur malum iſtud, ſimulatq; animadvertitur, eſto non adhuc multùm excreverit, radicitus reſecare: item ſeriò examinare an non (ut ſubinde poſſent videri) habeamus affectiones minus ſinceras. Exempli cauſâ, ſi quando laudaris, verbis aliquibus coneris laudem illam, quæ tibi tribuitur, vel quam tu ipſe verbis artificioſis piſcaris, ampliare, dicens te non ampliùs valere memoriâ, neque ingenio ita vigere ad bene loquendum, ut quondam valebas & vigebas: Eheu! ecquis non videt te appetere, ut tibi dicatur, te ſemper præſtantiſſimè agere ac loqui? Scrutare igitur in lucernis intima tuæ conſcientiæ, an in ea non invenias affectionem ad vanitatem.

Poteris etiam facilè cognoſcere, an inhæreas rei cuipiam, quam cùm non habeas tunc commoditatem in effectum deducendi, maneas æquè quietus, eſto non fiat, ac ſi facta eſſet; an è contrario

trario

trario inde turberis? quod manifestum esset signum te descriptam affectionem in sinu gestare.

Cùm affectiones nostræ adeò sint pretiosæ, clarum est omnes ad Deum amandum debere concurrere, & cavendum etiam atque etiam esse, ne eæ adhibeantur ad res inutiles; unus enim error (esto non sit magnus) cum affectione cõmissus, magis officit perfectioni, quàm centum alij ex insperato, & absque affectione facti.

Petitis à me quomodò amandæ sint creaturæ? Respondeo breviter esse quosdam amores, qui videntur comprimis magni & perfecti oculis creaturarum, qui tamen coram Deo invenientur admodum parvì & impetfecti: quid? nullius omnino valoris: quia huiusmodi amicitiæ fundatæ non sunt in vera charitate, quæ est Deus: sed ex aliquo fœdere & inclinatione naturali, & nescio, ex quibus considerationibus contractæ, humanitus solum laudabiles & gratæ sunt. E contrario sunt nonnullæ aliæ, quæ admodum exiguæ & vacuæ mundi oculis videntur; quæ nihilominus coram Deo invenientur plenæ, & admodum excellentes, quia in Deo solo, & propter Deum fiunt absque ulla admixtione proprij commodi.

Porrò actus charitatis, qui fiunt circa eos, quos hoc secundo modo amamus, centies millies sunt perfectiores, eò quòd purè tendant ad

Deum.

Deum. At verò servitia, ac beneficia aliaque auxilia, quæ exhibemus ijs, quos amore per inclinationem naturalem prosequimur, longè sunt inferiores in ratione meriti: & hoc propter magnam complacentiam & satisfactionem, quam percipimus dum exhibemus, &, ordinariè loquendo, quia exhibemus motivo alio, quàm amore Dei.

Est & alia ratio, quæ efficit primas amicitias, de quibus locuti sumus, minores secundis, eò quòd non sint longæ durationis, quia cùm causa sit fragilis & caduca, quàm primùm aliquid adversum se obijcit, defervescunt, & alterantur; quod nequaquam evenit illis, quæ in Deo fundatæ sunt, quia in ijs causa solida & stabilis est.

Ad hoc propositum Sancta Catharina Senensis pulcherrimam nobis subministrat comparationem. Si accipias, inquit illa, vitrum, & impleas quopiam in fonte, bibasque ex dicto vitro non extracto è fonte, esto bibas quantumcunq; velis, vitrum non evacuabitur; verùm si eximas è fonte, postquam ebiberis, vitrum penitus evacuabitur; sic se habent amicitiæ quando non extrahuntur ex sua origine, nunquam arescunt. Blanditiæ ipsæ & signa amicitiæ, quæ contra propriam nostram inclinationem exhibemus aliquibus hominibus, à quibus aversionem aliquam habemus, meliores & gratiores sunt Deo, quàm

sint

ſint illæ, quas exhibemus attracti & allecti ab affectu ſenſitivo. Et hoc nullo pacto vocari debet duplicitas aut ſimulatio; nam, eſto habeam ſenſum contrarium, is ſolummodò eſt in parte inferiori, actûs autem quos elicio, vi & fortitudine rationis, quæ eſt pars præcipua animæ meæ, elicio. Atque adeò ſi illi ipſi, quibus ſanctè blandiri & ſimul gratificari intendo, ſcirent, quòd id illis facerem, quia aliquam ab ijs habeam averſionem, haud jure offendi poſſent. Sed magis æſtimare, & inſuper chariores habere deberent meos hujuſmodi actus, quàm ſi provenirent ex affectione partis inferioris. Quia averſiones ſunt naturales, & ex ſe ipſis non malæ, quando eas non ſequimur. Contrà, modus eſt & ratio exercendi quàm plurimas virtutes: quin & ipſi Domino gratius eſt, quando ſum̃a cum repugnantia ejus oſculamur pedes, quàm ſi multa cum ſvavitate id ipſum faceremus. Hinc ij, qui nihil præ ſe ferunt amabile, neque fortè habent unde magnopere amentur, magna gaudent felicitate: certi enim ſunt, quòd amor, qui illis defertur, ſit perquam excellens, totus ſiquidem eſt in & ex Deo.

Sæpe putamus nos amare hominem quempiam propter Deum, amamus autem propter nos: utimur quidem hoc prætextu & dicimus eam eſſe cauſam noſtri in eum amoris; at re-

vera eum amamus propter nostram consolationem, quam inde haurimus. Nonné enim plus est svavitatis concipere quempiam plenum bonæ affectionis; ad te venire, qui exactè & amanter tua sequitur consilia & fideliter ac pacificâ incedit viâ, quam ei ostendisti & trivisti; quàm alium inquietudine implexum, debilem & tardum ad bonum consequendum, cuiq; oporteat millies eandem rem inculcare? dubio procul longè plus inde habes svavitatis: non igitur propter Deum amas illum; nam hic postremus æquè est à Deo, atque primus. Et proinde postremum magis deberes amare; nam videri posset aliquid inde adijci ad laudem Dei; verum autem est, quod ubi commodi aliquid, vel gratitudinis exhibetur adversus Deum, id est, plus virtutis, quæ est participatio divinarum qualitatum, obligati sumus plus affectionis exhibere: exempli gratiâ, si sint homines perfectiores tuo Superiore, debes eos plus amare ob hanc rationem, quàm tuum Superiorem; nihilominus debemus magis amare nostros Superiores, quia sunt PATRES & DIRECTORES NOTRI.

Quantum attinet ad illud, quod à me petitis, an si soror aliqua exerceat virtutem spirituali alterius dispendio, hæc gaudere debeat? Respondeo debere nos amare bonum quodcunque in nostro proximo, sicut in nobis ipsis præcipuè

autem in Religione, ubi omnia debent perfecta esse in Communi, & minimè nobis durum videri debet, si soror una virtutem exerceat meo aliquo spirituali dispendio : exempli gratiâ : sum ante portam aliquam cum sorore me juniore, per quam utraque nostrum intendit transire; ego me retraho, ut illa prior transeat, sicut ego in hoc exerceo humilitatem, ita debet illa omni cum modestia exercere simplicitatem, conariq; alia occasione me humilitate prævenire. Eodem modo, si illi cedo, vel è loco, in quo sum, me retraho, contenta esse debet me tantillum lucri spiritualis facere: & hoc modo erit particeps mei lucri, & velut apud se diceret, quandoquidem istum virtutis actum nequivi facere, gaudeo hanc sororem meam fecisse. Et non modo non oportet duriùs id accipere, sed dispositam esse ad contribuendum quantum in nobis est, ad hoc factum; & quidem usque ad ipsam pellem, si necessitas id exigeret: nam, modò Deus glorificetur, quid mihi curæ est, per quem id fiat? Et quidem taliter dispositi esse debemus, ut si offerretur occasio faciendi opus aliquod virtutis, & Deus à nobis peteret, per quem, vel per quam id fieri mallemus? respondendum esset, Domine per eum, vel eam, quæ factura est ad majorem nominis tui gloriam. Non habentes autem electionem ut id respondeamus, debemus desiderare,

derare, ut id per nos fiat: prima enim charitas incipit à se ipso: verum si nequimus id facere, omnibus lætitijs incedere debemus quòd alter illud exequatur. Et sic constituemus perfectissimè res omnes in communi. Eodem modo dicendum est de eo, quod respicit rem temporalem: nam dummodò domus bene sit disposita atque accommodata, nobis æquè placere debet, sive sit per nos, sive per alios. Si autem detegantur aliquæ parvæ affectiones contrariæ, signum est adhuc in nobis residere de MEO & TVO.

Tandem petitis an cognosci possit profectus in perfectione, an non? Respondeo nunquam nos cognituros propriam nostram perfectioně. Nobis enim hac in re evenit sicuti ijs, qui vela faciunt in mari, quorum plerique omnes ignorant, an progrediantur, Navarchus autem perbellè id scit, quia auram & constitutionem novit loci, in quo navigat; eodem modo nos nequimus judicare de nostro in perfectione progressu, possumus autem de alterius ferre judicium: non enim audemus asserere & certò statuere, dum actionem aliquam bonam exercemus, nos exercuisse & perfecisse omnia quâ decet perfectione, quia humilitas id nobis prohibet.

Licet autem judicare possimus de virtute alterius, tamen nunquam determinandum est hominem hunc majori virtute esse præditum al-

tero. Nam etiam præclara in speciem signa, nonnunquam decipiunt, & qui maximè virtutum studiosus apparet oculis creaturarum, in Dei oculis longè fortassis imperfectior est, quàm alter.

Ad me quod attinet, super omnem aliam perfectionem ex intimo corde vobis opto humilitatis perfectionem, quæ non solùm est ferax Charitatis; sed etiam svavitatis, & amabilitatis. Charitas enim est humilitas ascendens, & humilitas est charitas descendens.

Magis vos amo cum multa humilitate, & paucioribus alijs perfectionib⁹, quàm cum pluribus alijs perfectionibus, & cum minore humilitate.

DEUS SIT BENEDICTUS.

VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO IX.

In qua agitur de Modestia, de modo acceptandi, & recipiendi correctiones; & de modo statum suum ita firmandi & stabiliendi in Deo, ut nihil nos poßit ab eo avertere.

Roga-



Ogatis, quæ ſit vera modeſtia? dicam, quatuor virtutes, nomine modeſtiæ inſigniuntur.

I. quæ ſupra alias tres eminet, & nomen modeſtiæ ſibi vindicat, propriè eſt decentia noſtrorum geſtuum exteriorum; & huic virtuti duo opponuntur vitia, ſcilicet DISSOLUTIO geſtuum, & conſtitutionis totius corporis, id eſt, levitas, alterum vitium, quod non minus ei eſt contrarium, eſt GESTVS & conſtitutio corporis AFFECTATA.

II. Modeſtia eſt interior decentia noſtri intellectûs & voluntatis: hæc habet item duo vitia ſibi contraria: quæ ſunt CURIOSITAS INTELLECTûS, & MULTITUDO DESIDERIORUM ſciendi & intelligendi omnia; quin & inſtabilitas in noſtris cœptis, dum tranſimus ab uno exercitio ad aliud, nulli rei ſolidè inhærentes. Alterum vitium eſt certa quædam STUPIDITAS & mentis DESIDIA, quæ, ne neceſſaria quidem prô perfectione acquirenda, vult ſcire & addiſcere: imperfectio certè hæc eſt non minùs periculoſa, quàm altera.

III. genus modeſtiæ conſiſtit in noſtra converſatione & verbis, quæ proloquimur, id eſt, in modo loquendi, & converſandi cum proximo, evitando duas imperfectiones ei oppoſitas, RUSTICITATEM videlicet, & GARRULITATEM ſeu DI-

CACITATEM, quibus taliter inducimur ad loquendum, ut omne tempus alijs eripiamus, quò minùs ſuo ordine valeant loqui.

IV. eſt honeſtas & decentia in veſtibus, cui duo vitia contrariantur, SPURCITIES ſcilicett, & SUPERFLUITAS. En quatuor ſpecies modeſtiæ. Prima commendatione, multas ob cauſas, eſt digniſſima. Et primò quidem, quia valde nos ſubigit. Nec eſt virtus alia aliqua, in qua requiratur tam ſingularis attentio; in eo autem, quod nos ſubijcit, conſiſtit maximum ejus pretium. Id enim omne, quod nos ſubijcit propter DEUM, maximi eſt meriti, & admirabiliter DEO gratum. SECUNDA cauſa eſt, quod non ſolùm nos uno ſubigat tempore, ſed ſemper in omni loco, æquè quando ſumus ſoli, ſicuti quando in aliorum ſocietate verſamur, hocque in omni omnino tempore etiam dum dormimus.

Magnus quidam Sanctus ſcribit uni cuipiam ſuo diſcipulo monens, ut decumbat modeſtè in præſentia DEI, &, ut faceret is, cui Chriſtus Dominus adhuc in vita hac exiſtens mandaret dormire, & decumbere in ſua præſentia: & quamvis (dicit ille) tu eum non videas, nec percipias mandatum, quod tibi dat, ne omittas tamen id facere eo modo, quo faceres, ſi eum oculis coràm præſentem conſpiceres; quiâ re ipsâ verè præſens tibi adeſt, & reſpicit te etiam dormientē.

O Deus

O Deus Optime Maxime! quàm modestè & devotè nos ad dormiendum componeremus, si oculis te præsentem cerneremus? Nil dubito, quin decussatim, & brachia nostra in modum crucis supra pectus componeremus magna cum devotione & cautela.

Modestia igitur nos semper subijcit, & quidem omni tempore vitæ nostræ, eò quòd Angeli nobis semper sint præsentes, quin & DEUS ipse in cujus oculis nos modestè habere deberemus. Virtus hæc plurimùm etiam commendatur propter ædificationem proximi. Scitote, ob simplicem modestiam exteriorem complures esse conversos ad vitam meliorem. Vt contigit sancto Francisco, qui transiens per civitatem aliquam tanta cum modestia in gestibus, ut, nullo verbo prolato, Iuvenes magno numero eum secuti fuerint (tracti & allecti solo ejus exemplo) gratiâ melioris vitæ ab eo addiscendæ & exercendæ. Quid multis? Modestia est prædicatio muta, est virtus quam Sanctus Paulus admodum singulariter commendat Philippens. cap. 4. v. 4. dicens: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et illud ad Discipulum suum Timotheum, quo monet, ut Episcopus sit ornatus, subintellige modestiâ, & non vestimentis, ut per gestus suæ modestiæ volentibus ad se accedere, præbeat confidentiam, evitet

æquè rusticitatem atque levitatem; atq; eo modo dans libertatem mundanis se accedendi, eum tamen non credant esse mundanum, sicuti ipsi sunt.

Porrò virtus modestiæ tria observat, nempè tempus, locum, & personam. Dicitote enim mihi, is, qui nollet ridere in recreatione, seu relaxatione corporis, nisi eo solùm modo, quo ridetur extra recreationem, nonné esset importunus? Sunt nonnulli gestus & habitus, qui essent propriè immodestia extra illud tempus, qui tamen tempore recreationis nullo modo sunt. Eodem modo is, qui rideret, & animum relaxaret in medijs & serijs occupationibus, ut ridetur rationabili de causa in recreatione, nonne jure merito levis & immodestus haberetur? Oportet etiam observare loca, personas, & conversationes, in quibus, & cum quibus versamur; specialiter autem circumstantias personarum. Modestia fœminæ mundanæ alia esse debet quàm Religiosæ; si puella quæpiam degens in mundo, vellet ita demissè tenere visum, vultumque, uti nostræ sorores, non æstimaretur; sic nostræ sorores, si non demissiùs tenerent, quàm puellæ mundanæ, non æstimarentur. Quæ modestia est uni cuipiam viro, immodestia erit alteri; & hoc propter differentiam statûs & circumstantiarum. Gravitas, quæ maximè decet personam provectæ

ætatis, dedecet, & habetur affectata in aliqua juniore, cui convenit modestia demissior & humilior.

Referam vobis rem unam, quam proximè elapsis diebus legi: ea siquidem optimè quadrat discursui, quem nunc de modestia præ manibus habemus. Postquam magnus sanctus Arsenius (qui per Damasum Papam electus fuit ad educandum Arcadium filium Imperatoris Theodosij, qui ei erat successurus in Imperio) pluribus annis in Aula Imperatoria tanto in honore & favore, tam ab ipso Imperatore, quàm ab alijs viris principibus habitus fuisset, in quanto homo mundanus vix optare ausus fuisset: tandem abominans mundi & Aulæ vanitatem (quamvis non minùs Christianè, quàm honorificè in Aulâ vixerat) decrevit recipere se in desertum, & vivere cum sanctis illis Patribus Eremitis, solitariam vitam ibidem agentibus, quod & generosissimè executus est.

Patres, qui famam ejus virtutis audierant, multum gaudij & consolationis ceperunt, quòd posthac in sua societate talem Virum essent habituri: Omnes quidem Patres amore & observantiâ colere statim cœpit, sed duobus singulariter adhæsit (quorum alter dictus erat Pastor) & magnam cum ijs amicitiam contraxit. Quodam autem die, dum dicti Patres simul essent

congregati ad conferendum inter ſe de rebus ſpiritualibus (ut ſemper conſuetum fuit inter homines pios ac Religioſos) fuit Patrum unus aliquis, qui indicavit ſuperiori, quod Arſenius ordinariè committeret unam, ut videbatur immodeſtiam in eo, quòd ſedens, crus unum ſuper alterum collocaret: verum eſt, inquit Superior, & ipſemet notavi; at eſt Vir bonus, qui diu vixit in mundo, & ſecum attulit habitum iſtum ex Aula, quid eo in genere fieri poteſt? Quo dicto eum excuſabat, quia grave illi erat rubore eum ſuffundere in re tam levi, & in qua nullum omnino interveniebat peccatum: tamen ex eo tempore cogitabat eum corrigere: nihil enim aliud habebat, quod ei obijci poſſet. Paſtor ille Relipioſus dixit: Mi Pater Reverende, ne te ea de cauſa vexes; non enim difficultas momenti alicujus eſt, ei dicendi qui libenter audiet: proinde cras, ſi ſic tuæ Reverentiæ videatur, horâ, quâ conventuri ſumus, eodem me modo, & ſitu componam, quo ille, & tunc omnibus præſentibus me corrigito: & ſic intelliget ille non oportere ſic crura componere. Patre ergo ſuperiore Paſtorem corrigente, humilis Arſenius proſtravit ſe in genua ad pedes ſuperioris, & petens humiliter errati ſui veniam, dixit: etſi non fuerit notatus hactenus, ſe tamen toto priori tempore errorem iſtum commiſiſſe, fuiſſeq; ordinarium

ſuum

ſuum habitum in Aula, ac proinde petere ſe pœnitentiam. Quæ quidem ei injuncta non eſt, ſed poſtmodum nunquam viſus eſt in tali ſitu.

In hac hiſtoria res complures invenio conſideratione digniſſimas. Ac in primis prudentiam ſuperioris timentis offendere Arſenium ob errorem tam exigui momenti, quærentis nihilominus modum eum corrigendi: vbi oſtendit Eremitas illos fuiſſe exactiſſimos, etiam in minimis erroribus corrigendis, qui ſpectabant ad modeſtiam. Deinde noto bonitatem Arſenij culpabilem ſe reddentis, & parati omni cum fidelitate ad correctionem recipiendam in re tam levi, quæ ne immodeſtia quidem erat in aula, quamvis eſſet aliqua inter Religioſos illos Patres.

Reſpicio etiam & recognoſco, non debere nos mirari ſi adhuc nobis adhæreant aliquæ antiquæ mundi conſuetudines, ſiquidem Arſenius illam adhuc habebat poſt diuturnum tempus in deſerto tranſactum in ſocietate dictorum Patrum. Non tam citò exuere nos valemus omnibus imperfectionibus ; nec ex hoc terreri debemus dum animadvertimus in nobis multas adhuc inveniri, dummodò tamen adſit voluntas eas expugnandi. Notate porrò non eſſe malum, neque temerarium, ſi judicetis ſuperiorem corrigere in altero lapſum aliquem, quem tu committis adinſtar illius, ut ſine reprehenſione tu te

ipſum

ipſum emendes. Te tamen profundè humiliare debes, animadvertens quòd (cùm ſciat ſuperior te adhuc eſſe debilem) ſis ægrè latura correctionem, ſi apertè, & nominatim te corripiat. Oportet etiam unicè amare abjectionem, & humiliare ſe, uti humiliavit ſe Arſenius cõfitendo ſe culpabilem in eo de quo alter corrigitur; modò tamen illa humiliatio fiat ſemper in ſpiritu ſvavitatis & tranquillitatis.

Adverto vos multùm deſiderare, ut adhuc aliqua in medium proferam de alijs virtutibus modeſtiæ. Dico ergo ſecundam, quæ eſt interior, producere eoſdem effectus in anima, quos producit illa (de qua diximus) in corpore. Hæc enim componit & ſedat motus, geſtus, & conſtitutionem corporum, evitans duas extremitates, quæ ſunt duo vitia contraria, LEVITATEM ſeu DISSOLVTIONEM, & AFFECTATAM corporis COMPOSITIONEM. Eodem modo modeſtia illa interior continet potentias animæ noſtræ in tranquillitate & decenti moderatione, evitando, ut dixi, curioſitatem intellectus, ſuper quem præcipuè invigilat, reſecans à voluntate multitudinem deſideriorum, inducens ſanctè ut ſeſe applicet ad VNICVM SOLVM, quod Maria elegit, & non auferetur ab ea; eſt autem VOLUNTAS placendi Deo.

Martha peraptè repræſentat immodeſtiam volun-

voluntatis ; nam opus urget, & cuilibet servorum domûs pensum injungit: it illa, imò currit huc & illuc nullibi hærens: tam illa cupit Christum Dominum bene & dignè excipere ! sibiq; persuadet nunquam sufficientia fercula paratú iri, ut pro ejus dignitate illum tractet. Eodem modo voluntas, quæ non cohibetur per modestiam, volat ab vno objecto ad aliud, ut sese excitet ad Deum amandum, & desiderando assiduè plures modos ei serviendi, cùm interim non tot res requirantur. Meliùs est adhærere Deo cum Magdalena, sedendo ad ejus pedes, & rogando identidem nobis ut suum amorem elargiatur, quàm cogitare, quomodò & quibus medijs possimus dictum amorem acquirere. Modestia hæc retinet voluntatem reclusam in exercitio mediorum sui profectûs in Dei amore, juxta vocationem, in qua sumus & vivimus.

Dixi virtutem hanc potissimè se occupare in subijciendo intellectu, & hoc ideò, quia curiositas, quæ naturaliter nobis inhæret, est periculosissima, efficitque, ut nunquam rem quampiam perfectè sciamus, eò quod non satis multùm temporis ei addiscendæ impendamus. Illa etiam fugit alterius vitij, quod illí est oppositum, extremitatem, & est stupiditas & negligentia mentis, quæ scire non vult, quæ scire necesse esset.

Hæc autem subjectio intellectûs maximi est

mo-

momenti ad acquirendam perfectionem: eâ enim mensurâ, quâ voluntas affectat rem unam, si intellectus ei ostendat pulchritudinem alterius, illam divertit à prima.

Apes nusquam subsistunt, dum carent Rege, non cessant per auram volitare, se dissipare, & dispergere, nullam propemodum quietem capiunt in alueari; at simulatque Rex ijs natus est, sese conjungentes illum circumdant, nec egrediuntur, nisi ad mel colligendum, & ad Regis mandatum explendum. Eodem modo intellectus noster, & voluntas, passiones nostræ & facultates animæ, velut apes spirituales, usque dum Regem habeant, id est, usque dum elegerint Christum pro Rege, nullam quietis partem capiunt, sensus nostri non cessant sese disgregare & evagari per curiositatem, & internas nostras facultates ad se attrahere, ut faciliùs sese dissipent, jam adhærendo rei uni, paulò post alteri. Et sic non est nisi continuus labor, & inquietudo spiritûs, quæ nobis omnem pacem, & tranquillitatem mentis, quæ nobis necessaria est, eripiunt: & hoc est, quod efficit immodestiam, tum intellectûs, tum voluntatis. Sed postquam animæ nostræ elegerunt Dominum pro suo unico & supremo Rege, potentiæ conquiescunt ad instar castarum apum mysticarum, illum circumdant, & nunquam egrediuntur suis alvearibus, nisi ad investi-

vesti-

veſtiganda & colligenda charitatis exercitia, quæ ſanctus hic Rex mandat eas exercere erga proximum, & ſtatim poſt hoc redeunt ad modeſtiam, & in hac tam ſancta & amabili quiete ad tractandum & congregandum mel ſanctarum & amabilium conceptionum & affectionum, quod colligunt ex ſacra ejus præſentia. Atque ita evitant duas extremitates ſupradictas, una ex parte radicitus exterminando CURIOSITATEM ab intellectu per ſimplicem attentionem DEI, & ex altera STUPIDITATEM & negligentiam mentis, per exercitia charitatis, quam exercent erga proximum, ubi & quando neceſſe eſt.

Sed ecce aliud exemplum circa idem ſubjectum: die quodam petijt aliquis Religioſus ab Angelico Doctore Divo Thoma, quid ſibi faciendum judicaret, ut in virum doctum evaderet? *legendo inquit librum unum.* Hiſce diebus elapſis legebam regulam, quam ſanctus Auguſtinus præſcribit Religioſis ſororibus ſui Ordinis. Vbi expreſsè dicit: Sorores Religioſas alios libros legere non debere præter eos, quos exhibebit earum ſuperior. Et idem poſtea præcepit viris Religioſis, quos inſtituit. Adeò ille noverat mala, quæ curioſitas adfert volentibus alia atque alia ſcire, quàm quæ neceſſaria ſunt ad meliùs DEO ſerviendum, quæ certè res eſt perexigua: nam ſi ambulas in ſimplicitate: obſervando tuas

regu-

regulas, Deo perfectè servies, nec te in varia effundes, nec investigando, ut multa alia scias, te defatigabis. Scientia ad amandum Deum non est necessaria (ut dicit sanctus Bonaventura,) simplex enim fœmina tam est capax ad amandum Deum, quàm doctissimus hominum totius mundi.

Exigua scientia & multa praxi opus est ei, qui tendit ad perfectionem. Memini (quod facit ad propositum ratione periculi, quod latitat sub alis curiositatis: dum volumus multos & varios modos scire ad perfectionem acquirendam) locutum me fuisse duabus Religiosis duorum Ordinum probè reformatorum, quarum una ex multa & frequenti lectione librorum Beatæ Theresiæ, tam bene didicerat loqui, atque illa; unde videri poterat parva quædam Mater Theresia: & sic illa de se credebat imaginando taliter omnia quæ fecerat sancta Mater Theresia, vitâ durante, ut putaret se eadem facere usque ad percipiendas illas mentis intensiones, quales esse solent in raptu & in suspensionibus potentiarum animæ, eodem modo, quo legebat illa sanctam Theresiam habuisse, & sanè de ijs optimè loquebatur.

Sunt & aliæ similiter, quæ ex multa consideratione & meditatione vitæ sanctæ Catharinæ Senensis, & Genuensis putant se esse, per imitationem

nem sanctas quasdam Catharinas, illis similes. Animæ istæ minimùm in seipsis gaudium & quietem inveniunt per imaginationes, quibus se sanctas esse putant, licet gaudium illud & quies animi sit imaginaria & vana.

Verùm Religiosæ alteri, quam dixi me novisse, longè alius insitus erat ex ratione nativi temperamenti habitus, siquidem nulla re unquam erat contenta, dum nulli acquiescebat propter aviditatem, quâ imbuta erat ad investigandas & desiderandas semper novas vias & methodos se ad perfectionem provehendi: etsi enim pro ea re assequenda strenuè semper laborabat, illi tamen continuè videbatur superesse alios modos ad eam acquirendam, & plenè semel possidendam, præter illum, quem docebatur. Vna harum Religiosarum imaginaria illâ suâ sanctitate, nihil requirens aliud, vivebat contenta; altera autem minimè: & hoc ea de causa, quòd sua perfectio ipsi esset abscondita, ideòque semper alia atque alia media desiderabat ad plenè consequendam perfectionem.

Interior modestia tenet animam in his duobus statibus, mediocritate scilicet desiderandi, & sciendi ea, quæ necessaria sunt, & nihil ultrà. Cæterùm notandum est modestiam exteriorem, de qua locuti sumus, multùm servire interiori, & acquirendæ paci atq; tranquillitati animæ.

Hujus rei teſtimonium invenitur in omnibus ſanctis Patribus, qui & excelluerunt in Deo orando, & in modo alios docendi, qualiter orandus ſit: omnes autem judicârunt ſitum in oratione modeſtum multùm eam promovere: ut eſt genibus flexis, & manibus junctis, vel in modum crucis, brachijs complicatis orare.

III. Modeſtia reſpicit verba, & modum converſandi. Sunt verba nonnulla, quæ ſaperent immodeſtiam extra omne aliud tempus, quàm relaxationis animi, in qua juſtè & rationabiliter aliquantulum conceditur ut relaxetur animus: & qui tunc nollet loqui, nec ſinere alios loqui, niſi de rebus altis & ſublimibus illo tempore, committeret immodeſtiam. Supra enim diximus modeſtiam reſpicere tempus, loca, & perſonas.

Ad hoc propoſitum legebam proximè Sanctum Pachomium ſtatim, atque ſe contulit in deſertum, ad vitam Monaſticam ibi tranſigendam, magnas habuiſſe tentationes, & malignos ſpiritus ſæpe, & modis diverſis ei apparuiſſe. Qui ejus ſcribit vitam, dicit die quodam, ei ambulanti per ſylvam, & quęrenti ligna in vſum ſuum ſcindenda, obviaſſe magnam multitudinem ſpirituum infernalium ad eum perterrefaciendum. Eo viſo, omnes ſe diſpoſuerunt veluti milites ſtatuentes & ponentes vigilias; illi probè videbantur

tur armati, & clamare ad invicem: *date locum huic sancto Viro*: his visis & auditis, Pachomius advertit esse ostentationes malignorum spirituum, quare cœpit subridere dicens: vos quidem me irridetis; sed ero, si Deo placuerit, sanctus. Porrò Diabolus videns non potuisse se eum decipere, nec in melancholiam inducere, statuit medijs lætitiam provocantibus eum capere; quia viderat primas suas insidias ab eo irrisas: magnam igitur crassissimorum funium quantitatem accipiens, alligavit uni folio arboris; illos apprehenderunt plurimi Dæmones, &, in speciem, maximâ violentiâ trahebant, clamantes & sudantes quasi multùm laboris exanthlassent. Sanctus Pachomius, sublatis oculis, & videns istam stultitiam, statim sibi repræsentavit Christum Dominum in arbore crucifixum, quare animadvertentes sanctum se applicare ad fructum arboris, & non ad folia, omni confusione, & dedecore affecti, se proripuerunt.

Tempus est ridendi, & tempus est non ridendi; sicut & tempus loquendi, & tacendi, sicut hic Vir gloriosus in suis tentationibus nos edocuit. Modestia hæc ordinat nostrum modum loquendi, ut sit grata, loquendo non nimis altè, neque nims submissè, neque etiam nimiùm lentè, neque ferociter, sed se conservando intra terminos sanctæ & aureæ mediocritatis: sinendo alios lo-

qui, dum loquuntur, eorum ſermonem non interrumpendo (nam hoc eſſet loquacitatis, ne dicam dicacitatis) loqui nihilominus ſuo ordine ad evitandum, ne aut ruſtici, aut indignabundi videamur, quo fieret, ut impediretur bona converſatio. Multoties etiam occurrunt occaſiones, in quibus neceſſe eſt tacendo multùm loqui, per modeſtiam, æqualitatem, patientiam & tranquillitatem.

IV. Virtus, nominata modeſtia, reſpicit veſtes, & modum, quibus induimur. De hac neceſſe non eſt aliud dicere, niſi quòd evitandæ ſint ſordes, & indecentia in modo ſe veſtiendi, ſicut & altera extremitas, quæ eſt nimia ſolicitudo ſe nimis politè veſtiendi cum affectata curioſitate ſe plus æquo exornandi, quod vanum eſt. Mundities autem admodum commendata eſt per ſanctum Bernardum ut magnum judicium puritatis & munditiei animæ.

Vna res eſt in vita ſancti Hilarionis, quæ videtur nobis adverſari in hoc puncto. Nam die quodam loquens cum Viro nobili, qui viſitandi gratiâ ad illum venerat, dixit, non requirendam munditiem in Cilicio: volens dicere non requirendam eſſe munditiem in noſtris corporibus, quæ aliud non ſunt, quàm fœtida cadavera infectione pleniſſima. Verùm hoc in tali ſancto magis eſt admirandum, quàm imitandum. Non

opor-

oportet equidem mollitiem nimiam, sed nec sordes affectare. Quod Sanctum hunc inducebat ad sic loquendum, erat (ni fallar) quia loquebatur de Aulicis, quos videbat sic propendere ad delicias, ut operæ pretium esset rudiùs & asperiùs non nihil loqui ad illos, velut ad eos, qui volentes erigere juvenem arbusculam, non solùm non erigunt juxta plicam & statum, quem ei dare volebant; sed longè ultra incurvant in aliam partem, ut non redeat ad priorem plicam, seu striaturam. En, quæ dicenda habebam de modestia.

Desideratis secundo loco scire, quid, & quomodò agendum sit, ut bene & laudabiliter suscipiatur correctio; omni sublato sensu vel ariditate cordis, ad impediendum quò minùs choleræ sensus in nobis notetur, & ne sanguine in facie perfundamur; hoc nunquam facilè prohibebitur. Beati erimus si hanc perfectionem uno quadrante antequam è vita hac discedamus, habuerimus: sed eo modo continere ariditatem mentis, ut non loquamur (postquā sensus ille transivit) tanta cum fiducia, suavitate, & tranquillitate, quàm anteà, ô! hoc magna solicitudine cavendum est, ne fiat. ablegatis procul sensum illum, dicitis vos; verùm non ideò non apud vos manet. Non nego, imò assero, charæ filiæ, vos sensus illos ex correctione ortos, amandare, sed

vereor ne amandetis, ut cives illius civitatis (in qua noctu fit seditio) qui amandant quidem & expellunt seditiosos & hostes suos; verùm non eijciunt planè è civitate, proinde ab vna platea in aliam sese absconsum eunt, usque dum mane oritur sol: tunc invadunt habitatores civitatis, & superiores evadunt. Vos quidem reijcitis amaritudinem illam & sensum correctionis vobis factæ; sed non ita fortiter, & accuratè, quin in aliquo cordis vestri angulo, si non totus, saltem pars aliqua illius se abscondat. Non vultis equidem retinere conceptum doloris sensum, sed nec etiam submittere vestrum judicium: à quo persuademini correctionem illam non factam ad propositum, vel factam quidem, sed ex gravi passione, vel aliquo simili affectu.

Quis non animadvertit seditiosum illum nos invasurum, & mille modis oppleturum nos confusione, nisi eum promptè à nobis pellamus longissimè! Verùm, quid eo in tempore faciendum? Oportet se includere apud Dominum, eique loqui alijs de rebus. Sed hic sensus vester non quiescit: at suggerit considerandum injuriam factam. O Deus! non est tunc tempus sibi persuadendi, ut submittat judicium, & credat, agnoscatque correctionem esse bonam, nec non opportunè exhibitam; ò non profectò, sed tunc est tempus, quando anima redit ad quietem &

tran-

tranquillitatem pristinam: durante enim turbâ, non oportet dicere, neque facere aliud, quàm animum firmare in bono, & nullo modo sinere, ut consentiat nostræ passioni, quâcunque ratione interveniente & suadente, ut id faciamus. Nunquam enim deerunt rationes eo tempore, imò turmatim sese nobis ingerent, sed ne vel unica quidem audienda, quantumcunque bona videatur, sed oportet juxta DEUM se ponere & firmiter ei adhærere, uti jam dixi, divertendo nos, postquam nos humiliavimus, & submisimus divinæ ejus Majestati, loquentes alijs de rebus.

Sed notate verbum hoc, quod mihi perplacet dum profero, vel proferri audio propter suam utilitatem: HUMILIATE vos humilitate suavi & pacificâ, non autem anxiâ & turbulentâ humilitate. Nam magnum inde in nobis oritur incommodum, si ante DEI oculos deferamus humilitatem iracundam & molestam: hoc enim agendi modo non quietabimus animam nostrã; tales enim actus sunt infructuosi. E contra verò si actus istos in conspectu divinæ bonitatis suavi, cum confidentia faciamus, evademus inde toti, quanti sedati & tranquilli, reijciemusque facilè postea â nobis omnes rationes, quæ persæpè & ordinariè sunt irrationabiles, quia eas & proprium judicium, & privatus amor nobis suggerit, tantaque cum facilitate loquemur ijs, à quibus

correcti, vel redarguti in re aliqua ſumus, ſicuti antè. Vos quidem (ut dicitis) à vobis ipſis impetratis, ut ijs loquamini. Verùm ſi vobis non reſpondeant juxta placitum, hoc duplicat tentationem: totum hoc profluit ex eodem malo, quod diximus. Ecquid vobis obeſt, quòd hoc vel illo modo vobis loquantur, modò vos, quod veſtri eſt officij, exequamini? Omnibus ritè computatis, nemo eſt, qui non horreat correctionem.

Sancto Pachomio poſtquam in deſerto quatuordecim vel quindecim annis vixerat, à Deo revelatum eſt, futurum, ut magnum animarum numerum Deo lucretur, eò quòd complures venturi eſſent in eremum, qui ſeſe ejus diſciplinæ ſubijcerent. Iam tunc aliquos acquiſiverat Religioſos, & primus quidem, quem receperat, fuit frater ejus, major natu, dictus Ioannes. Pachomius accepta hac revelatione incepit multis cellulis ampliare ſuum Monaſterium: frater Ioannes, vel quia ignorabat ejus propoſitum; vel motus zelo paupertatis, die quodam eum gravius reprehendit, dicens: hicné, frater, modus eſt, quo imitari oporteat Chriſtum Dominum? qui dum in vita hac verſaretur, non habebat ubi caput ſuum reclinaret, exſtruere tam magnum conventum, & plura ejuſmodi ſimilia? Pachomius, non cohibente ſanctitate, quâ erat

præ-

prædìtus, adeò ægrè tulit istam correctionem, ut aliam in partem subitò se verterit, ne (si non fallar) exterior corporis constitutio repræsentaret interiorem commotionem. Factâ reflexione super suam imperfectionem, subitò genibus flexis, summissimè sui lapsûs veniam petijt, & infirmitatem suam deploravit, quòd, cùm tot annis jam versaretur in deserto, adhuc adeò esset immortificatus. Quare ita humiliter & ferventer oravit, ut eam obtinuerit gratiam, ne unquam ampliùs subjectus esset impatientiæ.

Quin & ipse sanctus Franciscus, ferè eodem modo prope finem suæ vitæ post tot raptus, & amorosos congressus cum DEO, post tanta pro ejusdem gloria præstita, totque modis de se ipso relata trophæa in impatientiam lapsus est, nam die quodam, cùm plantaret brassicam in horto, contigit à fratre aliquo, quòd non bene plantaret, eum reprehendi, qui tantopere exarsit in choleram advertens se reprehensum, ut media ex parte injuriam pronunciârit contra fratrem illum, à quò correctus erat. Aperuit quidem os ad injuriam pronunciandam, sed se cohibuit, & sumens de fimo, quem sepeliebat cum caulibus; ah! nequam lingua, inquit, te docebo, itané injuriâ fratrem oportet afficere? & subitò se ingenua prosternens supplex rogavit fratrem illum, ut errorem sibi condonaret.

Hæc cùm ita ſe habeant, quæ obſecro, eſſe poteſt cauſa admirandi, quòd nos miſeros homunciones deprehendamus tam promptos ad choleram, dum nos reprehendi, vel contradici in re quapiam animadvertimus?

Exempla nobis petenda ſunt ab his Sanctis, qui ſubitò ſeſe ſuperabant, dum unus ad orandum, alter ad humiliter veniam petendam à fratre ſuo recurrebat, & neuter illorum fecit aut dixit quicquam in favorem conceptæ choleræ; ſed ex lapſu ad virtutum culmen uterque ſeſe erexit.

Mihi dicitis, ex corde vos correctionem, quam approbatis, & juſtam ac rationabilem agnoſcitis, acceptare; verum, dolorem & confuſionem ex eo vos concipere, quòd veſtram Superiorem offenderitis, vel certè ei occaſionem dederitis, ut offendi potuerit; & hoc eſſe dicitis, quòd tollit à vobis confidentiam eam accedendi, & tamen inter ea vos amare abjectionem, quæ ex lapſu provenit, aſſeritis. Hoc fit, charæ filiæ, ex mandato proprij amoris. Ignoratis fortaſſis eſſe certum unum Monaſterium in nobis ipſis, in quo amor proprius imperat, ac proinde pœnitentiâ impoſitâ punit; & hæc ipſa pœna eſt pœnitentia, quam vobis imponit ob lapſum à vobis commiſſum contra Superiorẽ, eò quòd, fortaſſis, non vos tanti faciet poſthac, quanti

ante

ante lapſum. Satis dictum pro ijs, quæ recipiunt correctionem, oportet adhuc verbum unum addere pro illis, quæ corrigunt. Præterquam igitur, quòd debeāt eſſe præditæ magnâ prudentiâ ad capiendum tempus & occaſionem corrigendi cum omnibus debitis circumſtantijs, non debent vnquā mirari, multò minus offendi, quòd eæ ſorores, quas corrigunt, afficiantur animo, res enim perdura eſt, cuique videre ſe corrigi.

Petitis tertio loco, quid, & quomodò vobis agendum eſſet, ut ſemper mente pura ferremini rectà in DEUM, non aſpiciendo ad dexteram, neque ad ſiniſtram; charæ filiæ, veſtra propoſitio pergrata mihi eſt, quia ſuum ſecum fert reſponſum, faciendum eſt id, quod dicitis, tendendum eſt ad DEUM non declinando, imò nec aſpiciendo ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Non id eſt, quod vos petitis, ut exiſtimo, ſed quomodo vobis agendum eſſet, ut ſic mentem veſtram in DEO ſtabiliretis, ut nihil ab eo poſſet eam ſeparare, neque retrahere. Duæ res ad hoc ſunt neceſſariæ; mori ſcilicet, & beatitudine æternâ perfrui.

Nam poſt hoc nunquam erit ſeparatio, & anima veſtra indiſſolubili vinculo unietur DEO ſuo. Dicitis, quod neque hoc petatis; ſed quid vobis eſſet faciendum ad impediendum, quò minus, vel minima muſca veſtram mentem abſtra-

heret

heret à Deo, ſicut nunc fieri videtis: vultisné fortè dicere minima diſtractio? Parcite mihi, charæ filiæ; minima diſtractionis muſca non abſtrahit à Deo veſtram mentem, ſicut dicitis: nihil enim nos removet vel abſtrahit à Deo, quàm peccatum, cùm inter alia, decretum, quod matutino tempore fecimus retinendi mentem noſtram unitam cum Deo, & inſuper attentam ad ejus præſentiam, efficiat nos ſic manere cum Deo noſtro; imò etiam quando dormimus: ſiquidem id in nomine Domini, & ſecundùm ejus voluntatem agimus: quin & videtur divina ejus bonitas nobis dicere: Dormite et requiescite, et ego interea oculum habebo ad vos custodiendos et defendendos, à leone rugiente, *qui ſemper circumit quærens vos deuorare.* Animadvertite igitur an non jure merito debeamus decenter & modeſtè decumbere, uti ſupra diximus? atq; hic modus eſt bene faciendi omne id, quod facimus, attentos nos eſſe ad omnem Dei præſentiam. Nam noſtrum nemo eum offendet, attendendo, quòd nos intueatur. Nec ipſa peccata venialia valent nos avertere à via, quâ Deus nos ducit; remorantur quidem, dubium non eſt, aliquantulum à noſtro itinere; ſed non ideò nos avertunt; multò autem minùs avertunt ſimplices diſtractiones; ut dixi in introductione ad Vitam devotam. Quod

SPE-

SPECTAT AD ORATIONEM, non minus ea nobis eſt utilis, neque ingratior Deo, ob habitas in ea multas diſtractiones; imò fors utilior, quàm ſi inter eam faciendam multis abundaſſemus conſolationibus. Quia plus ineſt laboris, modò tamen fideliter dictas evitaverimus diſtractiones, & eis mentem noſtram voluntariè non occupaverimus. Idem dicendum eſt de labore, quem totius diei decurſu habuimus, vt mentem in Deo & rebus cœleſtibus fixam retineremus, dummodò curam adhibeamus cohibendo mentem noſtram, ne poſt muſcas iſtas & papiliones currat, & hoc adinſtar alicujus matris erga ſuum infantem: Videt illa tenellum filiolum delectari venatu papilionum, credentem poſſe ſe capere: illa eum retrahit, & arrepto ejus brachio continuè retinet, dicens: filiole mi, ſubſiſte apud me, meliùs eſt, quàm ut contrahas infirmitatem currendo poſt papiliones in ſole volitantes. Innocens infantulus manet apud matrem quouſque videat alium, poſt quem paratus eſſet currere, ſi mater eum non retineret, uti ante. Ecquid ergo hic faciendum? patientia habenda eſt, & cavendum, ne laborem pro Dei amore & ſalute noſtra ſuſceptum deſeramus.

Verùm, ſi non decipior, quando dicimus non poſſe nos Deum invenire, (eò quòd procul à nobis eſſe videatur) volumus dicere, non poſſe

nos

nos ſenſum & argumentum ejus præſentiæ deprehendere. Notavi complures homines non facere diſcrimen inter Deum, & ſenſum aut argumentum præſentis Dei; inter fidem & ſenſum fidei: qui maximus eſt error: illis videtur, quando non ſentiunt Deum præſentem, ſe non eſſe in ejus præſentia; & hoc magna eſt ignorantia; nam is, qui it ad Martyrium Dei amore ſubeundum, & nihilominus nihil cogitat de Deo eo tempore; ſed de ſuo dolore; eſto nullum tunc habeat ſenſum, & cogitationem de fide, non ideò intermittit mereri ob favorem primi ſui decreti, & actûs maximi amoris, quo ſtatuit mori pro illo.

Multùm valde intereſt inter habendam DEI præſentiam (intelligo eſſe in ejus præſentia) & habere ſenſum ejus præſentiæ. Nemo niſi DEUS ſolus poteſt nobis hanc gratiam præſtare: nam, ut dem vobis modos, & rationes acquirendi iſtum ſenſum, mihi impoſſibile eſt. Petitiſné, quomodò agere debeatis, ut ſemper magnum reſpectum & reverentiam erga DEUM habeatis, cùm vos ipſæ indigniſſimas judicetis tali gratia? Modus alius id faciendi non eſt, quàm is, quem dicitis. Advertatis eſſe DEUM noſtrum; nos autem debiles ejus creaturas, omni honore indignas, uti faciebat ſanctus Franciſcus, qui integram noctem vigilans tranſegit interrogando

DEUM

DEUM his terminis: QUIS ES TU? & quis ſum ego? Tandem, ſi à me petitis: quomodo me gerere debeam, ut DEI amorem adipiſcar? Dicam ego: VOLENDO EUM AMARE; & pro eo quo vos occupatis, cogitando & petendo, quid faciendum vobis ſit, ut DEI ſpiritui vos uniatis, praxim eum amandi arripiatis per continuam applicationem veſtri ſpiritûs ad DEUM: & hoc ſi faciatis, ſecuras vos facio, citiùs ad veſtram prætenſionem perventuras eo modo, quàm quâcunque aliâ viâ: nam quò magis nos diſsipamus, eò minùs ſumus collectæ; & ideò minùs etiam capaces ad nos uniendum, & conjungendum divinæ majeſtati, quæ vult nos ex integro ſuos eſſe.

Non paucæ ſunt animæ, quæ tam multùm ſe occupant, quomodò facturæ ſint id, quod faciendum eſt, ut non habeant tempus præſtandi id verè, quod præſtandum ſtatuerunt; & tamen in eo, quod reſpicit earum perfectionem, quæ conſiſtit in unione animæ humanæ cum divina bonitate, non eſt quæſtio alia, quàm parum ſcire, & multùm facere. Videntur mihi ij, à quibus quæritur via veniendi ad cœlum, rationabiliter dicere, uti ſolent dicere ij, qui reſpondent: bone vir, ad veniendum ad talem & talem locum, oportet te ſemper ire, ponendo pedem unum ante alterum, ut pertingas ad locum deſideratum.

Ite ſemper, dicitur animabus deſiderantibus perfectionem, ite, inquam, viâ veſtræ vocationis, in omni cordis ſimplicitate, occupando vos magis in faciendo, quàm deſiderando: hæc enim ad perfectionem breviſſima eſt via:

At hic latitat aſtus unus, quem bona veſtrâ veniâ (ſi tamen concedetis) vobis detegam, nullius tamen veſtrum, ut ſpero, cum offenſione: is aſtus eſt, quòd velletis vos à me edoceri viam perfectionis factam tritam, ut ſolummodò eam imponeretis veſtris capitibus, uti induendam imponitis veſtram veſtem, & hoc modo eſſetis perfectæ abſque ullo labore & moleſtia; id eſt, ut darem vobis perfectionem totam quantam conſummatam, nam quod ego dico faciendum, non eſt gratum naturæ, nec eſt id, quod vellemus. O verè! ſi id in mea eſſet poteſtate, perfectiſſimus eſſem omnium mortalium hujus mundi: nam ſi poſſem alijs conferre perfectionem abſq; ullo labore polliceor me omnium primò mihi collaturum. Videtur vobis perfectio eſſe velut ars quædam, cujus ſecretum, ſi inveniri poſſet, ſtatim ea haberetur abſque ullo labore & moleſtia. Verè nos ipſos decipimus; nullum aliud eſt hîc ſecretum, quàm facere, & laborare fideliter in exercitio divini amoris; ſi illius mentis ſumus, ut nos uniamus DILECTO. Perquàm autem vellem notari, quòd, quando ego dico

FACE-

FACERE ET LABORARE OPORTERE, mihi eſſe ſermonem de parte ſuperiori animæ : nam reniſus & repugnantia partis inferioris non plus eſt curanda, quàm homines tranſeuntes curent canes à longè latrantes & catenis alligatos. Qui interſunt convivio cuipiam, fodicant, & vellunt quodlibet ferculum, & de omnibus parum aliquid comedunt, conturbantes, & intervertentes ſibi ſtomachum, in quo ita magna fit indigeſtio, ut ex ea tota nocte ſomnus ijs ſubtrahatur, non potentibus quidquam facere, niſi exſpuere.

Hujuſmodi animæ, quæ deguſtare volunt omnes methodos, & modos, qui conducunt, vel conducere poſſunt ad perfectionem, idem factitant : nam cùm ſtomachus earum voluntatis non habeat tantum caloris, quantum neceſſe eſſet ad digerendos & in praxim redigendos tot modos, fit neſcio quæ cruditas, & indigeſtio, quæ eis tollit omnem pacem & tranquillitatem mentis apud Deum Dominum : QVI EST VNUM ILLUD NECESSARIUM, quod Maria elegit, & quod non tolletur ab ea in æternum.

Gradum nunc faciamus ad alteram petitionem, quâ me rogaſtis, quomodò efficere poſſetis veſtra decreta, ſeu propoſita ita firma & inconcuſſa, ut reducatis in effectus ? Melior non eſt modus, charæ filiæ, quàm, ut ipſæ dicitis, ea reducere in praxim. Sed dicitis iterum vos ita de-

biles esse, ut, quamvis sæpenumero (vestro judicio) fortia faciatis decreta non cadendi in imperfectiones, à quibus vos emendare desideratis, nihilominus oblatâ occasione, lapsus non sufficienter evitetis.

Vultisné vobis dicam, quare ita simus debiles? quia nolumus abstinere à cibo insalubri: quemadmodum si homo quispiam, qui percuperet stomachum habere liberum ab omni infirmitate, peteret à Medico, quid sibi faciendum esset, responderet illi: noli comedere tales cibos, quia generant cruditates, quæ deinde creant dolores. Huic nolenti ab ijs abstinere, prorsus sumus similes: vellemus exempli causâ charam & acceptam habere correctionem, sed volumus intereà manere obstinatæ. O! quæ est ista stultitia? Hoc fieri non potest, non potestis esse fortes, & idoneæ ad generosè ferendas reprehensiones, quamdiu manducatis cibum propriæ vestræ æstimationis. Vellem equidem animam retinere collectam, sed nolo resecare tot genera reflexionum inutilium: hæc autem simul consistere nequeunt.

Mi Deus quàm cuperem me esse firmam & invariabilem in meis exercitijs! sed simul nollem pati tot dolores & molestias. Verbo, vellem opus invenire omnibus suis perfectionibus expeditum & expolitum: at nequit hoc fieri, vitâ

hac

hac durante; quia semper habebimus in quo laboremus & patiamur.

Festum Purificationis (quod jam aliàs vobis dixi) caret Octava. Oportet nos duo decreta, seu ut dicunt, duas æquales habere resolutiones, unam ad videndum crescere malas herbas in nostro horto, alteram ad habendum animum & oculum ad videntes eas eradicari, quin & nos ipsos penitus eas eradicantes: quia proprius amor non morietur, dum nos vivemus: is autem est, à quo pullulant istæ impertinentes productiones. Cæterùm non est esse debilem prolabi subinde in peccata venialia, modò continuò ex ijs resurgamus per reditum animæ nostræ in Deum, nos svaviter & efficaciter humiliando. Inducere non debemus in animos nostros, posse nos semper vivere sine aliquo hujusmodi peccatorum venialium. Solius enim Beatæ Virginis inter puros homines illud est privilegium. Et quamvis ea aliquantulum nos remorentur (uti dixi) non tamen avertunt aut avocant à via; adde quòd unicus Dei intuitus ea extinguit. Tandem sciendum est, nos nunquam non d bere facere hujusmodi decreta, esto certò videamus nos, juxta ordinarium nostrum agendi modum, executioni non mandaturos; imò verò, esto adverteremus certò futurum, ut nos in effectum non deduceremus, etiam offerente se occasione.


Et quidem hoc faciendum est majori firmitate & stabiliori animi decreto, quàm si crederemus ac experiri videremur animum sufficientem ad consequendum id, quod animo concepimus: dicendo Domino nostro: verum est me non habere tantas vires, ut faciam vel sufferam ex me ipsa talem rem; sed incedo lætitijs, videns futurum, ut tua virtus eam in me efficiat. Et hoc nixa fundamento, ito generosè ad pugnam, & nil dubita, quin reportatura sis gloriosam victoriam.

Dominus noster idem agit erga nos, quod bonus pater, aut indulgens mater, quæ sinit ambulare suum infantem solum, quando est in aliquo svavi prato, vel ubi magnum est gramen, aut etiam supra muscum, quia advertit, quod etsi cadat, nihil aut parum illi nocebit: at in malis, & periculosis vijs, sollicitè eum portat inter brachia. Vidimus frequenter utriusque sexûs homines generosè tulisse adversos assultus, nullaq; ex parte cedentes; suis inimicis evasisse superiores: qui posteà superati fuerunt in rebus occurrentibus non magni momenti. Et quare hoc? nisi quia Dominus videns eos non multùm sibi nocituros, esto cadant, sinit solos ambulare, quod non facit, quando sunt in magnis tentationum præcipitijs, à quibus eos manu suâ omnipotente retrahit.

Sancta

Sancta Paula Romana, quæ comprimis generosa fuit in mundo deserendo, & Civitati Romanæ valedicendo, nec non tot & tantas, quibus abundabat commoditates relinquendo; & quæ non potuerat moveri, & absterreri ab incepto per affectum maternum (quo nobilissimas suas proles prosequebatur) ita nimirum fortiter statuerat omnia derelinquere, ut Deum sequeretur: tamen post admiranda ista à se patrata, sivit se superari tentatiòne proprij judicij, à quo persvadebatur non debere se submittere judicio complurium magnorum & celebrium sanctorum, qui svadebant, imò volebant, ut relinqueret, & resecaret quædam suæ austeritatis ordinaria. In quo S. Hieronymus fatetur eam fuisse reprehensibilem.

Notemus pro conclusione omnia, quæ hac Collocutione diximus, esse res perquam delicatas, multùm subtiles pro perfectione: & ideò nullam vestrum, quæ hæc intellexit, debere mirari, multò minùs turbari, si deprehendat se ad hanc perfectionem non pervenisse, siquidem, gratiâ Dei adjutæ, omnes eam intenditis animumque promptum geritis ad eam prosequendam & comprehendendam eo gradu, quo valebitis.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO X.

De Obedientia.

Bedientia est virtus moralis dependens à Iustitia: porrò sunt certæ quædam virtutes morales, quæ tantum affinitatis habent cum virtutibus Theologalibus (quæ sunt Fides, Spes, Charitas) ut propemodum videantur Theologicæ, esto longè inferioris gradûs sint, uti Pœnitentia, Religio, Iustitia & Obedientia. Ipsa autem Obedientia consistit in duobus punctis.

I. est obedire Superioribus; II. obedire item æqualibus & inferioribus. Verùm secundum punctum magis pertinet ad humilitatem, svavitatem, & charitatem, quàm ad obedientiam: nam is, qui est humilis, putat ab omnibus se longè superari, esseque multò meliores, quàm ipse sit; ita ut reputet, & credat eos in omnibus se esse superiores, ac proinde ijs imperantibus obedire debere. Verùm quantum attinet

tinet ad obedientiam, quæ respicit Superiores, quos Deus constituit ad nos gubernandos, ea est justitiæ & necessitatis; quæ proinde præstari ac reddi debet integra cum submissione nostri intellectûs & voluntatis. Porrò obedientia hæc intellectûs exercetur tunc, quando jussi acceptamus, & approbamus quod jussum est, non solùm voluntate, sed etiam intellectu; æstimantes & approbantes rem demandatam; quin & eam omni re alia, quæ nobis ista occasione potuit demandari, judicamus meliorem. Quando eò perventum est, adeò delectat nos obedire, ut insatiabiliter desideremus nobis aliquid præcipi, vt totum, quod facimus, ex instinctu & jussu obedientiæ faciamus. Et hæc est obedientia perfectorum, quam vobis exopto; ea autem procedit ex puro Dei dono, vel certè acquisita est longo cum tempore, & labore infatigabili per multitudinem actuum sæpe sæpius iteratorum, & productorum insigni ac viva fortitudine; quibus dein acquiritur habitus. Naturalis nostra inclinatio trahit semper ad desideria mandandi, conaturq; nobis obtrudere aversionem ad obedientiam; & tamen certum est nos habere magnam capacitatem ad obediendum, & fors nullam, aut perexiguam ad imperandum.

Obedientia magis ordinaria tres habet conditiones: I. est acceptare libenter rem nobis

demandatam, noſtramq; voluntatem ei accommodare, ac veluti ſvaviter inflectere gaudentes, quòd nobis demandata ſit. Nam nullus reperitur modus, quo efficiamur verè obedientes, niſi quempiam habeamus, qui nobis imperet: ſicuti non efficimur ſvaves manendo ſoli in aliquo deſerto. Caſſianus refert ſe exiſtentem in deſerto, ſubinde in choleram incidiſſe, apprehenſamque pennam ad ſcribendum, ſi non ad lubitum litteras ſubitò exprimebat, procul abjeciſſe. Vnde concludit nihil prodeſſe, ſi ſoli ſimus, ſiquidem choleram ſemper nobiſcum portamus. Virtus eſt bonum ex ſe ipſa quod non dependet ex privatione ſui contrarij. II. conditio obedientiæ eſt promptitudo, cui oppoſita eſt pigritia, vel triſtitia ſpiritualis; rarò enim evenit hominem triſtitiâ affectum rem ullam promptè & exactè facere (in terminis Theologicis pigritia nuncupatur triſtitia ſpiritualis) & hoc eſt quod impedit quo minus generoſè & promptè obtemperemus. III. conditio eſt perſeverantia, non enim ſatis eſt quòd libenter amplectamur mandatum, & per aliquod temporis ſpatium illud executioni mandemus, niſi perſeveremus: eſt enim perſeverantia, quæ refert coronam.

Paſſim ubique admiranda inveniuntur perſeverantiæ exempla; ſed in ſpecie, ac præſertim in

vita

vita Sancti Pachomij. Fuerunt Monachi, qui perseverârunt cum incredibili patientia exercẽdo se totâ vitâ in eodem exercitio, seu labore manuum: sicut fuit probus Pater Ionas, qui nihil unquam totâ vitâ aliud exercuit, fecitq́; (prę-ter culturam horti) quàm mattas, seu junceas storeas. Et quidem adeò labori isti assveverat, ut etiam clausâ fenestrâ suæ cellulæ dictas storeas conficeret, meditando & orando; unum facienti, non erat alterum illi impedimento, quò minus etiam illud probè faceret. Certè inventus est mortuus genibus decussatis, in modum crucis cum storea ijs applicata. Mortuus est in eo, quod totâ vitâ suâ exercuerat; nemo negaverit eximium humilitatis actum esse, totâ vitâ per obediẽtiam se circa unum exercitium, quod ex se erat abjectum, manibus laborãdo fructuosè occupare: nam multæ tentationes possunt occurrere cogitandi sibi non deesse capacitatem ad aliquid aliud excellentius exercendum.

Porrò tertia hæc conditio est cæteris longè difficilior propter levitatem & inconstantiam humani ingenij, nam horâ unâ rem aliquam amamus; alterâ ne aspectum quidem eius ferimus, si vellemus sequi omnes motus nostri ingenij, vel si possibile nobis id esset facere, excluso omni scandalo, & dedecore, nihil aliud in nobis videremus, quàm mutationes. Nunc vellemus

esse in hac conditione, & paulò post ambiremus aliam. Tantæ inconstantiæ subjectum est ingenium humanum! verùm ligandum est fortitudine laqueorum primarum resolutionum seu decretorum, ut vivamus uniformiter & æqualiter inter inæqualitates nostrorum sensuum, & eventorum.

Porrò ut afficiamur erga obedientiam, quando tentamur, faciendæ sunt considerationes de eius excellentia, de pulchritudine & de eiusdem merito, quin & de utilitate, ut nos animemus ad porrò pergendum. Id autem intelligendum est de eis, qui nondum satis stabiliti sunt in obedientia. Verùm, quãdo non est quæstio alia quàm de simplici aliqua aversione, aut fastidio rei demandatæ, actus amoris quispiam egregius faciendus est, & opus imperatum animosè aggrediendum.

Ipse Christus Dominus in sua Passione magnũ sensit fastidium & horribilem aversionẽ à morte subeunda: quod ipsemet dixit: sed tamen quoad rationem animæ resignatus erat voluntati Patris, reliqua verò omnia non erant nisi unicus motus naturæ. Perseverantia difficilior est in rebus interioribus; nam quod ad materiales, & exteriores attinet, sunt eæ sat faciles. Profluit hoc ex eo, quòd molestum sit nobis intellectum subijcere; est enim illud ultimum, quod sub jugum

gum

gum adducimus: ſed non obſtante moleſtiâ, quam ſentimus ſubjugando illud, prorſus neceſſarium eſt, ut cogitationem noſtram certis quibuſdam objectis ſubijciamus, alioquin quæ ſpes perſeverandi in exercitijs nobis aſſignandis ab obedientia, & exercendi virtutem, non ſubjecto penitus noſtro intellectu? Non dico deeſſe nos perſeverantiæ, quando exiguas aliquas interruptiones interijcimus, modò non omnino rem infectam derelinquamus; ſicut non deſumus obedientiæ ex eo, quòd minutulas aliquas illius conditiones omittamus (maximè cùm ſolùm ad ſubſtantiam virtutum, & non ad earum conditiones obligemur.) Nam etſi obediamus cum aliqua repugnantia, & quaſi coacti per obligationem noſtræ conditionis, obedientia tamen noſtra non deſinit eſſe bona: & hoc ex virtute primi noſtri decreti ſeu reſolutionis: Verum eſt eam eſſe longè majoris valoris, quando exhibetur cum omnibus conditionibus, quæ relatæ ſunt. Nam ſit res quantumvis exigua, facta tamen tali cum obedientia incredibilis eſt meriti & valoris.

Obedientia eſt virtus adeò excellens, ut Chriſtus Dominus voluerit gubernari omnia vitæ ſuæ momenta per illam, prout ſuo ſacro ore crebrò dicere dignatus eſt: *non veni,* inquit, *ut facerem voluntatem meam,* ſed Patris mei. Confirmat Apo-

ſtolus,

ſtolus, dum dicit eum *factum obedientem uſque ad mortem, & quidem mortem crucis*; voluit merito infinito perfectæ ſuæ charitatis jungere meritum perfectæ obedientiæ. Charitas cedit aliquando obedientiæ, quia obedientia dependet à Iuſtitia, unde melius eſt ſolvere quod debetur, quàm Eleemoſynam facere, quod eſt dicere, melius eſt facere obedientiam, quàm actum charitatis elicitum à motu propriæ noſtræ voluntatis.

II. Punctum, in quo conſiſtit obedientia, potiùs eſt humilitas, quàm obedientia: nam genus hujus obedientiæ, eſt facilitas quædam, & promptitudo, ſeu flexilis quædam mollities, ad ſequendam voluntatem alterius, quæ non poteſt non eſſe maximè amabilis, dum vertit noſtrum intellectum omnem in partem, & diſponit ad ſemper faciendam Dei voluntatem. Exempli causâ, ſi dum me confero ad locum aliquem, & ſoror quæpiam mihi obviet, mihiq; dicat, ut aliò eam, voluntas Dei in me eſt, ut faciam quod illa petit potiùs, quàm quòd hic & nunc facere intendo. Quòd ſi oppono opinionem meam illius, Dei eſt voluntas in illa, ut mihi cedat: & ſic de omnibus rebus, quæ ſunt indifferentes: Verùm ſi eveniat, ut circa primam iſtam opinionem, quòd utraque vellet cedere, non immorandum eſſet in hoc conteſtationis certamine; verùm conſiderandum quæ eſſet cauſa melior

ac ra-

ac rationabilior, & deinde facere ſimpliciter quod viſum erit: hic autem ſapientiâ duce & rectore opus eſt. Non enim eſſet conveniens relinquere rem omnino neceſſariam ad obſequendum rei cuipiam de ſe indifferenti.

Si vellem exercere actionem magnæ mortificationis, & ſoror alia accedens mihi diceret, ne eam faciam, vel certè ut faciam aliam; reijcerem ego in aliud tempus, ſi eſſet poſſibile, primum meum conceptum, ad faciendam ejus potius voluntatem, & poſteà decretum meum exequerer: quòd ſi non poſſem illud omittere, vel remittere, & viderem id, quod à me vellet obtinere, non eſſe neceſſarium, facerem primò rem mihi decretam: ac dein ſi fieri poſſet, operam darem recuperando huic ſpirituali lucro, faciendo quod ſoror à me poſtulabat.

Si contingat ſororem aliquam petere, ut quidpiam in ſui gratiam faciam, & repentè obruta dem ſigna exteriora alicujus interioris repugnantiæ, non debet ſoror illa ex inanibus conjecturis, ſuſpicione commoveri, nec oſtendere ſe id notare, neque deprecari, ut illam gratiam ſibi præſtare omittam: non enim in noſtra eſt poteſtate impedire, quò minus color noſter, oculi, & cõſtitutio noſtra teſtetur pugnam interiorem, eſto ratio velit rem petitam exequi: ſunt enim illa ſigna nuncij, qui veniunt, neq; vocati,

neq;

neq; missi; quibus esto, dicas abite, iter vestrum relegite, ordinariè nō facient. Qua igitur ex causa & proposito nollet soror illa, ut facerem id, quod à me petivit, ideòné solùm quod advertit me habere repugnantiam? amare certè debet, ut id faciam, quod meæ prodest animæ. Dices forte, ideò illam recusare, quia me offenderit. Non, sed prævalet amor proprius, qui nollet me ne minimam quidem cogitationem concipere, quòd illa sit importuna: concipiam tamen, licet ei inhæsura non sim. Si nihilominus signo mei renisûs jungam verba, quæ apertè testentur me animum non habere ut faciam, quod soror à me petit, potest illa, imò debet suaviter mihi dicere, ne id, quod expetit, faciam: & hoc quando personæ sunt inter se æquales; nam si sint quæ auctoritatem habeant, fortiter eæ instare debent, ut sibi inferiores subjectos contineant.

Porrò licet soror aliqua penitus recusârit rem aliquam, vel repugnantiam monstrârit, non ideò desistere debeo cum fiducia alia in re, & occasione ejus opem exposcere; neque etiam debeo inde scandalum pati ob ejus imperfectionem. Nam eâ horâ eam tolero, & mox illa me tolerabit; nunc aversionem habet faciendi rem illam, quam alia vice faceret libentissimè; si tamen experientiâ mihi constaret talis esse ingenij, quæ necdum esset capax istius modi secum agen-

di, ex-

di, expectarem, & reijcerem in tempus aliud, usque dum melius esset disposita. Omnes capaces esse debemus tolerandorum defectuum communium, imò uniuscujusque in particulari: nec ullo modo oportet mirari & obstupescere si eveniant. Nam si aliquo temporis intervallo simus sine lapsu, paulò post vix aliud faciemus, quàm labi in magnas imperfectiones: ex quarum sequela oportet proficere per propriam nostri abjectionem, quæ nobis inde evenit. Tolerandæ sunt cum patientia remoræ, & impedimenta nostræ perfectionis; nos tamen semper conari debemus ex animo proficere.

O felices ij, qui viventes in expectatione, nunquam ab ea recedunt! quod dico propter plures, qui toti quanti sunt in hoc, ut se perficiant, per acquisitionem virtutum, quas vellent una vice, & momento acquirere: quasi verò perfectio consisteret solùm in desiderijs. Magnum per omnem modum esset bonum, si possemus esse humiles simulatque desideraremus esse, absq; ullo alio labore ac difficultate. Oportet ut nos assvescamus ad requirendos successus nostræ perfectionis, juxta vias ordinarias; & hoc in omni cordis tranquillitate, facientes quidquid in nobis est ad eas acquirendas per fidele studium, quod adhibendum est unicuique ad eas exercendas, prout exigit cujusque conditio & vocatio:

vocatio: & de cætero expectare quidquid evenerit, quantum attinet ut citò aut tardè pertingamus ad ſcopum noſtræ intentionis, Dei providentiæ (cui curæ erit nos conſolari tempore, quo id deſtinavit facere) id permittendo; eſto differret id facere uſque ad ultimam vitæ noſtræ horam, imò & ad mortem ipſam, ſufficere id nobis debet: dummodo noſtro exactè ſemper defungamur officio, ſemper faciendo quantum valemus: ſat citò habebimus quod deſideramus, quando illud à Deo donatum poſſidebimus.

Expectatio hæc & reſignatio eſt pernecesſaria; nam ſi abſit, dici vix poteſt quantum turbationis inferatur animæ. Nobis ſatis eſſe debet, quòd ſciamus per eum, qui nos gubernat, nos bene facere, & non requirere neſcio quos ſenſibiles affectus, teſtimonia, notas & notitiam particularem; ſed iter noſtrum proſequi, adinſtar cœci, in hac providentia & confidentia in Deum: etiam per medias deſolationes, timores, obſcuritates, & omnia alia crucis genera, quæ illi placuerit nobis immittere. Manete igitur, charæ filiæ, perfectè reſignantes & committentes vos ejus ductui abſque ulla exceptione vel reſervatione; penitus in ejus bonitatem projicientes tum corporis, tum animæ ſolicitudinem; repeto, maneamus omnino reſignatæ, & in eo conquieſcamus, ſub gubernatione ſuperiorum, nullam aliam geren-

gerentes curam, quàm ut exactè dictis superioribus obediamus.

Porrò modus acquirendi hanc facilitatem ad promptè obtemperandum voluntati alterius, est frequenter in oratione facere actus indifferentes, & deinde eos quando occasio se præsentabit, in praxim deducere. Non enim satis est exspoliare coram Deo, quia cùm id fiat solummodò imaginariè, non magni est momenti & negotij; sed quando res ipsa in effectum danda est, & nos omnino Creatori Deo tradidimus, & tamen nobis assignatur creatura, quæ nos regat, magna per omnem modum reperitur differentia: proinde hic & nunc excitandus & advocandus est animus, ut generosè pugnet. Suavitas hæc, & acclinatio ad voluntatem proximi exequendam, virtus est maximi momenti: est siquidem signum seu SYMBOLVM ORATIONIS TENDENTIS AD VNIONEM. Nam quemadmodum oratio aliud non est, quàm renunciatio nostri ipsorum in Dei manus, quando anima dicit cum veritate: non ampliùs habeo voluntatem nisi tuam, ò Deus, tunc tota quanta unita est Deo; ita dum renunciamus nostram voluntatem, ut voluntatem proximi faciamus, ea est vera unio cum proximo: sed nota ea omnia facienda esse propter Dei amorem.

Evenit sæpe personam quampiam parvulam & debilem corpore & spiritu (quæ se non solet

exercere nisi in rebus exiguis) tantâ eas actiones facere charitate, ut merito longè superent actiones magnas & illustres : nam ordinario modo loquendi actiones sublimes fiunt minori cum charitate propter majorem attentionem & considerationes diversas, quæ fiunt circa illas, si nihilominus magnum aliquod opus fiat tanta cum charitate, quanta parvum, dubio procul is, qui illud facit, longè plus meriti & mercedis habebit. Breviter, charitas dat pretium & valorem omnibus nostris operibus. Atq; ita omnia bona quæcunque facturi sumus, facere debemus propter Dei amorem, & mala, quæ evitaverimus, evitanda sunt propter ejusdem amorem.


Bonis actionibus, quas facimus, & singulariter eæ, quæ non sunt nobis demandatæ, nec trahere possunt suum meritum è fontibus obedientiæ valor tribuendus est per charitatem; quamvis & omnes illas facere possumus etiam per obedientiam. Tandem assumendus est animus, & non ab alio, quàm à Deo ipso dependendum est. Character enim filiarum seu Religiosarum VISITATIONIS, est respicere omnibus in rebus Dei voluntatem, eandemque impigrè sequi.

Vos aliàs me rogastis, an sit in vestra potestate facere particulares aliquas orationes ? Respondeo, quantum ad exiguas precatiunculas,

ad

ad quas subinde ex devotione faciendas impellimini, ea in re nihil est mali: dummodò non ita ijs vos affligatis, ut si omittatis illas vobis scrupulus oriatur, vel proposita faciatis eas dicendi quotidie toto anno, vel certo tempore; tales enim orationes ex propria phantasia excogitatæ non debent habere locum inter eas, quas jamjam dixi posse fieri. Quod si quandoque tempore silentij moveamini pietate aliqua, ad dicendum AVE MARIS STELLA, vel VENI SANCTE SPIRITUS, vel denique pium quid aliud, potestis dicere, nihil est difficultatis, dummodò pium id sit Verùm cavendum est ne hoc fiat in damnũ majoris boni. Accipe exemplum, si zelo pietatis existens ante venerabile sacramentum statuas orare ter orationem Dominicam in honorem sanctissimæ Trinitatis, & tunc voceris ad præstandum aliquid aliud, promptè surgere debes, & te conferre ad faciendum quod tibi imperabitur; actionem tamen illam poteris facere in honorem sanctæ Trinitatis loco ternæ recitationis orationis Dominicæ. Non oportet igitur sibi præscribere certas genuflexiones, jaculatorias orationes, & similes exercendas per diem, vel tempus aliquod definitum, nisi dicatur superiori. Hæc non ita dico, ut negem debere nos esse diligentes & assiduas in praxi elevationum mentis & aspirationum in Deum. Porrò

ſi putatis vobis inſpirari hujuſmodi parvas actiones, gratum erit ipſi ſpiritui ſancto, ſi licentiam faciendi petatis. Quin imò, ut omittatis eas facere, ſi vobis non permittantur, ſiquidem ei nihil ita gratum eſt, atque Religioſa obedientia. Addo, vobis non eſſe licitum, ut pro quopiam dicatis certum orationnm numerum: ſi quis autem roget, ut id faciatis, reſpondendum vobis eſt, petituras vos licentiam faciendi: ſed ſi ſolùm quis ſe commendat ſimpliciter veſtris orationibus, poteſtis reſpondere vos id facturas; quin & eodem tempore elevetis mentem in Deum pro eo, qui petijt. Idem eſt intelligendum de ſancta communione: non enim poteſtis communicare pro aliquo ſine licentia; hoc tamen non intelligitur dum in procinctu eſtis ad ſumendum Chriſtum Dominum, ſi vobis tunc in memoriam veniat neceſſitas veſtri proximi, vel certè neceſſitates communes toti populo; poteſtis enim eas Deo commendare, rogando humiliter, ut miſereri & parcere ijs velit. Verùm ſi cupis in particulari ſacroſanctam Euchariſtiam ſumere pro re aliqua obtinenda, petenda eſt licentia, niſi tamen ſit pro proprijs tuis neceſſitatibus, ut eſſe poſſet obtinere robur contra tentationem aliquam, vel certè ad petendam virtutem aliquam à Domino: qui in omnibus ſit benedictus.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XI.

Super idem objectum Obedientiæ.

De virtute Obedientiæ.



Ria ſunt genera piæ Obedientiæ; quorum primum eſt generale & commune omnibus Chriſtianis, quæ eſt obedientia Deo & ſanctæ Eccleſiæ debita in obſervandis eorum mandatis. Secunda eſt obedientia Religioſa multùm exaltata ſuper alteram: eò quòd non ſolummodò complectitur Dei mandata; ſed etiam ſe ſubjcit obſervationi conſiliorum. Eſt obedientia una tertia, quæ eſt illa, de qua intendo loqui tanquam de perfectiore, quæ nuncupatur amoroſa. Et hæc eſt, cujus Chriſtus Dominus totius vitæ ſuæ decurſu exemplum exhibuit.

Sancti Patres huic obedientiæ complures attribuerunt conditiones: ſed ex omnibus tres ſolùm eligam, quarum prima eſt (ut illi nominant)

nant) cœca; ſecunda quòd ſit prompta, & tertia, quòd perſeverans.

Cœca obedientia tres habet proprietates vel conditiones: prima, quòd non reſpiciat vultum Superiorum, ſed ſolùm auctoritatem; ſecunda, quòd non petat informationem de cauſis neque de motivis, quæ movent ſuperiores ad mandandam talem, & talem rem, ſed ſufficit illi ſcire eſſe mandatam. Tertia, quòd non inquirat modos, quos ſequi debeat ad exequendum, quod imperatum eſt, ſibi perſuadens Deum per inſpirationem, ex qua, & vi cujus ei mandatum eſt, daturum vires id complendi. Verùm non inquirendo, quomodò mandatum complebit, illud facere incipit. Ex quo vides Religioſam obedientiam, quæ cœca eſſe debet, ſe perquam amoroſe ſubmittere ad ſimpliciter exequendum id, quod mandatum eſt non indagando, nec diſpiciendo an bene mandatum ſit vel malè, ſolùm attendit, an qui mandat, poteſtatem habeat, & an quod mandatur, ſerviat ad conjunctionem mentis & voluntatis cum Deo habendam: nam ſine his verus obediens nullam unquam rem faciet.

Permulti admodum decepti ſunt circa hanc conditionem obedientiæ, qui crediderunt in hoc illam conſiſtere, ut etiam injuſtè ac perperam mandanti obediatur, eſto foret id conrra Dei, & ſanctæ Eccleſiæ mandata. In quo vehementer

menter errârunt, imaginantes ſibi neſcio quam ſtultitiam in iſta cœcitate quæ nuſquam ei ineſt. Nam quod ad mandata Dei attinet, Superiores poteſtatem non habent contraveniendi, & multò minus mandandi, quod eis vel in minimo adverſetur; ita Inferiores nunquam obligantur obedire tali in caſu, quin imò ſi obediant ſcientes, graviter peccant.

Scio equidem complures quædam patraſſe contra Dei mandata, motos inſtinctu hujus obedientiæ (quæ non ſolùm vult obtemperare Dei mandatis & Superiorum: ſed etiam eorum conſilijs atque adeò etiam propenſionibus) ſic factum, ut plures ſe præcipitarint in mortem per inſpirationem peculiarem Dei, quæ adeò erat fortis & efficax, vt nullo modo poſſent aliter ſibi perſuadere: alioquin enim graviſſimè peccaſſent.

Habetur in lib. 2. Machabæorum 14. v. 35. de quodam ex ſenioribus Iudæis, qui dictus Razias, is impulſus ardenti zelo gloriæ Dei ſe expoſuit furori armorum partis adverſæ, ſciens non poſſe, ſe vulnera & mortem evitare, & ſentiens ſe vulneratum in pectore, extraxit omnia ſua viſcera per vulnus, deinde projecit in aëra inimicis ſuis ſpectantibus. Sancta Apollonia inſilijt in ignem, ſibi ab impijs nominis Dei, & Chriſtianorum inimicis præparatum, ad vitam ipſi tollendam;

Sanctus Ambrosius narrat historiam de tribus puellis, quæ ad evitandam castitatis labem, se in flumen injecerunt, ubi aquæ vehementiâ suffocatæ fuerunt. Verùm hæ aliquid aliunde rationis ac argumenti habebant ad hoc faciendum, quod, quia longum esset deducere, silentio involvo. Sunt & alij non pauci passim obvij, qui se in mortem dederunt, ut ille, qui se injecit in fornacem ardentem. Sed omnia hujusmodi exempla admiranda sunt, non imitanda: sat enim vobis notum est non oportere unquam eò cœcitatis devenire, ut cogitemus Deo posse nos placere, dum agimus contra ejus mandata.

Obedientia amorosa supponit nos habere obedientiam mandatorum Dei. Dicitur hæc obedientia cœca, quia obedit æqualiter omnibus superioribus. Omnes antiqui patres magnopere reprehenderunt eos, qui se submittere nolebant eorum obedientiæ, qui inferioris dignitatis gradûs erant quàm ipsi: unde eos interrogabant: quando vos obeditis vestris Superioribus, quid est quod vos movet, ut obediatis? estné propter Dei amorem? minimè, nam hic nonné æquè tenet Dei locum inter nos atque alter? Dubio procul est Dei Vicarius, Deus autem ejus ore nobis facienda præcipit, & suas nos docet voluntates, per ejus ordinationes, uti faciebat per os alterius. Obeditis igitur, ut video, Superio-

rio-

rioribus, quia ad eos inclinationem habetis, & eorum perſonas reſpicitis. Eheu! nihil plus facitis, quàm homines mundani, quia idem & ipſi faciunt; & quidem non ſolùm obediunt mandatis eorum, quos amant, ſed inſuper non putant ſe ſuo amori erga eos ſatisfeciſſe, niſi etiam proximè eorum propenſiones & affectiones ſequantur, prout facit verus & ſincerus obediens, tam ex parte Superiorum, quàm ex parte ipſiuſmet Dei.

Ethnici quamvis mali, nobis hujus rei præbuerunt exemplum. Nam diabolus ijs loquebatur & reſponſa dabat in diverſis generibus & formis Idolorum: aliqui erant in ſtatuis hominum, alij in glirium, canum, leonum, ſerpentum, & his ſimilibus: & quidem hi miſeri homunciones æqualiter adhibebant fidem omnibus; obedientes æquè ſtatuæ canis, atq; hominis, glirium ſicut leonum abſque ullo diſcrimine. Et quare hoc? quia reſpiciebant ſuos Deos in diverſis hujuſmodi ſtatuis.

Sanctus Paulus jubet nos obedire Superioribus etiam diſcolis. Chriſtus Dominus, ſanctiſſima ejus Mater, & Beatus Ioſephus præclarè nos edocuerunt formam obediendi in itinere, quod fecerunt è Nazareth in Bethlehem. Cùm enim Cæſar Auguſtus decretum edidiſſet, ut omnes ſuo Imperio ſubjecti, ſe conferrent ad locum

Nativitatis suæ, ut ibi conscriberentur, illi ad obtemperandum Imperatori, esto fuerit Idololatra, perpromptè se eò contulerunt; volente per hoc Christo Domino ostendere, ne unquam respiciamus vultum eorum, qui mandant, modò potestatem id faciendi habeant.

Transeamus nunc ad secundam obedientiæ cœcæ proprietatem. Postquam Soror aliqua strenuè contra se ipsam repugnando, punctum hoc obtinuit de non habendo respectum, & non æstimando personam eorum qui imperant, sed æquè per omnia se submittit cuivis Superiori, transit ulterius, & venit ad secundum, quod est obedire sine consideratione intentionis, & finis, ob quem mandatum est, contenta quòd sciat esse mandatum, non se alijs occupando, neque examinando an bene vel male mandatum sit; an adsit ratio faciendi, vel non faciendi tale vel tale mandatum. Abraham admodum commendatur in hac obedientia: Deus eum vocans illi dicit: Abraham *egredere de terra tua & cognatione tua*, id est, extra tuam civitatem, *& veni in terram, quam monstrabo tibi.* Pergit Abraham nil contradicens. Eheu! nonné poterat dicere, Domine, dicis, ut égrediar de civitate, dic ergo mihi, si placet, qua ex parte egrediar? ne verbum dixit, sed perrexit, quo spiritus eum ferebat, non attendens ullo modo an bene iret vel male; quare, &

re,& ex quo motivo Deus ei ita paucis mandârit,ut ne notaverit quidem viam,quâ vellet eum pergere. Certè verus obediens nequaquam diſcurrit, ſed rem ſimpliciter aggrediens, nullâ præmiſsâ inquiſitione, eam exequitur.

Videtur ipſemet Dominus noſter voluiſſe nos edocere, quantopere hoc obedientiæ genus ei gratum ſit, quando apparuit ſancto Paulo, ad viam rectam eum converſurus; nam cùm proprio nomine compellaſſet, faciens eum in terram cadere,excœcavit. Advertitisne quomodo, ut ſuum efficeret diſcipulum, eum cadere fecerit,eum humiliando & ſibi ſubijciendo, ac deinde ſubitò excœcaverit, & ut in civitatem ad Ananiam quærendum intraret,faceretq; quidquid is illi juberet, mandârit? Verùm, cur non ille ipſe Chriſtus illi dixit quid facere deberet,non longius eum ablegando? ille ipſe, inquam, qui dignatus fuerat ei loqui ad convertendum? Sanctus Paulus quidquid ei demandatum fuit, ritè executus eſt. Nihil equidem Chriſto Domino conſtitiſſet,ſi ipſemet ei dixiſſet,quæ illi juſſit dici per Ananiam: ad hoc ſuo exemplo voluit nos intelligere,quàm intimè amet cœcam obedientiam, ſiquidem non alia de cauſa videtur ſanctum Paulum percuſſiſſe cœcitate, quàm ut verum ac ſincerum obedientem efficeret. Quando idem Dominus noſter voluit dare lumen

cœco nato, *fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei, vade & lava in Natatoria Siloe,* Ioan. 9. 6. Miser hic cœcus nonne causam videtur habuisse, modum istum, quem Dominus usurpabat eum sanando, admirandi & dicendi? O mi Deus! quid mihi adhibes, si non essem antè cœcus medicina ista videtur aptissima ad me excœcandum? Nihil horum movit, sed simpliciter obedivit. Sic etiam verus obediens simpliciter credit posse se facere quidquid potest sibi mandari, quia firmiter tenet omnia mandata à Deo venire, vel ejus inspiratione ferri ac proinde impossibilia esse non posse propter potentiam ejus, qui imperat.

Naaman Syrus non ita fecit, unde parum abfuit, quin illi malè cederet. Hic cùm esset leprosus, se contulit ad Elisæum sanitatis recuperandæ gratiâ, eo quòd omnia remedia, quibus anteà usus fuerat ad recuperandam pristinam valetudinem nihil ei profuerint. Sciens igitur ab Elisæo magna & admiranda patrari, eum adivit, & cùm ad eum appulisset, misit unum è suo comitatu, qui eum rogaret, ut sibi sanitatem conferret, quem rogantem audivit quidem Elisæus, sed non egressus est è suo conclavi, verùm servum suum ad eum direxit, qui ei diceret, *vade lavare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Ad hoc responsum cœpit Naaman

man indignari, & dicere : *nunquid non meliores sunt Abana & Parphar, fluvij Damasci, omnibus aquis Iſraël ?* Et obſtinatus nolebat facere : ſed qui eum concomitabantur modeſtè induxerunt ad faciendum quæ propheta injungebat, maximè cùm res factu eſſet tam facilis. Aſſenſit eorum ſvaſioni, & cùm ſepties ſe laviſſet in Iordane ſanatus fuit. Animadvertitisné quomodo ſe periculo expoſuerit non recuperandi ſanitatem, dum tot conſiderationes & diſcurſus facit circa id, quod illi imponebatur ? TERTIA proprietas obedientiæ cœcæ eſt, quod non perpendat neque vel minimùm inquirat, quomodò exequi valeat, quod illi præceptum eſt. Scit enim viam, per quam illi incedendum eſt, eſſe regulam ſuæ Religionis, & mandata Superiorum : hanc viam in ſimplicitate cordis proſequitur, nec tantillum examinat an meliùs ſit hoc modo progredi, an alio, modò obediat ; omnia ei ſunt indifferentia. Optimè enim ſcit id ſufficere ad placendum Deo, ob cujus amorem purè & ſimpliciter obtemperat.

II. conditio obedientiæ amoroſæ eſt, quòd ſit prompta. Porrò promptitudò obedientiæ nunquam non fuit commendatiſsima Religioſis, ut res ſummè neceſſaria ad bene obediendum & perfectè obſervandum quod Deo votum eſt.

Fuit ea obedientia pro NOTA, quam elegit Eliezer ad cognoſcendam puellam, quam Deus deter-

determinaverat pro sponsa filij Domini sui. *Ecce*, inquit, *ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam, & illa responderit bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac. Necdum intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur puella decora nimis, Virgoq; pulcherrima, & incognita Viro: à qua, cùm implevisset hydriam, ac reverteretur, petijt: pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit, bibe Domine mi, celeriterq; deposuit hydriam super ulnam suam & dedit ei potum*, cumq; ille bibisset adjecit illa: *quin & camelis tuis hauriam aquam donec cuncti bibant.* Genesis 24. v. 13. & seqq. Animadvertite, obsecro, quàm promptè & gratiosè non parcat suis viribus, sed liberaliter eas exerceat; non enim modicâ aquâ erat opus ad adaquandos tot camelos, quos Eliezer secum duxerat. Verè, verè actus & opera obedientiæ, quæ non exhibentur cum gratia & promptitudine, Deo parum accepta sunt. Sunt nonnulli, qui obediunt quidem, sed tanto cum languore & vultûs torvitate, ut plurimùm diminuant meritum istius virtutis. Charitas & obedientia tali inter se junguntur vinculo, vt ab invicem separari nequeant; amor, ut prompte obediamus, efficit, nam quantumvis difficilis sit res demandata, is, qui obedientia amorosa præditus est, suscipit exequendam peramanter: quia cùm obedientia sit principalis pars humilitatis, quæ summè amat submissionem,

nem, obediens consequenter amat mandatum, & simul atq; illud à longè conspicit, qualecunq; tandem illud sit, sive arrideat, sive non, illud amplectitur, illi blanditur, & tenerrimè excipit.

Quod habetur in vita Sancti Pachomij exemplum de hac promptitudine ad obtemperandum, volo id vobis enarrare. Inter Religiosos sancti Pachomij erat unus dictus Ionas, Vir magnæ virtutis & sanctitatis, cui demandata erat horti cultura, in quo erat ficulnea una, quæ ferebat eximias ficus: at ficulnea hæc causa erat tentationis Iunioribus Religiosis, quoties ei juxta illam transibant, semper nonnihil intuebantur ficus. Sanctus Pachomius cùm id notâsset, ambulans die quodam per hortum, sustulit oculos ad ficulneam, & advertit diabolum supra illam esse, qui diabolus ex loco superiori deorsum vsque ficus aspiciebat, sicut Religiosi sursum aspiciebant ex loco inferiori easdem ficus.

Magnus hic sanctus cùm non minus in desiderio haberet informare suos Religiosos ad omnimodam mortificationem sensuum exteriorum, quàm ad extirpationem interiorum passionum & propensionum, ad se evocato Ionæ mandavit, ut ficum illam sequenti mane exscinderet; ad quod in simplicitate cordis Ionas opposuit hoc: ò mi Reverende Pater, nonné aliquid indulgendum esset Iuvenibus istis Religiosis, ad eos

in re

in re aliqua non mala relaxandos? non pro me intendo eam reservare. Ad quod dictum magna cum suavitate respondit Pater; tu quidem, mi frater, renuis simpliciter & promptè obedire, sed dic quo munere certes, quod ista arbor erit magis obsequens quàm tu? Quod evenit: die enim sequenti invenit Ionas illam totam exsiccatam, nec vnquam ampliùs ullum tulit fructum. Bonus Ionas, dicebat verè se suâ causâ eam ficum nolle reservare, nam notatum est intra spatium septuaginta quinque annorum, quibus in Religione vixerat, & curam horti habuerat, nunquam eum gustasse ullum fructum horti totius; sed bene eum liberalem fuisse erga fratres. Intereà didicit, quam promptitudo obedientiæ magni sit pretij, ac proinde cordi esse debeat Religiosis.

Christus Dominus toto vitæ suæ tempore continua edidit exempla promptissimæ obedientiæ. Nihil enim excogitari potest adeò flexibile & promptum ad omnia, quàm ille fuerit ad implendam cujusq; voluntatem. Ad ejus exemplum addiscere debemus exactissimam promptitudinem in obediendo: non enim sufficit cordi amoroso, si solummodò exequatur id, quod sibi mandatum, & insinuatum est, nisi id promptè executioni mandet. Qui talis est, vix expectare potest, ut hora adveniat complendi, quod sibi

ordi-

ordinatum est. Et hoc ideo quia percupit sibi res aliquas novas committi exequendas.

David Rex, vix ore ediderat simplex votum sui desiderij de aqua scilicet cisternæ Bethlehemiticæ habendâ ad bibendum, cùm ecce subitò tres fortissimi Iuvenes intrepidè per exercitum hostilem transeuntes allatam inde aquam Regi porrexerunt. Viden', quàm prompti ad exequendum, & ad implendum Regis desiderium fuerunt? Ita passim est videre magna sanctitate conspicuos viros fecisse, ad exequendas inclinationes & desideria, quæ, ut illis videbatur, Rex Regum Christus Dominus habebat. Quale, obsecro, mandatum fecit Christus Salvator noster, quo Divam Catharinam Senensem videretur obligare, ad bibendam, vel linguâ lingendam putredinem, quæ effluebat è vulneribus infirmæ mulieris, cui inserviendi curam susceperat? Quale item sancto Ludovico Regi Galliæ, qui comedebat cum leprosis, & quidem ex eo ipso, quod illis restabat jusculo seu refectione, ut eos excitaret ad cibum sumendum. Nullo penitus modo ad hoc tenebantur, sed scientes quòd Christus id amaret, & testimonium dedisset de inclinatione ad amorem propriæ abjectionis, cogitabant gratum ei se facturos, si seqnendo ejus inclinationem, ista facerent (non obstante, quod id plurimùm repugnaret eorum sensibus) maxi-

mo quo poterant amore. Sumus obligati ſuccurrere noſtro proximo exiſtenti in extrema neceſſitate: nihilominus, quia eleemoſyna eſt unum è conſilijs Domini noſtri, plurimi libenter, quantum in ſua eſt poteſtate, & facultates eorum patiuntur, eam elargiuntur. Porrò ſuper obedientiam conſiliorum inſerta eſt obedientia amoroſa, quâ inducimur ad ſequendum examuſſim deſideria, & intentiones Dei ac Superiorum noſtrorum. At monere hic vos debeo, ut noteris deceptionem, in quam incidere proclive eſt: nam ſi ij, qui vellent proſequi & aſſequi perfectam praxim hujus virtutis, exactè vellent ſemper eſſe attenti, & velut anhelantes ad cognoſcenda deſideria & inclinationes ſuorum Superiorum, vel etiam ipſius Dei, tempus indubitanter perderent. Nam, exempli gratiâ, quamdiu inquirerem quale eſſet eorum deſiderium, non darem interim operam quieti & tranquillitati apud Deum inveniendæ & conſequendæ, quod tamen eſt deſiderium quod nunc Deus habet: ſiquidem nihil aliud mihi faciendum exhibet. Igitur ſi is verbi gratiâ, qui proſequitur inclinationem, quam Dominus noſter ei teſtificatus eſt, de ſuccurrendo pauperibus, vellet ab una civitate ad aliam ſe conferre ad eos inveniendos & inventos pro facultate juvandos, quis ignorat quòd dum eſſet in una, non ſuccurreret & inſerviret

viret ijs, qui ſunt in alia? Opus hoc tractandum eſt in ſimplicitate cordis, faciendo eleemoſynam occurrente occaſione, non autem diſcurrendo per vicos, plateas & domos, ſe occupando & inveſtigando an ibi ſint pauperes ignoti? Eodem modo, quando adverto ſuperiorem meum aliqua à me deſiderare, debeo ego oſtendere promptitudinem ad ea facienda, non ſcrutando an poſſim cognoſcere num habeat inclinationem, ut faciam aliquid aliud; hoc enim omnem pacem & tranquillitatem cordis, quæ eſt præcipuus obedientiæ amoroſæ fructus, tolleret.

III. conditio obedientiæ eſt perſeverantia, quam Chriſtus Dominus nos admodum definitè & diſtinctè edocuit. Sanctus Paulus eam his declarat terminis: *fuit obediens uſque ad mortem*, & addens vim iſti obedientiæ dicit: *uſque ad mortem crucis.* In his verbis: VSQVE AD MORTEM, ſupponitur obediens fuiſſe toto vitæ ſuæ tempore; intra quod vitæ tempus nihil eſt videre aliud, quàm de lineamenta & eximia obedientiæ exempla ab eo exhibita, tum parentibus, tum alijs pluribus, quin imò & impijs ac flagitioſis. Et uti cœpit per hanc virtutem, ita curſum vitæ ſuæ mortalis concluſit & finivit.

Eximius & Religioſus Ionas, de quo ſuprà, nobis ſubminiſtrat duo exempla in hoc ſubjecto de perſeverantia. I. quòd quamvis non ita

promptè obediverit mandato, quod Sanctus Pachomius illi dedit, fuit tamen Religiosus magnæ perfectionis. Nam à tempore, quo ingressus est Religionem, usque ad mortem perstitit firmiter in officio hortulani, nunquam illud mutando, aut deserendo intra spatium septuaginta quinque annorum, quibus vixit in Monasterio. II. fuit exercitium, in quo etiam perseveravit totâ suâ vitâ, ut dictum aliàs, fuit autem facere mattas junceas intertextas folijs palmarum; & quidẽ eas faciendo mortuꝰ est, ut diximus suprà. Non potest nõ esse eximiæ virtutis tanto tempore in vno exercitio perseverare. Nam exequi cum lætitia rem aliquam, quæ una vice demandatur faciendam ad libitum quoad tempus, hoc magni faciendum non est: sed quando tibi dicitur: tu id semper facies usque ad finem tuæ vitæ: hic, hic est ubi resplendet virtus, & latitat difficultas obtemperandi.

Hæc habui quæ vobis dicerem quantùm ad obedientiam, nisi quod unum addo verbum: OBEDIENTIA TANTI EST PRETII, VT SIT COMES ET SOCIA CHARITATIS; & quidem hæ duæ virtutes sunt, quæ decus & pretium omnibus alijs tribuunt; ita ut sine illis omnes aliæ nihil sint: ni habueris has duas virtutes, nullam habes; si autem eas habes, omnes alias simul possides.

Sed pergamus ulterius, positâ ad partem obe-

obedientiâ generali mandatorum Dei, loquamur de obedientia Religiosa: dico, quòd nisi Religiosus obediat, non possit habere virtutem aliquam: quia obedientia est, quæ præcipuè eum efficit Religiosum, cùm sit virtus propria & singularis Religioni. Esto habeas desiderium Martyrij subeundi ob Dei amorem, hoc nihil est, si careas obedientia. Legimus in vita Pachomij unum ex ejus Religiosis, qui ubi partes boni Novitij præclarè gessisset, & exemplo singulari humilitatis, & submissionis alijs præivisset, accessisse sanctum Pachomium, & accensum magno fervore ei dixisse, se magnopere teneri desiderio subeundi Martyrij, neque se aliquando futurum quietum, nisi eo mortis genere è vita discedat: humillimè proinde se eum rogare, quò suis precibus apud Deum efficiat, ut quod animo concepit, effectu compleat. Sanctus Pater conatus est moderari illum fervorem; sed quo plura ille dicebat, eò magis dictus Religiosus incendebatur ad prosequendum suum propositum. Sanctus Pachomius illi dicebat: fili mi, melius est vivere in obedientia, & mori quotidie vivendo per continuam mortificationem sui ipsius, quàm Martyrio afficere nostram imaginationem: sat is moritur Martyr, qui probè se mortificat: majus est Martyrium totâ suâ vitâ persistere in obedientia, quàm semel gladio mori. Vive, ò

vive, fili mi, (ajebat eum divertens ab hoc deſi-
derio) in pace & tranquillitate mentis.

Religioſus, qui certò certius aſſerebat deſide-
rium ſuum eſſe à Spiritu Sancto, nihil omnino
remittebat de ſuo ardore, imò ſemper incitabat
rogando bonum Patrem Pachomium ut preces
pro ſe funderet, ſuum ut deſiderium implere
poſſet. Tempore aliquo præterlapſo, allata ſunt
nova pro ejus conſolatione: quidam enim Sa-
racenus Dux latronum venit in montem Mona-
ſterio vicinum, hinc Pachomius accepit occaſio-
nem eum ad ſe evocandi, & ei dicendi: en per-
commodè, fili mi, advenit hora à te tantopere
deſiderata: i, bono omine ſciſſum ligna in mon-
te. Religioſus præ gaudio ſe non capiens pergit
cantando & laudando Deum, nec non ſummas
gratias agendo, quòd ſe dignum cenſuerit ha-
bendi occaſionem moriendi pro ejus amore.
Interim nihil minùs cogitabat facere quàm
quod fecit. Ecce adſunt latrones, qui cùm
eum conſpexiſſent, rectâ ad eum perrexerunt, &
eum pugnis contundere & minari cœperunt, exi-
guâ admodum morâ ſe oſtendit ſtrenuum. Tu
mortis es filius dicebant illi; nihil aliud, inquit
ille, exopto quàm hoc, mori ſcilicet pro Deo, ſed
& plura alia hujuſmodi reſpondebat. Saraceni
eum duxerunt ad locum ubi ſuum habebant
Idolum, ut illud adoraret, ubi autem viderunt

eum

eum constanter recusare, cœperunt se accingere & præparare ad eum òccidendum. ah pauper hic Religiosus tam strenuus in imaginatione, videns applicatum gutturi suo gladium; hei! obsecro, inquit, ne me occidatis, faciam quidquid volueritis, vos miseremini mei, adhuc sum juvenis, esset damnum abbreviare cursum dierum meorum. Post hæc adoravit eorum Idolum, & pessimi isti latrones illum irridentes, egregiè verberibus exceperunt, & dein siverunt eum reverti in suum Monasterium: quo cùm pertigisset, mortuo magis quàm vivo similis, pallens, & semivivus; Sanctus Pachomius, qui ei obviam processerat, ei dixit: ecquid est, fili mi, quod adeò sis animo & corpore prostratus? tunc miser Religiosus verecundia & confusione plenus, quia erat superbus non potens ferre se ipsum quod tale facinus patrasset se projecit in terram, & abominandum suum fassus est lapsum; cui malo Pater promptè adhibens remedium, jussit fratres orare pro illo; hunc autem petere à Deo veniam, in bonum statum restituit, & bona ac salutaria dedit monita, dicens: fili mi, recordare melius esse habere mediocria vivendi desideria, sicut vivit communitas, & nihil aliud velle, quàm fideliter observare regulas, & non intromittere se in desideria aliarum rerum, quàm quæ comprehensæ, & signatæ sunt melius, inquam, id esse

quàm habere magna desideria patrandi nescio quæ imaginaria & exotica opera: quæ ad aliud nihil valent quàm ad animos inflandos superbia, contemnendosq; alios, credendo sé esse aliquid supra illos.

O quantò melius est vivere sub præsidio sanctæ obedientiæ, quàm se retrahere ab ipsius brachijs, ad investigandum id, quod nobis apparet perfectius! Si tu animum adjecisses, uti tibi dixeram, ad te egregiè mortificandum in vita, quando tu nil admittebas præter mortem, tu non cecidisses, uti periculosissimè cecidisti. Sed bono esto animo, & memineris posthac vivere in submissione, scitoque noxam tibi à Deo esse condonatam. Sancti Patris consilio obtemperavit gessitque se bene & humiliter toto reliquo vitæ tempore.

Dico etiam hoc de obedientia, quòd non sit minoris meriti, quàm sit charitas: nam porrigere vitrum aquæ frigidæ motivo charitatis, valet id cœlum ipsum: Christus enim ipse hoc dicit: fac tu tantum intuitu obedientiæ & eandem mercedem consequeris. Minima res facta instinctu obedientiæ acceptissima est Deo. Tua comestio v. g. ex obedientia gratior est Deo, quàm jejunia Anachoretarum, si suscepta sunt sine obedientia. Da te quieti per obedientiam, quies tua plus meretur, & gratior est Deo, quàm labor voluntarius. Sed

Sed dicet aliqua ex vobis, quid mihi proveniet ex tam exacta praxi obedientiæ amorosæ cũ conditionibus supra dictis, cœcè, promptè, & perseveranter exhibita? O charæ filiæ, qui sic faciet, fruetur in anima sua continua tranquillitate, & sanctissima pace Christi Domini, quæ superat omnem sensum. Non debebit reddere rationem suarum actionum, siquidem omnes factæ fuerint per obedientiam tam regularum, quàm superiorum. Quæ felicitas utilior & desiderabilior istâ esse potest? Profectò verus obediens (ut id dicam per modum transeuntis) amat, honorat, & æstimat unicè suas regulas; nec id aliter, quàm viam, per quam tendere debet ad unionẽ propriæ mentis cum Deo; Et ideò nunquam plus decedit ab ista via, sicut nec ab observantia rerum, quæ dicuntur per modum directionis, quàm ab ijs, quæ mandatæ sunt. Sincerus obediens vivet svaviter & pacificè, velut infans, qui est intra brachia charæ suæ genitricis: cui nihil est curæ de eo quod ei posset evenire: gestet eũ mater super dexterum brachium, vel super sinistrum, nihil laborat; eodem modo germanus & verus obediens, mandetur ei hoc vel illud, nulla agitur solicitudine, modò ei mãdetur, & sit semper intra brachia obedientiæ (intendo dicere in exercitio obedientiæ) est contentissimus sua cõditione. Porrò ei, qui taliter obedit, possum

certò polliceri, ex parte Dei, paradisum pro vita æterna, sicut etiam, durante cursu hujus vitæ mortalis, nil dubitandum est, fruetur vera tranquillitate.

Quæritis nunc ex me, an sitis obligatæ sub pœna peccati facere omne id, quod superiores vobis dicent faciendum esse sicuti & quando rationem redditis an pro mandato habere debeatis quidquid superior vobis dicit, & spectat ad propriũ vestrum profectum? O non, non, charæ filiæ: neque enim Superiores, sicut nec Confessarij semper intendunt obligare inferiores per mandata ijs data: & quando id facere volunt, utuntur verbo, quo significant se mandare sub pœna inobedientiæ: & tunc inferiores tenentur obedire sub pœna peccati, esto mandatum sit leve & de re minimi momenti, aliàs non. Nam dant ij monita triplicis generis, aliqua per modum mandati, alia per modum consilij, alia demum per modum simplicis directionis. De constitutionibus & regulis idem dicendum est: sunt enim aliqui articuli, qui dicunt *sorores rem talem facere poterunt.* alij autem dicunt, facient, vel cavebunt, ne id faciant. Alij itaque sunt consiliorum, alij mandatorum; quæ è sororibus non vellent subijci consilijs, & directioni, adversarentur è diametro amorosæ obedientiæ, & demonstrarent magnam cordis segnitiem, ne dicam igna-

ignaviam; & exiguo se in Deum amore ferri, dum nihil facere volunt, nisi quod præceptum est. Et quamvis non directè adversentur obedientiæ, quam noverunt (quæ est mandatorum & consiliorum) quando non se subijcerent sequelæ directionis, adversarentur nihilominus obedientiæ amorosæ, quam omnes Religiosæ Visitationis debent intendere, & conari, ut perfectè consequantur.

Rogatis, an licitum sit vobis cogitare, quando superior mutatur, eam non esse tam capacē, quàm quæ præcessit: nec habere etiam tantam cognitionem viæ, quâ vos ad perfectionem ducere debet? Respondeo. Non possumus equidem cavere, quò minus nobis incidat cogitatio intra nos ipsos; sed ei inhærendum non est: nam si Balaam bene fuit instructus per asinam, multò magis credere debemus Deum, qui Superiorem nobis dedit, effecturum, ut nos doceat iuxta ejus voluntatem, esto fortassis non juxta nostrā. Dominus noster promisit futurum, ut obediens non pereat. Non profectò: nam si quis sequatur indistinctè voluntatem & directionem Superiorum; quos Deus illi dabit (esto sint ij ignorantes, & gubernent suos subditos juxta suam ignorantiam, imò etiam ducant per vias scabrosas & periculosas) inferiorem istum submittentem se cuicunque rei, quæ manifestè non sit pec-

catum,

catum, neque etiam contra Dei & ſanctæ Eccleſiæ mandata, aſſecurare poſſum nunquam à recto aberraturum. Obediens, inquit Scriptura ſancta Proverb: 21. *loquetur victorias*; id eſt, ſtabit invictus in omnibus difficultatibus, in quas deferetur intuitu obedientiæ faciendæ, & magno ſuo cum honore egredietur ex omnibus vijs, quas ingreſſurus eſt in gratiam obedientiæ, ſint eæ quantumcunque periculoſæ.

Egregius, ſcilicet, eſſet obediendi modus & forma, ſi alijs ſuperioribus nollemus obtemperare, quàm ijs, qui nobis grati ſunt. Si hodie quando habetis Superiorem, quam magni meritò facitis, tam ratione propriæ perſonæ, quàm intuitu eius virtutum, ex corde ei obeditis; cras autem quando aliam habebitis, quæ non ita magni fiet, non ita obedieritis ex animo atque alteri, ei exhiberetis quidem parem obedientiam, ſed non tanti æſtimaretis id, quod vobis dicit, neque etiam tanta cum ſatisfactione, quàm defunctæ officio. Hem! ecquis non videt vos obedire alteri, motas veſtrâ propriâ inclinatione, & non puro Dei amore? Nam ſi Dei amore, quidni obediẽdo tantam haberetis complacentiam, tantiq́ue faceretis, quod hæc vobis dicit, quanti faciebatis id quod altera dicebat?

Solenne mihi eſt ſæpius eandem rem dicere, & bonum eſt ſemper eam repetere, quia oportet

tet illam ſemper obſervare; ea autem eſt, quòd omnes noſtræ actiones exerceri debent ſecundũ PARTEM SUPERIOREM; hoc enim modo vivendũ eſt in hac domo, non autem ſecundùm ſenſus & inclinationes noſtras. Hoc, dubio procul, inde provenit, quòd haberem plus ſatisfactionis, quãtùm ad partem inferiorem animæ meæ, faciendo rem, quam unus ſuperior mihi mandat, ad quem habeo inclinationem, quàm exequendo eam, quam alter erga quem nullatenus afficior, mihi mandat. Modò autem æqualiter obediam quoad partem ſuperiorem, ſufficit, quin obedientia mea merito prævalet, quia cùm minus delectationis habeam illam faciendo, oſtendo me obedire propter Deum, & non propter delectationem meam.

Nihil eſt communius & magis tritum in mundo, quàm hic modus obediendi ijs, qui amantur, ſed alter perrarus eſt, & vix eſt in praxi, niſi ferè familijs Religioſis.

Sed poſſetis fortè petere, an licitum ſit, id, quod facit hic Superior, improbare, & dicere, vel cogitare, quare hic facit ordinationes, quas alter non faciebat? Vltra primum motum, nunquam, charæ filiæ, ſed approbare oportet, quidquid Superiores faciunt, aut dicunt, permittũt, vel prohibent, dummodò nil mandent contra Dei præcepta. Tunc enim non eſt obediendum,

neque

neque approbandum quod mandant. Sed, hoc excepto, debent inferiores ſemper credere, & cogere proprium judicium, ut fateatur ſuperiores optimè facere, & rationem habere mandandi quod mandant: alioquin enim eſſet ſe ipſum facere Superiorem, & Superiorem reddere Inferiorem, ſiquidem conſtituimus nos examinatores ejus cauſæ. Non ſic agendum eſt, ſed humeri ſubijciendi ſunt ſuavi jugo ſanctæ obedientiæ, credendo duos dictos ſuperiores habuiſſe juſtam rationem ferendi mandata, quæ tulerunt, quamvis differant, & unum ſit contrarium, aut ſaltem videatur, alteri.

Verùm licitumné eſſet Religioſæ alicui, quæ jam diu in ordine fuerit, & eximia ſervitia in ea præſtiterit ſe parum relaxare ab obedientia, in minimis quibuſdam rebus? O Deus bone! quid aliud hoc eſſet facere, quàm faceret navarchus, qui cùm jam navim in portum integram poſt diuturnos ac operoſos labores ſuſceptos ad illam conſervandam à periculis, procellis, & fluctibus maris induxerit, vellet demum eam frangere, & ſe ipſum in mare præcipitare, nonné is jure merito ab omnibus ſtultus haberetur? Nam ſi id volebat facere, quid opus fuit tantos labores ſuſcipere, ut eam ſalvam in portum adduceret? Religioſus, qui bene cœpit, nondum omnia fecit, niſi in finem uſque perſeverârit. Non eſt

dicen-

dícendum ſolùm ad Novitios pertinere, ut ſint exacti : quamvis enim ordinariè videantur in omnibus Religioſis familijs pro ſuo ſtatu & conditione multum in mortificatione profeciſſe ; id ex eo non provenit, quod magis ſint obligati, quàm profeſſi. O non, non verè, nam necdum ullo modo ſunt obligati ; ſed perſiſtunt in obedientia ut perveniant ad gradum & gratiam perfectionis ; verùm qui ſolenniter profeſſi ſunt tria ſubſtantialia Religionum vota, obligati ſunt vi, & virtute votorum, quæ emiſerunt. Quæ eos feciſſe & emiſiſſe ut ſint Religioſi, ſi ea non obſervent, minimè ſatis eſt. Religioſus, qui crederet ſe poſſe aliqnantulum relaxare in aliquibus rebus, emiſsâ profeſsione, quin imò poſtquam jam diu in familia Religioſa vixiſſet, magnopere ſe deciperet. Chriſtus benedictus oſtendit ſe magis exactum mortis tempore, quàm infantiæ, dum ſinit ſe tractari, ad libitum flecti ac duci, ut paulò ante dixi. Sed ſatis dictum ſit de Obedientia, ſupereſt ut erga eam toto corde afficiamur & exerceamus.

Vnicum ſolummodò reſtat verbum circa hanc quæſtionem dicendum: quod ſub veſperum heſterni diei fuit mihi propoſitum. An ſcilicet ſit licitum ſororibus ſibi invicem dicere, quòd per Superiorem, vel Magiſtram Novitiarum, datâ aliquâ occaſione, fuerint mortificatæ ?

Respondeo rem hanc tribus modis posse dici. Primo posse sororem unam alteram accedere,& illi dicere: Bone Deus, chara soror, quàm bene me mortificavit nostra Mater! & hoc lætabunda dicit, tum quia digna fuerit habita istâ mortificatione, tum quia Superior occasionem ei dederit acquirendi lucellum spirituale pro sua anima, dum ipsi planè, & sine ambagibus delictum suum explicavit: unde sororem eo fine suæ lætitiæ facit participem,ut laudando Deum se se adjutet.

Secundus modus in quo etiam posset ulteriore vi aliquid dici, & hoc ad accipiendum aliquid solatij,quod est ejusmodi;mortificationem vel correctionem sentit hæc nonnihil esse gravem, vellet proinde ab ea sorore, cui suum aperit dolorem, aliquantulum sublevari, quod fieri solet. Adverte hunc modum non ita tolerari posse, atque primum: quia imperfectio committitur plangendo & querendo.

Tertius autem modus omnino esset malus, si per formam murmurationis & iracundiæ proferretur,diceretur q; Superior à recto aberrasse; quia autem scio hunc loquendi & querendi modum ab hac domo procul abesse, Deum omnibus animæ meæ potentijs laudo, omnibusq; lætitijs incedo: Quod ad primum modum attinet, esto non sit malum dicere, quod explicavi, melius

lius tamen, imò optimum esset, omnino tacere; & se, intra se ipsam, occupare & recreare cum DEO.

Secundus etiam non debet de facili admitti; nam querendo, amittimus meritum, quod haberemus ex mortificatione.

Vultis scire, quid faciendum sit postquam reprehensi, & mortificati sumus? Suscipienda est nobis mortificatio velut pomum amoris, & in corde nostro abscondita, illam deosculando, & quàm possumus tenerrimè delicatissimeque habendo.

Dicere etiam, VENIO NUNC è COLLOQUIO NOSTRÆ MATRIS, sum tam sicca, post illud auditum, quàm antè. Deo, Deo oportet adhærere: certè, ad me quod attinet, nulla mihi accidit consolatio è creaturis; exivi, ut dixi, ex Matris alloquio minori cum consolatione, quàm intraveram.

Hæc profectò non sunt ad propositum: soror illa, apud quam querelæ deponuntur, sorori querenti deberet svavissimè respondere: Charissima soror, quare non arctè te jungis Deo (sicuti dicis esse faciendum) antequam Matri nostræ loquaris? si id faceres, mihi crede, nullam sentires offensionem, quod ab ea non referas consolationem: sed in sensu, quo dicis jungendum se Deo, cave, ne aliquando quærens

Deum, defectu creaturarum, se non sinat à te inveniri, quia vult ad partem positis, & despectis rebus omnibus, quæri; quia creaturæ, ais, non satisfaciunt, quære proinde Creatorem: meretur enim modis infinitis Creator, ut, deseramus omnia ejus amore, vultq; ut id faciamus accuratissimè. Quando igitur eximus à Superiore sicci, nullâ prorsus consolationis guttulâ acceptâ, oportet nos ferre nostram siccitatem velut pretiosum balsamum non minus quàm affectiones, quæ in sancta oratione percipiuntur; velut balsamum, inquam, quod magnæ nobis curæ esse debet, ne tam pretiosum liquorem è cœlo nobis missum, ut maximum donum, incautè effundamus; sed cor nostrum privatione consolationis, quam sperabamus nos inventuras ex verbis Superioris, suffumigemus.

Verùm, res una hic circa præsens subjectum bene notanda est; ea autem est, quòd subinde sicco & duro corde adeamus Superiorem alloquendi gratiâ; quo fit, ut non mereamur semper irrorari & humectari aquâ consolationis, quia nullo modo sumus capaces eorum, quæ dicit Superior. Et quamvis ea optimè & conformiter nostræ necessitati loquatur, tamen minimè id nobis videtur. Alia autem vice, ubi cor tenerum & bene dispositum habuerimus, vix tria aut quatuor verba dicet, etiam minùs utilia nostræ

perfectioni, quàm alia erant, nos consolabuntur; & quare hoc? quia cor ad hoc erat dispositum. Videris putare Superiores habere consolationem ad libitum supra labra, ac proinde facilè ijs esse, quibus volunt pleno cornu infundere; quod tamen non est. Quia non possunt semper eodem modo esse dispositi, sicut nec alij.

Felix ille, qui potest conservare cordis æqualitatem inter tot rerum & successuum inæqualitates! Nunc consolatione redundabimus, nunc subitò cor taliter siccum habebimus, ut verba consolationis difficillimè proferre possimus.

A me adhuc petitis, ut vobis dicam, quo exercitio maximè faciendo possit interimi proprium judicium? Respondeo, si ab eo fideliter resecentur omnis generis discursus, & occasio, ubi se vult facere dominum, eum convincendo quòd non sit nisi servus. Nam charæ filiæ per solos actus reiteratos acquirimus virtutes, quamvis aliqui etiam fuerint, quibus Deus omnes uno infuderit momento. Quare quando te invadit Zelus judicandi rem aliquam an bene vel male præcepta sit, reseca, imò violenter eradica discursum illum proprij judicij. Et quando paulò pòst tibi dicetur, te rem talẽ oportere facere, & quidem eo prorsus modo, quo tibi præscribitur; noli tecum disputare, scrutarivé, an non esset melius alio eam modo facere, at suade tuo ju-

dicio rem illam nunquam meliùs fieri posse, quàm juxta modum, qui tibi præscriptus est. Si exercitium aliquod tibi imponatur, cave ne sinas judicium tuum ratiocinari, an tibi illud sit conveniens, necné. Adverte, quòd, etsi rem illam tibi demandatam facias quidem, sæpe tamen judicium proprium non obedit, dicere volo, se non submittit, quia mandatum non approbat; quod ordinariè causa est repugnantiæ, quò minus humeros nostros subijciamus oneribus, quæ nobis imponuntur: quia intellectus & judicium repræsentant voluntati id fieri non posse, vel adhibenda alia media, quàm quæ nobis assignata sunt: non potest autem vel potius non vult voluntas se submittere, quia semper pluris facit rationes proprij sui judicij, quàm cujusvis alterius. Quilibet enim credit judicium suum melius esse quovis alio.

Nunquam reperi hominem, qui non magni faceret suum judicium, nisi duos, qui candidè mihi fatebantur se non habere judicium: eorum unus me aliquando convenit, & mihi dixit: Domine obsecro, dic mihi talem rem, nam non habeo judicium ad eam comprehendendam; quod non parum fui admiratus. Nostra hac ætate habemus exemplum maximè notabile de mortificatione proprij judicij. Est autem cujusdam eximij & nominati Doctoris, qui librum composuit,

ſuit, & titulo inſignivit, DISPENSATIONES & MANDATA; qui liber deveniens in manus Papæ, judicatus fuit continere aliquas propoſitiones erroneas. Papa hoc ſcripſit Doctori, monens ut illas deleret & expungeret. Doctor hic ubi mandatum accepit, ita abſolutè ſuum ſubmiſit judicium, ut noluerit explicare ſuam ſententiam, quo ſe purgaret: ſed è contra credidit verè ſe erraſſe, & à proprio ſuo judicio deceptum eſſe: quare conſcendens ſuggeſtum, altâ voce legit, quod ei Pontifex ſcripſerat, quin & apprehendẽs ſuum librum, in partes dilaceravit; deinde elatâ voce dixit, quòd quæ Papa judicaſſet de ſuo libro, optimè judicaſſet, approbare proinde, acceptareque ſe ex animo ejus cenſuram & correctionem paternam, quâ ſe ſcribendo dignatus fuerat: proinde ſe exoſculari eam ut juſtiſſimã, & clementiſsimam, cùm mererer, inquiebat, rigoroſius caſtigari, quòd tam cœcus fuerim, ut ſiverim me decipi à proprio judicio in re tam manifeſtè mala.

Nullo modo obligabatur ad hoc faciendum, quia Papa id non mandabat, ſed monebat ſolùm ut obduceret, & expungeret è ſuo libro rem unã, quæ non videbatur bona. Nam (quod bene notandum eſt) non erat hæretica, neque ita apertè erronea, quin defendi potuerit. Eximiam virtutem hac occaſione oſtendit, ſicut & mortifica-

tionem proprij intellectûs, dignam admiratione, & imitatione.

Vtcunq; sæpe inveniuntur sensus mortificati, quia voluntas propria suscipit eos mortificandos (esset enim res prorsus pudenda ostendere se refractarium obedientiæ: ecquid diceretur de nobis?) sed judicium proprium raró admodum deprehenditur mortificatum: efficere autem ut fateatur id, quod mandatur esse bonum, esse amandum, & magni faciendum, ut rem nobis bonam & utilem supra omnes alias, in hoc, in hoc judicium se ostendit nimium sui tenax ac refractarium; nam complures sunt, qui dicunt: ego rem, quam mihi dicis, faciam quidem, sed clarè video meliori modo fieri posse. Hem! quid agis, si sic enutris judicium? dubio procul te inebriabit; non enim est discrimen aliquod inter hominem ebrium, & eum, qui nimis abundat proprio judicio. David die quodam cùm esset in castris cum suis militibus oppidò fessis, & fame propemodum enectis, non habens, quod comederet, misit ad Nabal maritum Abigail ut cômeatûs aliquid acquireret. O infortunium! miser ille erat ebrius, qui incipiens loqui, ut ebrij solent, dixit Davidem postquam latrocinia sua devorasset, mittere ad se, ut ruinâ se involveret, ut alios involverat, negavitq; se quicquam missurum. David hoc resciens, ait, vivit Deus, quia

solvet

ſolvet mihi ingratus ille erga me ob bona, quæ ei præſtiti: *verè fruſtra ſervavi omnia, quæ huius erant in deſerto, & non perijt quidquam de ijs, quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent uſque mane mingentem ad parietem.* At Abigail, ſciens propoſitum & intentum Davidis, *feſtinavit, tulitq; ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, ac centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum, & poſuit ſuper aſinos, dixitq; pueris ſuis; præcedite me, ecce ego ſequar vos, cum autem Abigail Davidem conſpexiſſet, procidit coram eo ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram. & cecidit ad pedes eius, & dixit:* in me ſit, Domine mi, hæc iniquitas: *loquatur obſecro, Ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ: ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum, qui ſtultus eſt.* Heri vino obrutus male & mala dixit, ſed dixit ebrius & ſtultus, *quia ſtultitia eſt cum eo.* Pone iras, ne, ſi feceris, quæ nunc dictat animus, *tibi ſit in ſingultum, & ſcrupulum cordis, quòd effuderis ſanguinem innoxium, aut ipſe ultus fueris, & cùm bene fecerit Dominus Domino meo, recordaberis Ancillæ tuæ.*

Eædem prorſus excuſationes adferendæ ſunt de homine ebrio, & de proprio noſtro judicio, nam alterum horum non multò capacius eſt rationis altero. Oportet igitur magnam habere curam, ut illud impediamus, ne ſe immittat in conſiderationes, ac deinde excogitatis rationibus diverſis, ijs nos inebriet, ac obruat,

præſertim in rebus ſpectantibus ad obedientiam.


Tandem vultis ſcire ex me, an habere debeatis magnam confidentiam, & ſimul ſolicitudinem, quâ vos in charitate ad invicem de veſtris lapſibus moneatis. Reſpondeo, dubio procul, Chara filia, id fieri debet. Ad quod enim propoſitum maculam aliquam in tua ſorore conſpiceres, nolens illam viâ admonitionis tollere? Oportet nihilominus in hoc actu uti prudentia. Non enim opportunum eſſet eam monere, quamdiu animadverteres indiſpoſitam, vel oppreſſam aliquâ Melancholiâ: timendum enim eſſet, ne primo motu reijceret admonitionem, quam ei faceres. Expectandum proinde pauliſper, ac deinde in confidentia & charitate ea moneri poſſet.

Si aliqua è Sororibus efferat verba, quæ redoleant murmurationem, & ſit cæteroquin læti & ſuavis cordis, dubio procul ei dicere debes: Chara ſoror, hoc non eſt bene factum: verùm ſi advertas eam agi in corde ſuo aliqua paſſione, tunc oportet alio divertere ſermonem quoad fieri poterit dexterrimè.

Dicitis vos timere, ne, ſi ſæpe ſororem de ſuis erroribus admoneatis; ab illa tollatis ſecuritatem & fiduciam, cauſamque ob incuſſum illi timorem exhibeatis frequentioris lapſûs.

Re-

Reſpondeo, mi Deus, ne, ſupplex oro, ſinas unquam, ut tale judicium formandum ſit de hujus loci Religioſis: abſit, abſit, hoc enim proprium eſt filiarum mundi amittere fiduciam, quando monentur de ſuis erratis: noſtræ autem Sorores plus amant propriam abjectionem, quàm ut id eas turbet, ut, contrà magis animet, magisque incitet ad emendationem, non autem ad evitandum, ne moneantur (ſuppono enim eas ſummè amare quidquid eas viles, & abjectas in oculis ſuis facit) ſed ut ſemper meliùs progrediantur, ſeque magis idoneas & capaces ſuæ efficiant vocationis.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XII.

De Simplicitate & Prudentia Religioſa.



Irtus hæc, dicta Simplicitas, adeò eſt neceſſaria, vt, quamvis ſæpe de ea locuti fuerimus, vos nihilominus adhuc rogetis de ea inſtitui integram

Collocutionem: qua in rogatione vobis obtempero: ſciendum ergo in primis eſt, quid ſit virtus hæc, nuncupata ſimplicitas. Solemus ut ſcitis, communiter rem aliquam, exempli cauſâ, veſtem vocare ſimplicem, quando neque opere Phrygio textam, neque alio ornamento condecoratam, vel varietate ulla diſtinctam conſpicimus. Et clarius dicimus: en homo veſtitus ſimpliciter, quia ejus veſtis nihil habet adſcititium, ſed præter ſuturam, & veſtis formam, ex ſola conſtat materia, ac proinde eſt ſimplex veſtis. Simplicitas igitur aliud non eſt, quàm actus puræ & ſimplicis charitatis, quæ non niſi finem unum habet, qui eſt acquirere Dei amorem. Et anima noſtra tunc eſt ſimplex, quando in omnibus rebus quas facimus, non aliud quàm Dei amorem prætendimus. Hiſtoria omnibus nota, de Martha & Magdalena hoſpitio excipientibus Chriſtum Dominum, illuſtris ac ſingularis eſt ad hoc propoſitum: videtis enim, quòd, quamvis finis Marthæ volentis dignè tractare Dominum, fuerit laudabilis, tamen ab eodem Domino, & cœleſti Magiſtro reprehenſa fuerit, quia ultra optimũ finem, quem in ſuo illo negotio magnopere operoſo habebat, Chriſtum Dominum adhuc tunc reſpiciebat, ut hominem; & ideò credebat eum eſſe ſimilem alijs, quibus ferculum unicum, vel unius generis & apparatûs cibus non

ſuffi-

ſufficit: & hoc illam magnopere ſtimulabat, ut plura fercula, & cibos diverſos præpararet: atq; ita quod primo fini amoris Dei, in ſuo exercitio aliquid adſcititium, & minutulas prætenſiunculas adijceret; hiſce verbis à Domino caſtigata eſt: *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima.* Lucæ 10. v. 42. *Porrò unum eſt neceſſarium: Maria optimam pártem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Actus ergo iſte ſimplicis charitatis, qui facit ne reſpiciamus, neque aliam intentionem habeamus in omnibus noſtris actionibus, quàm ſolum deſiderium placendi, eſt pars Mariæ, quæ ſola eſt neceſſaria, & eſt ſimplicitas, virtus ſcilicet, quæ inſeparabilis eſt à charitate, quatenus rectà Deum, ſcopum ſuum reſpicit, non ferens unquam admixtionem proprij emolumenti; ſi enim ferret, hoc ipſo deſineret eſſe ſimplicitas. Deſpicit enim quidquid eſt ſubdititium vel aſſumptitium ex creaturis; quin & omnem earundem conſiderationem; quò fit ut Deus ſolus apud illam locum habeat. Virtus hæc purè eſt Chriſtiana; Ethnici, & quidem illi ipſi, qui optimè inter illos locuti ſunt de alijs virtutibus, in nullam hujus notitiam, ſicut nec humilitatis, devenerunt. De Magnificentia autem, de Liberalitate, & de Constantia præclarè ſcripſerunt; ſed de ſimplicitate & humilitate nihil omnino.

Ipſe Chriſtus Dominus deſcendit de cœlo, ut homi-

homines tam unam, quàm alteram edoceret; ignoraturos alioquin doctrinam adeò necessariam. *Ecce ego mitto vos*, inquit Christus *sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentet sicut serpentes*; Et pergens ultrà, *& simplices sicut columbæ*, Matth. 10. verſ. 16. Diſcite à columba, non habere niſi unicam intentionem & finem in omnibus quæ facietis, amare ſcilicet Deum in ſimplicitate cordis. Verùm non ſolùm imitamini columbarum amoris ſimplicitatem, quæ nunquam habent niſi unum columbum comparem, pro quo omnia faciunt, & cui uni & ſoli placere volunt; ſed etiam imitamini in ſimplicitate, quam in praxi ſui exercitij & teſtimonij exhibent ſui amoris: neq; enim illæ innumeras res vel indulgentiores delicias, & blanditias, ne dicam ineptias, adhibent, ſed ſimpliciter parvos ſuos gemitus circa ſuos columbos edunt, contentæ eorum ſocietate, & præſentia.

Simplicitas procul ab anima relêgat omnem curam & ſolicitudinem, quam complures inutiliter ſuſcipiunt ad requirendam & inveſtigandam multitudinem exercitiorum & modorum, ad Deum, ut dicunt ipſi, amandum; perſuadent enim ſibi, quòd nunquam ſint quietem conſecuturi, niſi faciant quidquid ſancti fecerunt. O miſerum genus hominum, qui ſe ipſos, ad inveniendam artem amandi Deum, excruciant, dum eos

latet nullam esse aliam, quàm amare! imaginantur autem sibi aliquos libros exstare, qui scientiam & modum acquirendi talem amorem contineant, quæ tamen nulla est quàm simplicitas.

Porrò quando dicimus non esse ARTEM DEUM AMANDI, non contemnimus libros aliquos, qui habent titulum: ARS DEUM AMANDI: nam libri hujusmodi docent non esse aliam artem, quàm AMARE: id est, aggredi praxim rerum, quæ ei sunt gratæ. Quod est solus & unicus modus inveniendi & acquirendi hunc sacrum amorem: dummodò tamen praxis ista suscipiatur in simplicitate, sine turbatione & solicitudine aliqua. Simplicitas equidem ita complectitur omnes modos, qui præscribuntur cuilibet secundùm suam vocationem ad Dei amorem adipiscendum, ut tamen nolit aliud motivum ad eum acquirendum, vel ad accingendum se ad investigationem illius, quàm ipsiusmet amoris finem, alioquin non esset ea perfectè simplex; nequit enim ferre alium respectum, sit quantumcunque potest perfectus, quam purum Dei amorem, qui est ipsius sola & unica intentio. Exempli causâ, si te confers ad templum, vel ad Chorum, officij persolvendi gratiâ, & roget te aliquis, quo vadis? respondebis te ire ad officium; si ulterius pergat rogare: quare is ad officium? ut Deum laudem, ei respondebis; si adhuc instet, quare potiùs hac

horâ

horâ quàm aliâ? dices,quia campanâ datum eſt
ſignum, & ſi non eo, notabor.

Finis eundi ad officium ad Deum laudandum,
optimus eſt, ſed motivum non eſt ſimplex, nam
ſimplicitas expoſcit ut eas tractus deſiderio pla-
cendi Deo, excluſo omni alio reſpectu, & ſic de
omnibus alijs intelligendum eſt.

Antequam autem ulterius progrediamur, de-
tegenda eſt hic una deceptio, quæ in compluri-
um verſatur cerebro, in præiudicium huius vir-
tutis. Putant enim ſimplicitatem eſſe contrari-
am prudentiæ, & eas ſibi invicem contrariè op-
poni: quod ita non eſt; nunquam enim virtutes
contrariè ſibi opponuntur, ſed perquam arctâ
unione junctæ ſunt inter ſe. Virtus ſimplicita-
tis contraria eſt vitio aſtutiæ, quod vitium eſt
origo, ex qua profluunt omnes deceptiones, ar-
tificia, & multiplices animorum calliditates; eſt
item congeries artificioſorum conceptuum ad
fallendum excogitatorum: eſt & gurges omnis
malitiæ. Quid? unius aſtutiæ malitiâ invenimus
omnes deceptionis modos,quibus circumvenia-
mus proximum, & eos, quibuſcum agimus;
dum malitiosè dirigimus, & trahimus eos ad pũ-
ctum, quod intendimus: illud autem eſt, ut ijs
inculcemus perſvadeamuſq; nullum alium ſuper-
eſſe in corde modum, præter iſtum, quem verbis
noſtris eis manifeſtamus; neq; aliam circa obje-
ctum,

ctum, de quo agitur, supereſſe ſibi notitiam. Quæ tamen res infinitè contraria eſt ſimplicitati, quæ poſcit, ut interiora perfectè ſint conformia exterioribus. Non intendo hic dicere, quòd debeamus in noſtris commotionibus per exteriores paſſiones manifeſtare qualiter affecti ſumus in interiori homine. Nam non eſt contra ſimplicitatem eo tempore vultum & totius faciei compoſitionem lætam & hilarem oſtendere, quod ideò dico, ne quis aliud ſibi imaginans decipiatur. Semper habendum eſt in promptu diſcrimen, quod eſt inter effectus partis ſuperioris animæ noſtræ, & inter partis inferioris. Verum eſt nos ſubinde ſentire magnas commotiones in interiori dum vel repentè corripimur, vel nobis in re aliqua contradicitur; ſciendum autem motionem iſtam non provenire ex noſtra voluntate, ſed totus ſenſus hæret in parte inferiori, nullum omnino ſuperiore conſenſum præbente; ſed ea grato & lubenti animo acceptat, & approbat repentinam illam correctionem.

Diximus ſimplicitatem continuè eò reſpicere, ut acquirat Dei amorem : amor autem Dei requirit à nobis, ut doloris ſenſum cohibeamus, mortificemus, & annihilemus. Ideoque non requirit, ut manifeſtemus, & foris paſſim omnibus id patefaciamus. Non igitur quidquam præjudicat ſimplicitati, ſi vultus ſereni-

renitatem præteferas quando commotus es in interiori.

At dicetis; nonné hoc esset decipere eos, qui nos vident, siquidem, quamvis maximè mortificaremur, crederent nos magnas esse virtutum cultrices? Respondeo, hæc reflexio, Charæ sorores, supra id, quod dicetur, vel cogitabitur de vobis, est contra simplicitatem: diximus enim eam aliud non spectare, quàm Deo satisfacere & placere, nullo autem modo creaturis, nisi quatenus Dei amor id requirit. Postquam anima simplex fecit actionem quampiam, quam judicat se facere debuisse, non ampliùs de ea cogitat. Et si fortè in mentem veniat, quid de ea dicetur, aut cogitabitur, promptè illa resecat omnia ista, quia nequit illa pati ullam diversionem in sua intentione, quæ est attentè se habere coram Deo suo, quo digna amoris augmento habeatur. Consideratio autem de creaturis non movet eam quâcunque re interveniente, quia refert omnia in Creatorem.

Eodem modo philosophandum est de eo, de quo quæri posset, an non sit licitum uti prudentia, ne aperiamus Superioribus id, quod crederetur posse illos turbare, vel nos ipsos, si illud aperiamus: simplicitas enim non respicit aliud, nisi an expediat dicere, aut facere rem talem, ac deinde applicat se ad illam faciendam, non perdendo

dendo tempus considerando an Superior turbetur, vel etiam nos ipsi, si illi dicamus aliquam cogitationem, quam de eo habuimus, an non turbetur ille, & nos unà. Respondeo: certè, si est expediens nobis, ut illi dicatur, non intermitterem, sed dicerem cum omni cordis simplicitate: eveniat posteà quidquid Deus voluerit, postquam feci quod debui, nec me in ulla alia re vexarem. Non enim oportet semper tantopere timere turbationem sive nostri ipsorum, sive alterius. Nam turbatio sui ipsius, non est peccatum.

Hoc sit exemplum, si dum eo in comitatu & societate aliquorum,& sciam mihi aliqua dicenda, quæ me turbabunt, & movebunt, non ideò detrectare & evitare debeo occasionem pergendi cum illis; sed armare me debeo Dei cõfidentiâ, quam habere debeo in protectione divina, quod robur mihi sit datura ad vincendam meam naturam, cui volo indicere bellum. Turbatio hæc non fit nisi in parte inferiori animæ nostræ; ac proinde nullo modo oportet se affligere, quando ei non adhæsimus, volo dicere, quando non consensimus ei rei, quam illa nobis suggessit: nam dato hoc casu, non est faciendum. Sed, unde putamus venire hanc turbationem, nisi ex defectu simplicitatis, eò quòd sæpe inhæreamus huic cogitationi: quid dicetur, vel quid cogita-

bitur de nobis, loco quod cogitare deberemus de Deo & de eo, quod gratos nos efficere posset ejus bonitati: verùm si rem talem dixero, agitabor maiori anxietate, quàm agitabar antequam dicerem. ℞. Non disputo, si tibi non videatur dicendum, neque necessaria tibi sit instructio in hoc facto, citò & promptè statue, quid facto opus sit, & noli perdere tempus deliberando an dicere debeas, an verò tacere. Ad quod enim propositum esset horam unam insumere in deliberando supra quamlibet vitæ tuæ actionem minimam? Quod me attinet, puto melius & convenientius nos nostræ Superiori dicere cogitationes, quæ magis nos mortificant, quàm complures alias, quæ nihil prosunt, nisi ad protrahendum & prolongandum sermonem, quem cum ea miſces. si inde affligeris (scilicet, quòd aperis cogitationes quæ nil prosunt, nec obsunt, & taces eas, quæ prosunt) nihil aliud afflictionem illam procreat, quàm una & sola immortificatio; quo enim motivo induceris ad dicenda ea, quæ nullá tibi afferunt utilitatem, & tacenda ea, quæ conscientiæ remorsu egregiè te mortificabunt?

Simplicitas, ut iam diximus, aliud non quærit, quàm purum Dei amorem, qui nunquam se melius locatum existimat, quàm in mortificatione nostri ipsorum; & quantò magis crescit mortificatio, tantò nos magis appropinquamus lo-

co, in quo reperiendus eſt idem divinus amor. Adde Superiores eſſe debere perfectos, vel minimùm fungi operibus perfectorum: ideoque habent aures apertas ad excipiendum & intelligendum id, quod occurrit ſubditis dicendum, & hoc ſine magna vexatione.

Simplicitas non ſe immiſcet in eis, quæ faciunt, vel facturi ſunt alij, de ſe illa cogitat, nec alias ſibi adſciſcit cogitationes, quàm quæ verè neceſſariæ ſunt; quantum enim ad alios attinet, ab ijs ſemper & continenter ſe avertit. Virtus hæc permagnam habet affinitatem cum humilitate, quæ non ſinit haberi malam opinionem de ullo alio, quàm de nobis ipſis.

Petitis qualiter obſervanda ſit ſimplicitas in converſationibus & animi relaxationibus? Reſpondeo ſicut in omni alia actione, quamvis in his aſſumenda ſit major, cum ſanctitate tamen libertas, ad fovenda & continuanda colloquia circa ſubjectam materiam, quæ excitet animum ad lætitiam & recreationem; Multùm autem oportet eſſe candidum & ſincerum in converſatione, nec tamen abeſſe debet animus conſideratus & circumſpectus, quia ſimplicitas ſemper ſequitur regulam amoris divini. Sed eſto contingat te dicere rem aliquam minutulam, quæ non ita bene accipi ab omnibus videatur, quam tu velles, non ideò tamen oportebit ob id ſe oc-

cupare in faciendis nescio quibus reflexionibus & examinibus supra omnia tua verba: O non certè, est enim, dubio procul, amor proprius, qui inducit nos ad faciendas hujusmodi inquisitiones, & indagationes, an omnia, quæ diximus, bene accepta sint, necné. Sancta enim simplicitas non currit post sua verba, nec actiones; sed relinquit tales eventus divinæ providentiæ, cui uni summè adhæret. Non item se divertit ad dexteram vel ad sinistram, sed rectâ & tritâ pergit viâ. Quod si ei pergenti occasiones aliquæ occurrant, virtutem aliquam exercendi, eam solicitè & avidè arripit, ut modum proprium perfectioni acquirendæ, quæ est amor Dei, sed non nimis impensè ac operosè se occupat in eis requirendis; nullo tamen modo eas contemnit, nulla etiam re turbatur; res una illi est cordi, ut scilicet se quietè & tranquillè conservet in confidentia quam habet, quòd Deus sciat suum desiderium, quod est illi placere, & hoc illi satis est.

Sed quomodò concordandæ sunt duæ res oppositæ sibi contrariè? Quarum una vult nos magnam habere curam & solicitudinem de nostra perfectione & profectu; altera autem videtur prohibere, ut ne quidem ea de re cogitemus. Respondeo, & simul invîto ad bene notandam, si ita vobis sedet animo, miseriam ingenij humani,

quod

quod nunquam manet in mediocritate, sed transit communiter ab uno extremo ad aliud sine medio. Defectum hunc hæreditate possidemus à Matre nostra Eva: ea enim nobis viam ad istam inconstantiam monstravit, quando eam malignus spiritus tentavit, ut comederet de fructu prohibito: siquidem respondit à Deo sibi & marito prohibitum ne eum comederent. Non dicitur ne cogitetis de vestro profectu, non, sed ne cogitetis impensius & operosius quàm necesse sit.

Deest etiam nobis sincera simplicitas, dum facimus tot considerationes (videntes unum lapsum post alterum committi) ad sciendum an lapsus isti sint necessariò referendi ad Superiorem an supprimendi. Dicite enim mihi, nonné satis superque Superior est capax ad dijudicandum, an res, qua agitur, correctionem mereatur necné. Sed quid scio quali intentione soror eam fecerit, dicitis vos? Fieri potest ejus intentionem bonam fuisse, sed nec illam intentionem debetis reprehendere, vel ad Superiorem deferre, sed bene actionem exteriorem si ei inest imperfectio quæpiam.

Ne etiam dicatis rem istam parvi momenti & exiguæ consequentiæ esse, proinde operæ pretium non esse bonam sororem contristari. Quis

non videt iſtam excuſationem totam quantam eſſe contrariam ſimplicitati? Quia jubet regula procurari emendationem Sororum per admonitionem, non autem jubet ut tot conſiderationes faciamus in hoc & ſimilibus punctis. Quaſi verò demeretur aliquid de honore Sororum amicâ hujuſmodi accuſatione: oportet quidem obſervare & eligere tempus idoneum & conveniens ad faciendam correctionem; eam enim exequi ex tempore, aliquid habet periculi: verùm, excepto hoc, oportet facere ea ſimplicitate, quâ obligamur facere ſecundum Deum, longè relegatis ſcrupulis. Eſto enim ſoror hæc moveatur & turbetur paſſione aliqua poſt admonitionem, quam ei feciſti, non propterea es cauſa turbationis; minimè, ſed ſola ejus imortificatio. Quod ſi committat aliquem errorem publicè & in aperto, ex eo conſequetur vt illa complures alios evitet, quos perſeverans in ſuo errore, commiſſura erat.

Superior non ideò debet omittere correctionem quòd Sorores à correctione habeant averſionem; nam aliquã fortaſſis quamdiu vivemus, habituri ſumus, quia proclive eſt peccare, naturale autem nolle corrigi & vilipendi: neq; propterea ea averſio debet foveri, multò minùs tolerari à voluntate noſtrâ cuius partes ſunt amare humiliationem.

Vul-

Vultis, ut verbum unum proferam de ſimplicitate quam habere debemus ſinendo nos circa interiora tam à Deo, quàm à Superioribus gubernari? Sunt animæ nonnullæ, quæ nolunt, ut dicunt, gubernari ab alio quàm à Dei ſpiritu: & his omnia, quæ ſibi imaginantur, videntur eſſe inſpirationes, & motiones profectę à Spiritu ſancto; qui manu eas apprehendés dirigit in omnibus (quæ facturæ ſunt) velut infantem quempiam. In quo profectò graviter errant. Nam dicite, quæſo, fuitne unquam vocatio magis ſingularis, quàm Sancti Pauli, in qua ipſemet Chriſtus ei locutus eſt, ad eum convertendum: & tamen noluit ipſemet eum inſtruere, ſed eum miſit ad Ananiam dicens: *ſurge & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Et quamvis Sanctus Paulus potuiſſet dixiſſe: Domine, quarę non tu ipſe mihi dicis quid faciendum ſit? Nihil tamen dixit, ſed perrexit ſimpliciter, facturus quod Dominus mandârat. Et nos miſeri homunciones cogitabimus nos favore & gratiâ plus apud Deum valere, quàm Sanctum Paulum, nobis ipſis perſuadentes, quòd ipſemet velit, nullius creaturæ interventu, nos gubernare.

Ductus & gubernatio Dei, Chariſſimæ filiæ, non eſt alia quàm obedientia, extra quam, quis non videt omnia redundare deceptionibus? Sicut autem certum eſt non omnes dirigi & duci

eâdem viâ, ita etiam liquet non omnes cognoſcere, per quam viam Deus nos vocet. Hoc ſpectat ad Superiores, qui à Deo illuminati, nôrunt quid faciendum ſit, ne dicas, quod ij non ſatis nos cognoſcant, debemus enim credere obedientiam & ſubmiſſionem ſemper eſſe veras notas bonæ inſpirationis, & quamvis evenire poſſit, ut nullam habeamus conſolationem ijs in exercitijs, quæ facere nobis incumbit; multas autem habeamus in alijs, noli hallucinari, quia non per conſolationem fertur judicium de actionum bonitate; proinde non adhærendum eſt propriæ noſtræ ſatisfactioni; id enim eſſet ſe applicare ad flores, & non ad fructus. Longè plus utilitatis recipies ſequendo directionem Superiorum, quàm tuos inſtinctus interiores, qui communiter ſolùm profluunt ex proprio amore, qui ſub ſpecie boni quærit ſibi ipſi complacere in vana ſui ipſius æſtimatione. Veriſſima quidem eſt veritas bonum tuum dependere ex hoc, ut ſinas te à ſpiritu Dei, ſine ulla exceptione gubernari, & hoc eſt quod prætendit vera ſimplicitas, quam Chriſtus Dominus tantopere commendavit ſuis Apoſtolis; dicens: *eſtote ſimplices ſicut columbæ*; ſed hoc ei non eſt ſatis, dicit inſuper: *niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum Patris mei.* Infans dum adhuc parvulus eſt, & in magna conſtitutus ſimplicitate, nulliusq; alte-

rius notitiam habens nisi propriæ Matris, unicum habet amorem, qui est illi pro Matre sua, & in hoc amore unicam habet prætensionem, ut sit scilicet in sinu matris, in quo suavissimè decumbens nihil aliud quærit nec desiderat.

Homo habens perfectam simplicitatem vnum solum habet amorem, qui totus est pro Deo. Et in hoc amore unicam solùm habet intentionem, quæ est recumbere & requiescere supra pectus Patris cœlestis, & ibi, velut infans amoris, constituere suam commorationem, relinquens integrè omnem sui curam eidem Patri cœlesti, nulli unquam amplius alterius rei curam suscipiens, quàm ut se conservet in ista sancta confidentia: sed neque desideria virtutum & gratiarum, quæ aliàs illi videbantur esse necessariæ, eum amplius inquietant.

Nihil quidem eorum negligit, quæ pergenti viâ suâ illi occurrunt; sed nec etiam magna cum solicitudine requirit alia media ad se perficiendum, quàm ea, quæ sibi sunt præscripta. Sed amabò, ad quid sunt etiam urgentia & inquietantia virtutum desideria, quarum praxis nobis non est necessaria? Svavitas, amor nostræ abjectionis, humilitas, mitis charitas ex intimo corde proveniens, & tendens in proximum, & obedientia sunt virtutes, quarum praxis debet nobis esse communis, & familiaris, quia ea nobis necessaria

eſt,& eas exercendi, frequenter occurrunt occaſiones: verùm quod attinet ad conſtantiam, ad magnificentiam, & iſtius generis virtutes, quas exercendi fortè nunquam erit occaſio, ideò non nimis de ijs laboremus: quia non ideò deſinemus eſſe magnanimi & generoſi.

Petitis à me, quomodò animæ, quæ allectæ ſunt in oratione ad ſanctam hanc ſimplicitatem, & ad perfectam ſui relictionem in Deo, ſe habere debeant in omnibus ſuis actionibus? Reſpondeo, quòd non ſolùm in oratione, ſed & in ductu & decurſu totius earum vitæ debent ambulare conſtanter & invariabiliter in ſpiritu ſimplicitatis, derelinquentes & reijcientes omnem ſuam animam, ſuas actiones & ſucceſſus in Dei beneplacito, per amorem perfectæ & abſolutæ confidentiæ, ſe ipſas committentes gratiæ & curæ æterni amoris, quam divina providentia pro illis gerit, ideoque firment & ſtabiliant animas ſuas conſtanter & firmiter in hoc veſtigio, non permittentes ut ab eo ſe divertant, ad faciendas reflexiones, & neſcio quos reditus ſupra id quod faciunt, & an ſibi ſatisfecerint. Eheu! noſtræ ſatisfactiones & conſolationes haud Dei oculis ſatisfaciunt; ſed ſolummodò ſatisfaciunt miſerabili amori & curæ, quam habemus noſtri ipſorum extra Deum & ejus conſiderationem.

Certè infantes, quos Dominus vult eſſe for-

,mam noſtræ perfectionis, ordinariè nullam ſui gerunt curam preſertim in præſentia ſuorum parentum, quibus unicè adhærent, non reflectentes, neq; reſpicientes ſuas ſatisfactiones, neque conſolationes, quas bona fide accipiunt & fruuntur in ſimplicitate cordis. Nec curiosè conſiderant cauſas aut effectus, amore ita eos occupante, ut aliud nequeant facere. Qui probè eſt attentus, ut unicè placeat Dilecto cœleſti, non aſſumit curam reflectendi ſuper ſe ipſum, ſpiritu eum continenter deferente in eam partem, in qua amor ſuum habet domicilium.

Hoc exercitium continuæ abnegationis ſui ipſius in manibus Dei, excellenter omnem perfectionem aliorum exercitiorum, perfectiſſimâ ſuâ ſimplicitate & puritate comprehendit; & ideò quamdiu Deus nobis relinquit illius uſum, non debemus ullo modo illud mutare. Amatrices ſpirituales Regis cœleſtis Sponſæ, ſe ſubinde quidem & certis temporibus in ſpeculo contemplantur, velut columbæ (quæ ſunt apud aquas puriſſimas) ut videant an ritè ſint inſtructæ & compoſitæ ad libitum Dilecti Sponſi: & hoc fit in examinibus conſcientiæ, per quæ ſe mundant purificant & ornãt optimo quo poſſunt modo, non ut ſint perfectæ, non ut ſibi ſatisfaciant, non ex deſiderio ſui progreſsûs in bono; ſed ad obtemperandum Sponſo ob reveren-

rentiam quam illi deferunt, & ob maximum deſiderium, quod habent ad ei omnibus modis placendum. Porrò, nonne amor iſte eſt admodum purus, mundus, & comprimis ſimplex, ſiquidem eæ non ſe purificant, ut puræ ſint, neque ſe ornant, ut pulchræ ſint, & tales appareant; at ſolummodò ut placeant DILECTO, cui ſi deformitas æquè eſſet grata, amarent eæ illam tantùm, quantùm pulchritudinem? Et ſi hæ ſimplices columbæ non impendant neque adhibeant curã diuturnam, neque aliquod multùm urgens ſtudium ad ſe lavandas & exornandas, eſt, quia confidentia (quam earum amor ijs tribuit, quòd multùm amantur, licet indignæ, dico ego CONFIDENTIA, quam earum amor dat ijs in amore, & in bonitate ſui DILECTI) tollit ab ijs nimiam agitationem animi, & diffidentiam, quaſi non eſſent ſatis pulchræ; addo prætereà quod deſiderium amandi potiùs, quàm ſe ornandi & præparandi ad amorem, ijs omnem curioſam ſolicitudinem reſecat, & inducit, ut ſint contentæ ſuavi & fideli præparatione exhibitâ ex totius cordis amore.

Et ut concludam punctum hoc, Sanctus Franciſcus Seraphicus mittens filios ſuos foras ad fructificandum, hoc eis monitum, loco viatici & proviſionis dabat: PROIICITE COGITATUM VESTRUM IN DOMINUM, ET IPSE VOS ENUTRIET.

Idem

Idem vobis dico, Charissimæ filiæ: proijcite totum cor vestrum, omnes vestras intentiones, vestras solicitudines, nec non affectiones omnes in paternum Dei sinum, & ille vos deducet, imò portabit, quo ejus amor voluerit.

Audiamus & imitemur divinum Salvatorem, qui, ut perfectissimus Psalmista, pendens in arbore crucis, cantat supremos amoris sui ductus & tractus, eosque sic concludit: PATER MI, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Postquam & nos, filiæ charissimæ, idem dixerimus, quid superest, nisi ut exspiremus, & moriamur morte amoris, non viventes ampliùs in nobis ipsis, sed Iesus Christus vivet in nobis! Tunc cessabunt omnes inquietudines nostri cordis, provenientes ex desiderio, quod proprius amor suggerit, & ex teneritudine, quam habemus erga nos, & pro nobis, quæ nunquam non occultè nos urget, ut ea conquiramus, quibus perfectiores effecti, nobis ipsis satisfaciamus: & conscensa navi exercitiorum nostræ vocationis, vela faciamus sub vento simplicis & amorosæ confidentiæ, & non advertentes nostrum progressũ, faciemus quàm maximum; &, non ambulantes, feliciter procedemus, & sine motione è loco nostro procul feremur, non secus atque ij, qui explicatis velis in altum mare ventis faventibus provehuntur.

Tunc omnes eventus & varietates rerum & acciden-

cidentium, quæ ſuperveniunt, molliter & ſvaviter excipientur: nam qui eſt in manibus Dei, in ejus ſinu ſvaviter quieſcit, qui ſe dereliquit & commiſit ejus amori, qui recipit & reducit ſe ad ejus beneplacitum, quid eum valeat concutere & movere? Certè ille, omiſſis omnibus occaſionibus, quæ ſe præſentant, philoſophandi de cauſis, de rationibus, de motivis eventorum vel accidentium, ex corde pronunciat ſanctum & amoroſum hoc Salvatoris dictum: ITA PATER, QVIA SIC PLACITUM FUIT ANTE TE. Tunc toti quanti liqueſcemus igne divini amoris, vel potius diffluemus præ ſvavitate & dulcedine ejuſdem amoris erga noſtras ſorores, & alios proximos: quia clarè videbimus omnes iſtas animas in pectore Salvatoris. Eheu! qui reſpicit proximum extra illud, quantum non incurrit periculum, non amandi, neque purè, neq; conſtanter, ſicut nec æqualiter? ibi autem quis eum non amaret, quis non eum ſufferret, quis ejus imperfectiones non pateretur, quis moleſtum, quis odioſum judicare auderet? At ibi eſt proximus, Chariſſimæ meæ filiæ, in pectore Salvatoris, & non quomodocunque, ſed tanquam dilectiſſimus: atque adeò amabilis, ut amans præ amore pro illo moriatur.

Tunc præterea amor naturalis erga ſanguine junctos, amor compoſitionis & habitûs totius

cor-

corporis, amor decentiæ in omni re & loco, amor convenientiæ & mutui consensûs, ac denique favoris & bonæ gratiæ, invenietur purificatus & reductus ad perfectam obedientiam amoris purissimi beneplaciti divini. Et certè eximium ac fortunatissimum bonum animarum, quæ omni studio ad perfectionem aspirant, esset tunc nullum habere desiderium amandi à creaturis, nisi solius charitatis amore, quæ nos inducit ad amorem proximi, & hoc suo modo & ordine juxta desiderium Domini nostri.

Antequam huic Collocutioni spirituali finem imponamus, verbum unum dicendum est de PRUDENTIA SERPENTIS; ego bene autumabam futurú, ut, si loquerer de simplicitate columbæ, mihi statim proponeretur serpentis prudentia. Complures petierunt qualis esset ille serpens, à quo volebat Dominus nos addíscere prudentiam: omittamus omnia responsa, quæ institui possunt circa hanc petitionem: & pro nobis nunc accipiamus verba Christi Domini: *estote prudentes sicut serpentes*; qui, ubi in aliqua corporis parte tacti fuerint, totam illam exponunt, ut caput servent intactum; eodem modo debemus nos facere, exponendo omnia periculo, quando necesse est, ut conservemus in nobis sanum & integrum Salvatorem nostrum, & simul ejus amorem. Est etenim ille nostrum caput, & nos

ejus

ejus membra, & talis eſt prudentia, quam habere debemus in noſtra ſimplicitate.

Adhuc debeo vobis dicere, ut memores ſitis duo eſſe genera prudentiæ, ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis. Quantum ad naturalem attinet, debet ea egregiè mortificari tanquam non omni ex parte bona, dum multas conſiderationes & proviſiones non neceſſarias nobis ſuggerit, quæ & noſtras mentes longè relegant ac removent à ſimplicitate.

Vera equidem virtus prudentiæ in pretio debet haberi & exerceri; ea enim eſt velut ſal ſpiritualis, inducens omnibus virtutibus guſtum & ſaporem; ſed taliter ea exerceri debet à Religioſis VISITATIONIS S. Mariæ, ut intelligant à virtute ſimplicis confidentiæ, illam longè ſuperari; debent proinde ea in menſura dictæ Religioſæ eam habere, ut eas commorari faciat in alta pace inter brachia Patris ſui cœleſtis, & amantiſſimæ Matris, Dominæ noſtræ clementiſſimæ, quin & ſimul confidere poſſim futurum, ut ſemper curâ eorum amabiliſſimâ protegantur: eæ ſiquidem congregatæ ſunt pro Dei gloria, & honore Sanctiſſimæ Virginis.

DEUS SIT BENEDICTUS.

VIVAT

VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XIII.

De Regulis & de spiritu Visitationis.



RES, quam à me petitis, est perquam difficilis; petitis autem qualis sit spiritus vestrarum Regularum, & quomodo eum possitis capere & intelligere? Priusquam autem loquamur de eo spiritu, oportet vos scire quid sibi velit, HABERE SPIRITUM REGULARUM: ordinariè enim dicitur, talis & talis Religiosus habet verum spiritum suæ Regulæ. Nos accipiemus ex Evangelio duo exempla, quæ sunt admodum propria isti rei percipiendæ. Dictum est Ioannem Baptistam *venisse in spiritu & virtute Eliæ*: ideoq; audacter & duriter reprehendebat peccatores, eos vocans *genimina & generatione viperarum*, & hujusmodi alijs titulis compellabat peccatis obnoxios. Quæ, & qualis ergo erat virtus Eliæ? Erat fortitudo, quæ procedebat ex ejus spiritu ad annihilandos & puniendos peccatores, educens è cœlo ignem ad confundendos & perdendos eos, qui resistere volebant Majestati Domini & Magistri sui. Erat ergo spiritus rigoris, quo præditus erat Elias.

Alterum exemplum, quod etiam est in Evangelio, & servit ad hoc propositum, est, quòd Domino nostro volenti ire Ierosolymam, Discipuli dissuadebant; quia aliqui affectabant ire in Capharnaum, alij in Bethaniam, & sic conabantur deducere Dominum ad locum, quem ipsi cupiebant adire. Non enim primò hodie inceptant inferiores, & subditi velle ducere Dominos suos, non secundùm voluntatem eorum, sed secundum propriam. Et quidem Christus Dominus facillimè conformabat & indulgebat eorum desiderio, tunc tamen, ut ait Evangelista, *ipse faciem suam firmavit, ut iret Ierusalem*, & eo quidem fine ne amplius Apostoli eum premerent, & urgerent ne eò pergeret. Dum ergo rectà pergeret Ierusalem versus, voluit transire per Samariam, sed *Samaritani non receperunt eum*: quòd cùm vidissent ejus *Apostoli duo Ioannes & Iacobus, dixerunt: Domine vis dicimus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos? Et conversus Dominus increpavit illos dicens: nescitis cujus spiritus estis.* Ignoratisné nos non esse amplius in temporibus Eliæ, cui inerat spiritus rigorosus. Quo tamen, non obstante, is maximus fuit Dei servus, qui & bene fecit faciendo id, quod nunc facere vultis, sed minimè bene faceretis eo in genere illum imitando. Non enim veni ut pudore & pœnâ afficerem peccatores, sed suaviter, & in funiculis Adæ traherem ad pœniten-

nitentiam & mei sequelam. Porrò nunc videamus qualis sit spiritus particularis unius Regulæ. Vt autem hoc melius intelligatur, oportet primò adferre exempla non domestica, sed externa, ac deinde redire ad domestica.

Omnes Religiones, omnes pij conventus habent unum spiritum, qui illius Conventûs seu Religionis hominibus est generalis; particularem verò habet quilibet Conventus seu Religio.

Generalis omnium spiritus eò tendit, ut perfectionem charitatis consequatur; particularis autem est modus perveniendi ad dictæ charitatis perfectionem: id est ad unionem animæ nostræ cum Deo, & proximo propter Dei amorem: quod fit cum Deo per unionem nostræ voluntatis cum illius; & cum proximo per suavitatem, quæ est virtus immediatè dependens à charitate.

Veniamus ad spiritum particularem; qui varius est pro varietate & diversitate Religionum inter se: aliqui siquidem se uniunt cum Deo & proximo per contemplationem; ideoque exactè colunt solitudinem, quippe, qui quàm possunt minimùm inter homines mundanos, quin & inter se (nisi certis temporibus) conversantur: uniunt se etiam cum proximo, interveniente oratione dum pro illo preces fundunt Deo.

E contra spiritus particularis aliorum, se e-

quidem etiam unit Deo & proximo, ſed mediâ actione, quæ & ipſa eſt ſpiritualis. Hi uniunt ſe Deo, ſed reuniendo illi proximum, per ſtudium prædicationis, confeſſionis, conferentiarum, & aliarum piarum actionum; & ut melius actionem hanc cum proximo peragant, converſantur cum omni hominum genere. Vniunt ſe etiam hi Deo per orationem; ſed eorum finis principalis eſt is, quem nunc diximus, laborare ſcilicet pro viribus ad animas convertendas & Deo uniendas. Alij habent ſpiritum ſeverum & rigidum, junctum perfecto contemptui mundi, & omnium vanitatum & concupiſcentiarum, volentes ſuo exemplo inducere homines ad contemptum rerum terrenarum. Huic aſperitati plurimùm confert eorum habitus & exercitia. Quid multis? alij alium habent ſpiritum. Eſt autem perneceſſarium ſcire qualis ſit ſpiritus particularis cujuſque Religionis & pij Conventûs.

Quod ut bene cognoſcatur, oportet conſiderare finem, ob quem inchoata eſt ipſa Religio, & diverſa media quæ habet ad illum finem conſequendum. Generalis eſt in omnibus omnino Religionibus, uti diximus: ſed loquor hic de particulari fine, erga quem oportet adeò magnũ habere amorem, ut ne minima quidem res ſit (modò ea ſit conformis noſtro fini) quam non

cogno-

cognoscamus, quamq; non toto corde ulnisque amplectamur.

Habere amorem finis nostri Instituti, scitisné quid sit? Est exactum esse in observantia mediorum perveniendi ad istum finem; sunt autem media hæc, nostræ Regulæ & constitutiones, quæ valde accuratam exigunt diligentiam, ut nihil sit ab eis dependens & juvans ad perfectiorem observantiam, quod in effectum non deducamus. hoc est habere spiritum nostræ Religionis. Verùm oportet ut prompta & exacta observantia hæc suscipiatur in omni cordis simplicitate. Volo dicere non oportere velle nos exire ultra hoc quocunque prætextu & desiderio plus faciendi, quàm præscriptum & comprehensum sit in nostris Regulis. Non enim per multiplicitatem rerum, quas facitis, acquiritis perfectionem; sed per ipsam perfectionem & puritatem intentionis quâ eas facitis. Oportet igitur vos intimè animo imprimere ac insculpere qualis sit finis vestri Instituti, & intentio Auctoris & Institutoris vestri: & hoc profundè in mentem vestram demisso, vos ipsas continere intra terminos & media assignata: & ut clarius dicam, tenacissimè inhærere regulis vobis præscriptis, ut ad propositum scopum pertingatis, præmiumque supernæ felicitatis reportetis.

Quantum ad finem vestri Instjtnti, non est is

quærendus ex intentione trium primarum ſororum, quæ inceperunt, ſicut nec ex primo propoſito & deſignatione Ieſuitarum, quam habuit ſanctus Ignatius: nam nihil minus cogitabat facere primò, quàm fecit poſtea; ſicut nec ex Sanctorum Franciſci & Dominici, neque etiam aliorum, qui familias Religioſas inſtituerunt; ſed Deus (cujus eſt adunare hujuſmodi pias Congregationes) facit, ut eo modo, quo eas exiſtere videmus & gaudemus, felices progreſſus conſequantur. Neque enim unquam in animum admittendum eſt fuiſſe homines, qui ſua inventione inceperint modum tam perfectæ vitæ, ſicuti eſt Religioſa. Deus inquam eſt, per cujus inſpirationem confectæ & conſcriptæ ſunt Regulæ, media propria ad finem generalem omnibus Religioſis propoſitum, perveniendi, ſcilicet ſe Deo, & proximo, ob Dei amorem, uniendi: ſed ſicut Religio quælibet habet ſuum finem particularem, ſimulque media ſingularia pertingendi ad eum finem, & unionem generalem; ita etiam omnes Religiones habent medium unum generale perveniendi ad eundem finem, quod fit per tria vota eſſentialia Religionis.

Quilibet probè ſcit divitias & bona temporalia eſſe potentia illicia diſſipandi animam, tam propter nimiam affectionem, quam habet erga illa, quàm propter curas & ſolicitudines, quas adhi-

adhibere necesse est, ut conserventur, quin & ut augeantur : siquidem homo nunquam tantum habet, quantum habere desiderat.

Religiosus rescindit & resecat omnia ista per votum PAUPERTATIS. Idem facit, frenum inijciendo carni & omnibus ejus concupiscentijs & voluptatibus tam licitis, quàm illicitis per votum CASTITATIS, quod magnum admodum exhibet compendium se singularissimè DEO uniendi: quia voluptates istæ & concupiscentiæ hominem mollem efficiunt, & mirum dictu est, quantùm debilitent vires spiritûs, cor dissipent, quin & amorem, quem Deo debemus, & quem ei per vota integrè damus, imminuant. Per hunc modum non solùm sumus contenti exire de terra mundi; sed insuper eximus de nostri ipsorum terra: id est, nuncium remittimus delicijs & voluptatibus terrestribus nostræ carnis. Sed longè adhuc perfectius nos unimus Deo per votum obedientiæ; quia scilicet renunciamus universæ animæ nostræ, & omnibus ejus potentijs, voluntatibus omnibus, & affectionibus, ut nos subijciamus ac submittamus non solùm Dei voluntati; sed etiam nostrorum Superiorum, quam semper debemus respicere tanquam ipsiusmet Dei voluntatem. Et hæc est maxima renunciatio propter continuas productiones exiguarum voluntatum, quas proprius noster amor nunquam

 cessat

cessat procreare. Abdicatis igitur à nobis rebus omnibus nos in intimis cordis nostri penetralibus abdimus, quò perfectiùs divinæ ejus Majestati uniamur.

Vt veniamus tandem ad particularem finem, ob quem CONGREGATIO VISITATIONIS est erecta, & per illum faciliùs comprehendamus, quis sit particularis spiritus Visitationis; scire vos volo me semper judicasse esse SPIRITUM PROFUNDÆ HUMILITATIS ERGA DEUM, ET MAGNÆ SVAVITATIS ERGA PROXIMUM, eò quòd habens minus rigoris in corpus, plus habeat dulcedinis in proximum.

Omnes antiqui Patres determinârunt, quod ubi minor est mortificatio corporalis, major esse debeat perfectio spiritualis. Oportet igitur, ut humilitas erga DEUM, & suavitas erga proximum suppleant in domibus vestris austeritatem aliorum Ordinum.

Quamvis autem austeritates ex seipsis bonæ sint, & media ad consequendam perfectionem, non tamen bonæ & conducibiles sunt apud nos, quia ijs admissis, regulæ corruant oportet. Spiritus dulcedinis sic est spiritus VISITATIONIS, ut quicunque majorem austeritatem induceret, re ipsa hic & nunc spiritum VISITATIONIS ex ipsa educeret; siquidem is directè ageret contra finem, ad quem ea fuit erecta; qui est vt puellæ & foemi-

fœminæ minùs firmâ valetudine in eam possint admitti & recipi: id est, quæ non ita robusto constant corpore, ut onus austeritatum possint sustinere; vel certè, quæ inspirationibus, alijsvé motivis cœlestibus non adeò trahuntur ad serviendum, & uniendum se Deo per viam austeritatum, ut sanctè & benè fit in alijs Religionibus.

Dicetis fortè mihi, contingere potest ut soror quæpiam tali & tam robusta complexione sit prædita, ut plures austeritates, quàm aliæ cum permissione Superioris possit assumere, maximè si ita assumat, ut sorores aliæ non sint consciæ? Respondeo ad hoc, non esse rem ullam tam secretam, quæ ab una ad alteram secretò non transeat. Atque ita, dum ab una ad aliam res, quæ debebat esse secreta pertingit, fit ut novæ Religiones fiant in Religionibus, nec non quædam conspiratiunculæ, ac tandem sensim omnia dissipentur.

Beata Mater sancta Theresia præclarè dicit: mala, quæ invehunt parvas quasdam præsumptiones præstandi plus, quàm Regula ordinet, & communitas faciat, (maximè autem si ex illis una sit superior) multùm excrescent: nam quàm primùm Religiosæ hoc animadvertent, volent continuò idem facere; nec deerunt ipsis rationes, quibus sibi persvadebunt, se posse etiam cômodè id præstare & quidem aliquæ Zelo impul-

sæ, aliæ studio placendi superiori motæ: & hæc erunt semina tentationum ijs, quæ non poterunt, vel non volent idem facere.

Nunquam oportet introducere, nunquam permittere, nec pati in Religione particularitates, exceptis nihilominus aliquibus necessitatibus singularibus, ut si eveniret aliquam è sororibus vehementer premi quapiam vexatione, aut tentatione: tunc enim nihil esset extraordinarium petere à Superiore licentiam facere plures aliquas pœnitentias, quàm faciant aliæ. Adhibenda enim est eadem simplicitas, quam adhibent infirmi, dum à Medico petunt remedia, quæ sibi solatio credunt futura.

Quod si esset aliqua soror tantâ generositate prædita, quæ vellet intra quadrantem horæ perfectionem adipisci, faciendo plus, quàm facit communitas, ei essem Auctor, ut se humiliaret, & submitteret, nec appeteret esse citiùs perfecta, quàm intra triduum, pergens interim passu aliarum. Si autem aliquæ sint sorores, quæ nactæ sint corpora fortia & robusta, bene habet, nemo ijs invideat, non ideò tamen debet velle ambulare celeriùs, quàm ambulent debiles.

Accipite exemplum de Iacob Patriarcha, quod & multùm admirabile & aptum ac proprium est ad ostendendum, qualiter oporteat se accommodare debilibus, & moderari suas vires, acci-

acciperéque regulas ambulandi ab ijs, ut pariter cum illis gradiamur. Maximè autem id fieri debet, quando obligamur, ut obligantur Religiosi, ad sequendam communitatem, in omnibus quæ faciunt ad perfectam observationem Instituti.

Iacob igitur egrediens è domo sui soceri Laban cum suis uxoribus, prolibus, servis, armentis, & gregibus, ut rediret ad solum patrium, timebat quàm maximè occurrere fratri suo, eò quòd putaret eum adhuc sibi irasci ac indignari, qui tamen amplius neque irascebatur, neque indignabatur, sed ignorans bonus Iacob, & in itinere constitutus valdè timuit: & maximè quando conspexit occurrentem sibi Esau stipatum magna militum manu. Cùm eum Iacob salutasset, invenit eum erga se perquam benignum & benevolum, quippe qui resalutato perhumaniter Iacobo fratri suo, ait: *gradiamur simul, eróq; socius itineris tui:* ad quod respondit Iacob: *nosti, Domine mi, quòd parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante servum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius, sicuti videre parvulos meos posse, donec veniam ad Dominum meum in Seir.* Advertite, obsecro, benignitatem sancti Patriarchæ, libenter se accommodantis passibus non solùm parvulorum suorum, sed etiam agnellorum, Gradiebatur pedestris & totum ipsius iter fuit perquam fortunatum, ut satis

superq;

ſuperque apparet ex benedictionibus, quas toto illo itinere recepit. Nam vidit Angelos & ſæpiùs cum eis ſermonem miſcuit, quin & cum ipſo Angelorum & hominum Domino, ac Creatore; imò & meliorem partem ſortitus eſt fratre ſuo, qui tam egregium habebat comitatum. Si cupimus vias noſtras benedici à divina bonitate, ſubjiciamus nos ex animo obſervantiæ noſtrarum Regularum; & hoc tota cordis ſimplicitate, non duplicando exercitia, quod adverſatur non ſolùm intentioni Inſtitutoris, ſed & fini, ob quem Congregatio erecta eſt.

Accommodemus nos igitur libenter infirmis & debilibus, quæ & ipſæ in hanc Congregationem recipi poſſunt: nec putetis ea de cauſa tardius itineris veſtri terminum vos aſſecuturas: aſſero enim vobis non ſeriùs ex eo vos perventuras ad perfectionem, quæ veſter eſt terminus; quin è contra, hoc ipſum citiùs vos eò deducet; quia cùm non obruamini multis occupationibus, vos applicabitis ad id faciendum eâ perfectione, quæ vobis erit poſſibilis.

Et hoc eſt, in quo opera veſtra Deo ſunt acceptiora, is ſiquidem non reſpicit multitudinem rerum, quas ob ejus amorem (ut modò diximus) facimus, ſed ſolùm fervorem charitatis, quo eas exequimur. Adverto nî tamen fallar, ſi vos determinetis ad voluntatem obſervandi perfectè

Regu-

Regulas, satis superque (non accersitis aliunde laboribus) habituras quod agatis, quia quidquid concernit perfectionem vestri Instituti in illius Regulis comprehensum est.

Beata Mater Theresia refert filias suas, ita exactas fuisse in rebus, quæ ijs comittebantur, ut magna cautela adhibenda fuerit à Superioribus, ne quid ex ore illis excideret, nisi quod factu esset optimum: quia sine ulla alia admonitione è vestigio ad id faciendum se proripiebant; tam eæ accuratæ erant non solùm ut perfectè suas observarent Regulas, sed & ad minima signa, & dicta, etiam non seriò data, aut prolata, facienda subitò aggrederentur? Hoc exemplo, quod refert eadem sancta Mater Theresia, patebit: quædam è suis filiabus non bene intellexerat aliquid, quod mandârat superior, dixit proinde non satis se id percepisse, respondit superior, subasperè & inconsideratè dicens: vade & pone caput tuum in puteo & percipies. Puella non tarda neque pigra è vestigio cucurrit versus puteum, in quem nisi fuisset impedita, se præcipitasset. Minus certè est negotij in exacta & integra Regularum observatione quàm in mutila & imperfecta.

Non satis eloqui possum quanti punctum hoc momenti sit, ut exactè & adamussim, etiam rem minimam, quæ facit ad perfectam observationem Regularum, exequamur. Eodem refero, nolle

nolle quicquam ultrà illam accuratam obſerva-
tionem incipere, ſub quocunque tandem præ-
textu id fieret; quia punctum hoc eſt via & ratio
conſervandi Religionem in ſua integritate & pri-
mo fervore; contrarium autem hujus deſtruit,
& concidere ac evaneſcere facit primam perfe-
ctionem & genuinum fervorem.

Interrogabitis me an major eſſet perfectio ſe
ita conformare communitati, ut ne communio
quidem extraordinaria petatur? Quis chariſſi-
mæ filiæ, de ea re poſſet dubitare, niſi fortè in
certo quopiam caſu, ut eſſet v.g. in feſtis Patroni
vel Sancti, erga quem totâ vitâ noſtra pietatis af-
fectum habuimus, vel certè in aliqua neceſſitate
multùm urgente? Sed quantum ad minutulos
quoſdam fervores, quos ſubinde ſentimus, qui &
tranſitorij ſunt, &, ordinariè loquendo, ſunt effe-
ctus noſtræ naturæ (quibus inducimur ad com-
munionem deſiderandam) qui pluris non ſunt
facjendi, quàm nautæ faciant quendam ventum,
qui exſurgit circa primam Auroram, qui & pro-
ducitur ex vaporibus terræ, & nullius eſt dura-
tionis; ſimul enim atque dicti vapores incipiunt
aliquantulum elevari & diſſipari, ceſſat: ac pro-
inde Navarchus, qui ejus novit naturam, non ju-
bet ſolvi anchoram, neque vela explicari ad na-
vigandum ejus auſpicijs: eodem modo nos non
debemus pro felici vento habere, id eſt, pro in-
ſpi-

spiratione divina, multas parvas quasdam voluntates, quæ nobis veniunt in mentem: ut sunt, nunc petere licentiam communicandi, paulò pòst orandi, & mox rem aliam faciendi.

Nam amor noster proprius, qui semper & in omnibus vult sibi satis fieri, hoc habito, & quibusdam parvis (quas unicè amat) inventionibus plurimùm gaudebit, nec tamen unquam finem faciet suppeditandi novas, ac novas: hodie dum communitas sacrâ Eucharistiâ reficitur, suggeret ut ex humilitate ab ea abstineatis, & ubi advenerit tempus se humiliandi, nobis persvadebit, ut lætæ sitis, & communionem ad hunc effectum petatis, & sic nunquam erit finis. Non oportet loco inspirationum divinarum habere res, quæ in Regula non continentur, nisi sint casus extraordinarij, quos perseverantiâ didicerimus, Deo placere. Sicut circa communionem, inventæ sunt duæ vel tres eximiâ sanctitate sublimes personæ, quarum Directores volebant, & suadebant, ut quotidie communicarent. Exceptis autem hujusmodi casibus, judico esse actum maximæ perfectionis se conformare omnibus in rebus communitati, nec ab ea propriâ nostra electione unquam recedere.

Nam præterquam quòd sit modus optimus nos proximo uniendi, est insuper via à nobis ipsis propriam perfectionem abscondendi. Est &

quæ-

quædam cordis ſimplicitas, in qua conſiſtit perfectio omnium perfectionum. Et ſimplicitas hæc efficit, ut anima noſtra non niſi DEUM reſpiciat, & ſe in ſe ipſa collectam & velut reſtrictam contineat, quò ſe omni cum fidelitate, quâ poterit, applicet obedientiæ Regularum abſque eo quòd ſe diffundat ad deſiderandum vel volendum plus aliquid aggredi, quàm hoc. Non vult illa anima patrare res excellentes & inſvetas, unde poſſit magni fieri à creaturis; ſed humilians ſe, gaudet ultimum locum tenere, & nihili æſtimari. Adde, quod nihil agat ex propria voluntate, nec etiam tentet agere plus aliquid, quàm aliæ. Et ſic tota ejus ſanctitas abſcondita eſt ab ejus oculis, & ſolus illam novit DEUS, qui delectatur ejus ſimplicitate, per quam illa ejus rapit cor, & ſe illi arctè unit. Eadem radicitus reſecat omnes intentiones proprij ſui amoris; qui amor ſumma afficitur voluptate dum voluit animo res magnas & excellentes faciendas, quæ efficere ſolent, ut præ alijs æſtimemur. Abſit autem talis amor, imò jam procul abeſt ab animabus, quarum unicum eſt ſtudium in hoc mundo, ut pace & tranquillitate perfruantur, & in altero DEUM auctorem omnis pacis æternùm intueantur. Nunquam in mentem admittendum eſt, neque credendum nos ex eo, quod non plus præſtemus, quàm aliæ, ſequendo communitatem, minus meriti habituras.

O non,

O non, non certè! nam perfectio hæc non consistit in austeritatibus, esto bona sint hæc media ad eam perveniendi, & ipsæ in se ipsis bonæ sint, nihilominus pro nobis non sunt bonæ: quia conformes non sunt nostris Regulis, neque earum spiritui, cùm major sit perfectio manere in simplici earum observatione, & sequi communitatem, quàm velle plura, quàm requirant, facere. Audeo polliceri quòd, quæcunque intra eas se continebit, magnum iter intra breve tempus sit confectura, quin & suis sororibus magnum fructum bono suo exemplo reportatura.

Tandem quando applicatæ sumus ad remigandum, id faciendum est certâ proportione & mensurâ; uti faciunt remiges in alto mari: ubi non ita citò excipiuntur verberibus, quando remissius nonnihil remis incumbunt, quàm si remigando certum numerum & mensuram non servent.

Danda est opera, ut omnes Novitiæ uno & æquali instruantur & informentur modo, ijsdemq; rebus exercendis & faciendis omnes occupentur, ut justè & æqualiter ab omnibus remigetur. Et licet non omnes eâdem & pari perfectione faciant, patientia habenda est; hoc enim invenitur in omni communitate.

Sed (ut dicitis vos) mortificationis causâ fit, quòd subinde aliquantulum diutius diebus festi-

vis maneatis in choro quàm alijs, cùm jam ſat longo tempore ibi hæſeritis, ſpatio ſcilicet duarum aut trium horarum, & hoc continenter cum alijs. Ad hoc reſpondeo, non eſſe generalem Regulam, quòd faciendnm ſit omne id, à quo habetur reniſus & repugnantia, ſicut nec abſtinendum ab omnibus rebus, ad quas faciendas in nobis eſt inclinatio. Nam ſi ſoror aliqua habeat propenſionem ad c cendum officium divinum, non debet illud inte mittere intentione & prætextu ſe mortificandi, ſed cum alijs dicere. Cæterùm tempus feſtorum liberum unicuique veſtrum relictum eſt, ut illud impendat juxta ſuam devotionem. Sed tamen verum eſt, eſſe admodum proclive credere, ne (poſtquam tribus horis, imò & diutius hæſiſtis in choro cum tota communitate) quadrans ille horæ, quo diutius manetis in choro, ſit bolus, quem porrigatis proprio veſtro amori.

Tandem, Chariſſimæ filiæ, magni facere, & multùm amare debemus noſtras Regulas, ſiquidem eæ ſunt media, per quæ earum finem conſequimur, QVI EST FACILE NOS DEDUCERE AD PERFECTIONEM CHARITATIS, QVÆ EST VNIO NOSTRARUM ANIMARUM CUM DEO ET PROXIMO. Nec tantùm hoc, ſed etiam reunire proximum cum Deo, quod facimus per viam, quam illi præſentamus & offerimus; ea autem tota quanta

est svavis & facilis, eò quod nulla puella, quæ Religionem hanc petit, defectu virium corporalium ab ea reijciatur, dummodò habeat resignatam voluntatem vivendi juxta SPIRITUM VISITATIONIS. Qui est (ut dixi) SPIRITUS HUMILITATIS ERGA DEUM, ET SVAVITATIS CORDIS IN PROXIMUM. & hic est spiritus ille, qui nostram unionem tam cum DEO, quàm cum proximo facit.

Per humilitatem quidem unimus nos cum DEO, submittentes nos exactæ observationi voluntatum ipsius, quæ signatæ & significatæ sunt in nostris Regulis: debemus enim piè credere eas conceptas & conscriptas ejus inspiratione. Ad quod credendum induci quàm maximè debemus auctoritate & approbatione sanctæ Matris Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ, quæ sunt signa evidentia eas à DEO ortum habere. Et ideò eas amare debemus tantò tenerius & pluribus vicibus, imò diebus singulis sæpius premere & constringere supra nostra pectora, in formam & signum recognitionis & gratitudinis in DEUM, qui eas nobis benignissimè est elargitus.

Jam verò per svavitatem cordis nos unimus cum proximo; per accuratam, & omni ex parte exactam conformitatem vitæ, morum, & exercitiorum; non plus, nec minus agendo, quàm agunt ij quibuscum vivimus; quæ autem nobis præscripta & injuncta sunt in ea via, in qua DEUS

ſimul nos poſuit, ijs nos impendamus omnibus animæ noſtræ viribus, contendentes ea exequi omni quâ poſſumus perfectione.

Verùm notandum eſt illud, quod ſæpius repetivi, exactè ſcilicet & perquam accuratè obſervandas eſſe Regulas, ſicut & minuta quædam velut earum corollaria, non debere intelligi de neſcio qua ſcrupuloſa exactione. O non! neque enim ea fuit unquam mea intentio, ſed ſermo mihi fuit de accuratiſſima exactione caſtarũ ſponſarum, quibus non eſt ſatis evitare, ne diſpliceant cœleſti ſponſo, ſed inſuper volunt facere quidquid poſſunt, ut ei ſint vel tantillò gratiores.

Operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi in medium attulero exemplum aliquod celebre & clarum, ex quo intelligatis, quàm gratum ſit Deo ſe in omnibus rebus conformare communitati. Audite igitur quæ dicturus ſum. Quam ob cauſam putatis Chriſtum Dominum, & ſacratiſſimam ejus Matrem ſubmiſiſſe ſe legi Præſentationis & Purificationis, niſi ob amorem, quo complectebantur communitatem? Certè exemplum hoc ſatis eſſe deberet, ad commovendum Religioſos, ut exactè ſequerentur communitatem, ab eaq; nunquam recederent. Nam neque filius, neque mater ullo modo obligabantur lege illa; non filius, quia Deus erat; non mater, quia erat Virgo puriſſima. Adde quòd pote-

poterant facillimè ab ea se eximere, nemine id advertente: nonné enim Beata Virgo, poterat ire in Nazareth, relictâ Ierosolymâ? non autem ivit, at simpliciter secuta est communitatem. Poterat & optimè dicere: *lex ista non est condita propter charissimum meum filium, neque propter me, ideò nullo modo nos comprehendit: attamen quia cæteri homines ea obligantur, eamq; observant, libentissimè ei nos submittimus, ut eorum cuilibet nos conformemus, & singularitatem evitemus.* Apostolus Paulus præclare dixit Christum Dominum *tentatum fuisse per omnia pro similitudine, absque peccato*, quod idem est ac si dixisset similem factum fratribus suis, si peccatum excipias.

Sed dicitote mihi, eratné timor prævaricationis, qui tum matrem, tum filium tam exactos faciebat in legis observatione? Minimè profectò: nulli enim prævaricationi subjecti erant, sed trahebantur amore, quo Patrem prosequebantur. Amari non potest mandatum, nisi simul ametur lator ipsius mandati. Quâ amoris proportione & mensurâ amamus & æstimamus legis auctorem, eâdem nos reddimus exactos legis observatores. Aliqui sunt affixi & alligati legi per catenas ferreas, alij autem per aureas; explico me; homines sæculares, qui custodiunt mandata Dei ob timorem, ne æternùm damnentur ea potius coacti, quàm ex amore, observant;

at verò Religiosi & ij, quibus curæ est perfectio animæ, eidem legi affixi sunt catenis aureis, id est, vinculis amoris. Amant enim hi mandata & eadem ex amore observant, & ut melius id præstent complectuntur observationem consiliorum. Hinc David dicit Deo: *tu mandasti mandata tua custodiri nimis*. Videtisné quàm exactè & accuratè velit ea observari? Et sic equidem observant omnes veri amatores; non enim solùm evitant legis prævaricationem; sed etiam prævaricationis umbram. Et ideò dicit Sponsus, suam Sponsam similem esse columbæ, quæ versatur circa fluvios, qui leni fluxu feruntur, & quorum aquæ claræ sunt instar crystalli. Credo vobis notum esse columbas ideò morari circa fluvios, ut eorum beneficio securæ sint ab avibus rapto viventibus. nam dum earum in aëre volantium umbram conspiciunt in aquis, timentes ne ab ijs repente obruantur, prædaq; fiant, statim fugam corripiunt. Et talis (vult dicere sacer Sponsus) est mea DILECTA: nam dum fugit ad ipsam umbram prævaricationis meorũ mandatorũ, non timet fieri prædo inobedientiæ. Certè qui se voluntariè privat per votum obedientiæ, ne suam faciat voluntatem in rebus indifferentibus, satis ostendit se lubenter submittere in necessarijs, & ijs omnibus, quæ inducunt obligationem. Oportet igitur maximè esse exactum

in-

in observatione legum & Regularum, quæ nobis datæ sunt per Dominum, sed comprimis sequendo in rebus omnibus communitatem.

Cavendum autem est ne dicamus nos non obligari ad servandam quampiam Regulam, aut peculiare mandatum Superioris, quod latum videtur solùm pro debilibus; nos autem esse fortes & robustas: sed nec è contrà dicendum est, mandatum hoc datum esse pro fortibus, nos autem esse debiles & infirmas. O Deus! nihil magis arcendum est à communitate, quàm hoc; vos ego adjuro, ut, si estis fortes, fiatis debiles, quô conformes efficiamini infirmis; si autem estis debiles, conemini vos adjungere fortibus & robustis.


Sanctus Paulus dicebat *se omnibus omnia factum esse, ut omnes lucri faceret; quis est infirmus, inquit, & ego non infirmor?* 2. Corint. 11. v. 29. & ibid. c. 12. v. 10. *Cùm infirmor tunc potens sum.* Videtisné quomodo S. Paulus dum est cum infirmis, sit & ipse infirmus? & ut libenter se accommodet in rebus necessarijs eorum infirmitatibus, ut ipsi confidant se idem posse facere! Verùm quando est cum fortibus, est velut quidam Gigas, ut eos animet, erigatque; & si advertat proximum in re aliqua, quam facit ipse scandalizari, esto licitum sit illi eam facere, nihilominus talem animo gerit zelum pacis & tranquillitatis, ut libenter ab ea se abstineat.

Sed quando est tempus recreationis, teneor permagno desiderio me conferendi ad orationem faciendam, ut me immediatè magis jungam supremæ bonitati, nonné possum cogitare quòd illa lege, quæ jubet facere recreationem, non obliger, quandoquidem nacta sim à natura animum sat hilarem & excitatum? Respondeo non certè, neque enim magis est licitum cogitare, quàm dicere. Si non habes necessitatem te recreandi, nihilominus facienda est recreatio propter illas, quæ ea indigent.

Ergóne nulla est exceptio in Religione? Obligantné Regulæ æqualiter? Respondeo dubio procul obligant: sed quædã sunt leges, quæ sunt justè injustæ: exempli causâ, Iejunium quadragesimale præceptum est pro quovis, & nonné videtur vobis lex illa esse injusta, siquidem adhibetur moderamen huic injustæ justitiæ, dando dispensationem ijs, qui illud non possunt observare? Idem fit in familijs Religiosorum, mandatum æqualiter fertur pro omnibus, & nemo ex se ipso potest secum dispensare seu se eximere: sed Superiores rigorem moderantur juxta necessitatem cujusque: cavendum autem est diligenter, ne infirmi judicentur minus utiles in Religione, quàm fortes, vel quod minus præstent, ac ideò minus meritorum sint participes: quia omnes æqualiter faciunt Dei voluntatem.

Apes

Apes exhibent nobis exemplum de re, quam in disputationem revocamus: nam earum aliquæ operam suam navant alveari custodiendo, & aliæ perpetuò laborant in colligendo melle. Tamen quæ manent in alveari, non minus comedunt de melle, quàm illæ, quæ se defatigant ubiq; passim deprædando flores. Iudicatisné David injustam tulisse legem, quando mandavit, ut ij milites, qui impedimenta & sarcinas custodiebant, haberent æqualem partem prædæ cum ijs, qui ibant ad pugnam, & reversuri fortè erant onerati vulneribus? Non fuit injusta, quia, qui servabant sarcinas, pro ijs servabant, qui pugnabant, & qui pugnabant, pro ijs pugnabant, qui sarcinas & impedimenta custodiebant. Atque ita omnes merebantur æquale præmium, siquidem omnes Regi æqualiter obediebant.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XIV.

Contra proprium judicium & teneritudinem quam quisq; habet erga se ipsum.



Rima quæstio est, an subjectum esse propriæ opinioni sit res multum contraria perfectioni? Ad quod respondeo: subjectum esse proprijs opinionibus, vel non esse, res est, quæ neque bona, neq; mala est ex se; naturale siquidem est, ut quilibet habeat proprias opiniones, quod minimè nos impedit quò minus perveniamus ad perfectionem, dummodò ijs non adhæreamus neque eas foveamus amemusvé: nam solumodò AMOR PROPRIARUM nostrarum opinionum est, qui nimiùm quantùm contrarius est perfectioni. Et jam hoc sæpius dixi, amorem scilicet nostri proprij judícij, & æstimationem, quæ de eo formatur, esse causam, quòd pauci inveniantur perfecti. Permulti quidem reperiuntur, qui nuncium remittunt propriæ voluntati, sed aliqui propter unum aliquod subjectum, alij propter aliud: nec id solùm in Religione, sed inter sæculares, & in ipsis Aulis principum. Si princeps quispiam mandet alicui ex suis Aulicis rem aliquam executioni mandandam, bene cavebit ille ne recuset obtemperare; sed, ut fateatur bene mandatam esse, raró id contingit. Faciam id, quod mihi mandas, & eo modo, quo dicis faciendum, respondebit; at adhæret illis semper (SED) quod tantum est dicere, quantũ si dicerent scire se, quomodò meliori modo fieri posset.

Nemo

Nemo poteſt dubitare, charæ filiæ, quin hoc valde ſit contrarium perfectioni: producit ſiquidem, ordinariè loquendo, ſpiritûs inquietudines, res phantaſticas & ineptas, quin & murmurationes, & tandem nutrit amorem propriæ æſtimationis. Quare neq; propria opinio, neq; proprium judicium amari & æſtimari debent. Sed oportet me vobis dicere eſſe homines, quibus incumbit formare opiniones, & tales ſunt Epiſcopi, Superiores, & omnes, qui ſedent ad clavum Reipublicæ; alios autem nullo modo id facere debere, niſi obedientia id ordinet, aut jubeat; alioquin perderênt tempus, quod impendere debent ſerviendo & adhærendo fideliter Deo; & ſicut hi æſtimarentur parum invigilare perfectioni acquirendæ, & homines, qui minimè utiliter occuparentur, ſi vellent inhærere conſiderationi propriarum opinionum, ita Superiores parum capaces putarentur munerum, quibus funguntur, niſi formarent ſuas opiniones, & ſe circa illas reſolverent, cavendo tamen ne in eis ſibi complaceant, aut plus æquo inhæreant: hoc enim adverſaretur perfectioni debitæ ſtatui eorum.

Doctor Angelicus Sanctus Thomas, qui pollebat maximo ingenio, quando formabat aliquas opiniones, eas firmabat optimis, quibus poterat rationibus; & nihilominus ſi quis occurrebat, a

qui eas non approbaret, vel etiam ijs contradiceret, non diſputabat, neq; ægrè ferebat, ſed animo æquo & tranquillo id tolerabat. In quo ſatis oſtendebat ſe non amare propriam opinionẽ, ſed nec etiam improbare; proinde rem ita relinquebat, ſive approbaretur ab alijs, ſive non, poſtquam quod ſuum erat fecerat, de reliquo parùm erat ſolicitus.

Certè nec Apoſtoli ita affixi erant proprijs opinionibus, & ne quidem ijs, quæ concernebãt gubernationem ſanctæ Eccleſiæ (quæ non poterant non eſſe maximi momenti) ita ut poſt determinatam, & reſolutam rem, ut reſolvendam putârant, non ægrè ferrent, multò minùs offenderentur, ſi aliæ opiniones circa hoc adferrentur, quin licet ſubinde aliqui invenirentur, qui recuſarent ſtare eorum reſolutioni, quantumvis bonis firmata eſſet rationibus, tamen non conabantur per diſputationes, multò autem minus per conteſtationes efficere, ut reciperentur.

Sicuti Superiores, ſi quocunq; occurſu vel occaſione, vellent mutare opinionem, æſtimarentur leves & imprudentes in ſua gubernatione, ita ij, qui nullis muneribus funguntur, mordicus ſuis vellent adhærere & conari, ut alij eas reciperent, pervicaces & pertinaces haberentur. Nam certum eſt amorem propriæ opinionis in pertinaciam degenerare, niſi fideliter mortificetur &

reſe-

reſecetur. Hujus rei exemplum habemus ab ipſis Apoſtolis. Res eſt non parum admiranda, Chriſtum Dominum ſiviſſe res complures dignas ſcriptione, quas Sancti Apoſtoli fecerunt, profundo involvi ſilentio; & è contrà imperfectionem, quam magni Apoſtoli, Paulus & Barnabas inter ſe commiſerunt, voluiſſe literis conſignari; dubio procul ſingularis fuit Domini providentia, permittētis eam committi pro peculiari noſtra inſtructione. Proficiſcebantur hi duo Apoſtoli ſimul ad prædicandum ſanctum Dei Evangelium, & ſecum ducebant Ioannem Marcum adhuc juvenem, qui ſanguine attingebat Beatū Barnabam, & hi duo perquam eminentes Apoſtoli inciderunt in diſputationem, an eum ſecum deberent ducere, necné, diverſæ adeò fuerunt opinionis, ut non potentes inter ſe convenire, unus ab altero ſe ſeparârit.

Dicite nunc mihi, an debeamus turbari inter nos ex eo, quòd notentur aliqui defectus & errores, poſtquam videmus etiam Apoſtolos hujuſmodi erroribus obnoxios fuiſſe? Sunt profectò ingenia quædam præclara & optima, ſed ita ſubjecta ſuis opinionibus, ut nunquam velint ab ijs decedere: & bene cavendum eſt, ne ex improviſo res talis ijs proponatur, nam timendum eſſet, ne eò pertinaciæ devenirent, ut vix poſſibile eſſet eos inducere, ut vellēt agnoſcere, & fateri ſe

erraſ-

erraſſe: quia ſcilicet tam profundè ſe immerſe-runt in inveſtigatione rationum facientium ad rem, quam ſuſceperunt defendendam, ut eos à ſententia abducere perquam ſit difficile, niſi ubi excellenti perfectioni ſe tradiderint.

Sunt & alia ingenia præclara & magnarum re-rum capacia, quæ non ſunt ſubjecta iſti imper-fectioni, ſed libenter recedunt à ſuis opinioni-bus, quamvis eæ primæ ſint, nec ſe armant ad eas defendendas quando aliquid contrariũ ijs pro-ponitur, vel opinio altera prorſus oppoſita ei, quam judicarunt eſſe bonam & ſecuram; prout diximus de magno ſancto Thoma. Et ſic vide-mus eſſe naturale, ut quiſq; ſubjectus ſit tuendis ſuis opinionibus. Et verò homines melancho-lici communiter laborant magis iſto vitio, quàm ij, qui ſunt naturâ læti & hilares; & quidem cer-tè, hi perquam facilè mutant ſententiam, & cre-dunt id quod illis dicitur. Magna illa ſancta Paula Romana pertinacior erat in tuenda opi-nione, quam ſibi formârat circa auſteritates, quàm ut ſe ſubmitteret judicio plurium, qui ſuadebant ab ijs abſtinere. Idem fecerunt com-plures ſancti, qui æſtimabant magnopere mor-tificandum & macerandum eſſe corpus ad pla-cendum Deo, atque ea de cauſa recuſabant ob-temperare medico, præſtando ea, quæ requi-runtur ad conſervationem corporis mortalis &

peri-

perituri, quamvis autem id ſit imperfectio, non ideò tamen deſinunt eſſe celebres ſancti & Deo grati. In quo docemur non debere nos turbari in nobis ipſis, dum in nobis noſtras notamus imperfectiones, vel inclinationes contrarias veræ virtuti, dummodò non fiamus pertinaces volendo in ijs perſeverare. Nam & ſancta Paula, & alij, qui pertinaces ac pervivaces evaſerunt, licet id in re non magni momenti; in ea tamen fuerunt reprehenſibiles. Quod ad nos attinet, nunquam ſinere oportet, vt noſtræ opiniones ita invaleſcant, ut non libenter contrarium faciamus, & ſequamur quando opus eſt; ſive ad id obligati ſimus, ſive non, ad eas formandas.

Eſſe proinde ſubjectum & propenſum ad magni faciendum proprium noſtrum judicium, ac ideò intrare p rofundè ad inveniendas rationes proprias aſſerendis & defendendis noſtris opinionibus, quas ſemel comprehendimus, res eſt quidem purè naturalis; ſed ſe ab ijs capi permittere, ac cum pertinacia ijs inhærere, eſt imperfectio valde notabilis.

Dicitote mihi, nonné eſt tempus inutiliter terere, & præcipuè ſi ij id actitent, qui officia non adminiſtrant, in iſtis ſe detinere? Dicitis mihi, quid ergo faciendum eſt ad mortificandam iſtam inclinationem? Reſpondeo, ſubtrahendum eſt illi nutrimentum; verbi gratiâ, ſi venit tibi in

men-

mentem non rectè rem agi, dum tali agitur modo, at longè meliùs actum iri, si fieret juxta id, quod concepisti: averte te ab ista cogitatione, dicendo intra te ipsam: hem! quid ad me quòd talis res taliter fiat, siquidem mihi commissa non est? semper tutius ac melius est, sic se simpliciter ab ea avertere, quàm requirere rationes intra te, quibus tibi persvadeas te male judicare, nam loco quo id facere deberet noster intellectus, qui jam præoccupatus est peculiari judicio, tibi turpiter imponeret; nam pro eo quod deberet nostram opinionem in nihilum redigere, suppeditaret rationes ad eam tuendam, & ut legitimam recognoscendam. Semper utilius est illam contemnere, & ne aspectu quidem dignari, at simulatq; apparet, eò locorum pellere, ut nesciatur quid voluerit suggerere & dicere. Est quidem verum non esse in potestate nostra impedire primum motum complacentiæ, qui nobis advenit, quando opinio nostra approbata & recepta est, cùm motum illum evitare non possimus, possumus autem non inhærere suggestæ complacentiæ, possumus & Deum laudare & benedicere: ac deinde plus ultrà pergere, nec affici magis illâ complacentiâ, quàm afficeremur exili quopiam dolore, qui nobis evenire posset, si nostra opinio non probaretur nec reciperetur, quia non omni ex parte haberetur firma.

Opor-

Oportet, quando requirimur vel per charitatem, aut per obedientiam, proponere id quod nostri est judicij circa objectum, de quo est quæstio: & hoc magna cum simplicitate, at de cætero ponere se in indifferentia, sive recipiatur, sive non: imò oportet opinari subinde & discurrere supra opiniones aliorum, & ostendere rationes, quibus nostræ confirmantur. At id faciendum est magna cum modestia & humilitate, non contempto ullo modo judicio aliorum, neque etiam contestando, ut nostræ recipiantur.

Rogabitis fortassis an non sit nutrire hanc imperfectionem, si occasio quæratur loquendi postea de nostra sententia cum ijs, qui nobiscum sentiebant, tunc quando non amplius est quæstio, ut resolvatur, cùm jam determinatum sit, quid fieri oporteat? Respondeo, dubio procul esset nutrire & patrocinium suscipere nostræ inclinationis, & consequenter committere imperfectionem non minimam: nam esset vera nota & indicium, non submisisse nos judicio aliorum, sed nostrum particulare illorum prætulisse. Quapropter res proposita & determinata non debet adduci in colloquium, neque in cogitationem, nisi res esset, quæ in magnum & notabile vergeret malum: nam tunc adhuc inveniri poterit aliqua ratio ad impediendam & avertendam executionem, vel remedium adfe-

rendum; id autem faciendum esset maximâ, quâ posset charitate, & minimo sensu aliorum, quo nemo turbaretur nec contemni videretur id, quod conclusum est, vt bonum.

Solum & unicum remedium sanandi propriū judicium, est negligere id, quod nobis venit in mentem, & applicare nos rei cuipiam meliori; nam si laxemus habenas nostro intellectui, ducendo moras super omnes & singulas opininones, quas nobis suggeret diversis occursibus & occasionibus, quid inde aliud nascetur, nisi continua distractio & impedimentum rerum vtiliorum, & propriarum nostræ perfectionis, efficiemur scilicet incapaces, & inepti ad faciendam sanctam orationem? Nam cùm dederimus libertatem spiritui nostro occupandi, & detinendi se consideratione talium fallaciarum, semper magis ac magis intrabit profundius, nobisq; inducet cogitationes super cogitationes, opiniones super opiniones, quin & rationes super rationes, quæ, mirum dictu est, quàm importunæ nobis futuræ sint in oratione: oratio siquidem nihil est aliud, quàm integra & perfecta applicatio mentis nostræ ejusq; facultatum in Deo.

Porrò si libertas illi detur prosequendi res inutiles, tantò minus se habilem & aptum ad considerationem mysteriorum, de quibus facienda est oratio, reddet.

Hæc

Hæc habui quæ vobis dicerem circa objectum primæ quæstionis : quâ edocti sumus habere propriàs opiniones, non esse rem contrariam perfectioni ; sed si habeas amorem erga eas, & consequenter magni eas facias , erit omnino contra perfectionem. Nam si eas non æstimamus, non efficiemur earum amatores, & si eas non amamus, parum nobis cordi erit, an approbentur, necné. Adde quòd non erimus ita faciles, & leves ad eas commendandas, dicendo, credant alij quidquid volunt, SED QVANTÙM AD ME : scirené vultis quid sibi velit illud, QVANTÙM AD ME ? nihil aliud sibi vult, nisi, non me ego ijs subijciam, sed ero firmus & stabilis in mea resolutione & opinione. Hæc est, ut sæpius dixi, ultima res, quam derelinquimus, quam tamen relinquere & renunciare ad acquirendam veram perfectionem, summè est necessarium, alioquin enim non acquiremus sanctam humilitatem, quæ obicem ponit & inhibet ne æstimemus nos, neque res alias, quæ ex ea æstimatione dependent : ideoque si non habeamus familiarem praxim hujus commendatissimæ virtutis, semper cogitabimus nos esse aliquid melius quàm simus, ac proinde præ alijs aliquid nobis deberi. Sed sit satis de hac re. Si me aliud ultra non rogatis, transibimus ad secundam quæstionem, quæ est, an teneritudo quam habemus in

nobis ipſis, multùm nos retardet in via perfe-ctionis.

Quod ut melius intelligatur, debeo vobis in memoriam revocare id, quod alioquin optimè jam calletis, habere nos duos amores, AFFECTIVUM ſcilicet, & EFFECTIVUM; & tam eſt in amore, quem habemus erga Deum, quàm quem gerimus erga proximum, & inſuper erga nos ipſos, ſed non loquemur niſi de eo, qui eſt erga proximum ac deinde ad nos ipſos revertemur.

Theologi, ad bene comprehendendum & inculcandum diſcrimen horum duorum amorum, conſueverunt adhibere comparationem de Patre aliquo, duos filios habente: quorum alter eſt velut filius albæ gallinæ, ut vulgò dicitur, uno verbo, deliciæ parentis, parvus adhuc puſio, gratioſulus; alter autem vir jam perfectus, inſignis, & generoſus miles, vel alterius conditionis, qualem cuilibet licebit imaginari. Parens magnopere amat duos iſtos filios, ſed amore differente: nam amat parvulum amore pertenero & affectivo. Advertite, amabò, quid non agat, & non permittat parvulum hunc puſionem facere circa ſe? Inuſitatis blanditijs eum tractat, figit oſcula, ponit & tenet ſuper genua, ſtringit eum inter brachia ſvavitate nulli ſecunda tam puero quàm ſibi ipſi. Puſioni huic infixus eſt ab ape aculeus, non ceſſat bonus pater ſufflare ſupra ejus genam

uſque

usque dum dolor mitigetur. Si autem filio natu majori à mille apibus esset impressus aculeus, ne pedem quidem ob id movere dignaretur, esto illum amet amore fortissimo & solidissimo.

Considerate, obsecro, differentiam istorum duorum amorum; nam non obstante teneritate, quam vidistis exhiberi à patre parvulo filiolo, non intermittit propterea facere de eo proposita, & extra domum mittere, efficereque ut sit eques Melitensis, destinans interea majorem natu bonorum suorum hæredem, & in bonis paternis successorem. Hic igitur amatur amore effectivo, minor autē affectivo; uterq; amatur, sed diversimodè. Amor, quem nos habemus erga nos ipsos, est affectivus & effectivus. Effectivus amor est, qui gubernat magnos illos honorum ac divitiarum ambitiosos: nam tanta sibi procurant bona, quanta possunt, & nunquam satiantur procuratis: illi magnopere se amant amore effectivo; sed sunt alij, qui se amant magis affectivo: ijque sunt, qui admodum delicati sunt, erga se ipsos, & tenerè se habent, tractantque, qui nec aliud unquam agunt, quàm querelas deponunt, volentes ab omnibus molliter, & indulgenter haberi & tractari, quique adeò timent omne id, quod ijs nocere posset, vt sit res omni commiseratione digna, videre eos taliter affectos: si sint ægroti, esto solùm extrema digiti pars nonnihil

 doleat,

doleat, eorum judicio & sermone nullus est dolor in mundo comparandus ei, quem tolerant, sit quantumcunque velis, acerbus: adde non posse inveniri sat multos medicos, qui eos sanent: nunquam faciunt finem sumendi medicinas, quibus, cùm se in bona sanitate putent velle conservare, illam penitus penitusq; perdunt: si autem aliqui alij sint infirmi, eorum judicio nihil est; se solos lacrymis & lamentationibus deflendos putant: ita ij sunt teneri & sui amantes! unum est eorum studium & cura, omnes movere ad commiserationem, ijs magnæ non est curæ, ut habeantur & æstimentur patientes, modò ijs fides habeatur, quod gravi morbo affligantur. Ecquis non videt imperfectiones istas proprias esse infantium? & si audeo dicere, fœminarum? quin etiam eorum, qui quidem inter viros (si tamen ij viri dicendi sunt) versantur, sed toti quanti sunt effœminati, & nihil, aut admodum parum habent generositatis, & magnanimitatis. Nam inter viros generosos imperfectio hæc non reperitur: absit enim ut ingenia cordata inhæreant istis stoliditatibus & fatuitatibus, quæ ad nihil aliud valent, quàm ad impediendam & retardandam viam nostræ perfectionis. Et cùm hæc ita sint, non posse tamen ferre, ut teneri & delicati habeantur, nonné est maximè & proprijssimè teneros & delicatos esse?

Memi-

Memini historiæ, quam rediens aliquando Parisijs vidi in domo Religiosa : quæ, quia ad meũ facit propositum, & majori me cumulavit & perfudit consolatione, quàm omnia, quæ reliquo toto itinere videnda occurrerunt, occurrerunt tamen multæ, & magnis virtutibus præditæ animæ; sed hæc unica supra alias maximo gaudio me affecit, eam nolui tacitus præterire.

Erat in hac domo Religiosa una puella, quæ vitæ Religiosæ ponebat tyrocinium, admirandâ svavitate, tractabilis, & obedientiæ cultrix perquam exacta. Quid multis? habebat ea dotes, & conditiones maximè necessarias ut esse posset bona Religiosa. Tandem, adversante fortunâ, Sorores notârunt imperfectionem aliquam corporalem, quæ in causa fuit, ut inciperent dubitare, an non, ob imperfectionem illam, domum esset remittenda.

Mater superior multùm illam amabat, ideoq; id fieri noluisset, nec potuisset sine ingenti suâ molestiâ & dolore. Cæterùm, multùm sorores instabant, & ob id corporale incommodum dimissionem urgebant. Controversia autem, seu opinionum dissidium, mihi commissum fuit in bonum afflictæ istius puellæ, quæ erat ex honesta domo, & familia oriunda : advocata statim adfuit, & ad pedes meos in genua se prostravit, & ait: *verum est, Illustrissime ac Reverendissime Domine*

Præsul, me habere imperfectionem, quæ, ut verum fatear, non caret aliqua verecundia (eam elata voce, magna cum simplicitate nominavit) fateor proinde Sorores nostras habere magnam rationem, me in suum Ordinem non recipiendi; nam in hoc meo defectu sum propemodum intoleranda: humillimè autem tum tuam Reverendissimam Dominationem, tum Charissimas in Christo Sorores rogo, ut mihi sint favorabiles, certò promittenti, ut si me recipiant, ostendendo & exercendo suam erga me charitatem, daturam me operam quàm potero maximam, ne ijs incommodem, ex animo me submittendo ad hortum colendum, vel quæcunque alia officia libentissimè & diligentissimè executuram, modò talia sint, quæ me ab earum societate aliquantulum elongent, ne posthac aliquid incommodi illis creem.

Si, quod sentio, dicere debeo, puella ista ad vivum cor meum tetigit, ò quàm parum in se erat tenera & delicata! Cohibere me non possum, quò minus dicam, quod infixum hæret méti, optare me ex toto corde habere defectum illum naturalem, modo & simul animum haberem dicendi coram universo mundo ea cum simplicitate & candore, quo illa coram me dixit: non ita mihi credite timebat pudorem & humiliationem, quàm complures aliæ, nec ita erat tenera & sui ipsius amans; nec tot, tantasque faciebat considerationes vanas, & inutiles v. g. ecquid dicet Superior, si hoc aut illud ei dixero? Petam ego

ego aliquid ſolatij? dicet illa, aut cogitabit me eſſe nimis teneram, delicatam, meiq; comprimis amantem. Sed age, ſi verum eſt, quare non vis, ut cogitet id, quod novit & audit? Dices, dum ei aperio meam neceſſitatem, tam frigido & corrugato vultu me aſpicit, ut videatur hoc ei minimè eſſe gratum. Audi, chara Soror, fieri quidem poteſt, ut Superiori habenti multa cogitanda & facienda, non ſemper ſit animus ridendi, vel multùm gratiosè loquendi, quando tuum illi detegis malum, & hoc tibi moleſtum accidit, & tollit, ut dicis tu, confidentiam aperiendi illi tuas incommoditates. Deus bone, charæ filiæ, quid aliud ſunt iſta, quàm infantium puerilitates? agendum eſt candidè & ſimpliciter. Si Superior vel Magiſtra domûs non te ita, ut velles, benignè ſemel vel etiam ſæpius exceperũt, num ideò moleſtè ferre debemus, & judicare quod idem ſemper ſint facturæ? minimè gentium: Dominus fortaſſis ſpiritûs ſui ſuavitate aliquando eas tanget & gratiores atque benigniores efficiet, ubi aliâ vice ad eas redieris. Non oportet etiam íta nos delicatas eſſe, ut omnes ſemper noſtras incommoditates ad eas deferamus, ſed ſolùm quæ ſunt magni momenti. Exiguum capitis dolorem aut dentis (qui fortè citiùs, quàm putas, tranſibit, maximè ſi animum adijcias ad illum ferendũ Dei amore) neceſſe non eſt ſtatim aperire, ut in-

de solatij aliquid emendices. Fortè non aperies
Superiori, vel ei è Sororibus, quæ aliquid suble-
vamenti potest adferre, at libentius & facilius a-
lijs: eo quòd, ut loqueris, velis eum sufferre pro-
pter Deum. O chara Soror, vide, amabò, quid
dicas, si verum esset velle te incommoditatem il-
lam pati ob Dei amorem, cur statim aliam adis
Sororem, ut ei dicas, quæ, ut bene nosti, credet
se obligatam ut referat ad Superiorem; quò fiet,
ut obliquè agendo, habeas solatium, quod bona
fide agendo habere potuisses. Adverte, obsecro,
longè te rem tuam melius acturam fuisse, si sim-
pliciter ab ea, penes quam erat potestas illud so-
latium conferendi, petijsses. bene enim sciebas
Sororem illam, cui dixisti caput tibi dolere, non
habere potestatem tibi dicendi, vade ad lectum,
& quiesce. Non aliud igitur habuisti propositū,
ac intentionem (esto non venerit expresè id in
mentem) quàm ut aliquid solatij emendicares
ab ea Sorore: quod ne dubites, perplacuit amo-
ri proprio. Si tamen aliqua è Sororibus occur-
rens peteret, quomodò nunc vales? nihil esset
mali, (dummodo simpliciter & fine amplifica-
tione aut lamentatione id fieret) dicere, tibi ca-
put dolere: verùm extra hoc non videtur dicen-
dum, nisi Superiori, aut Præfectæ Domûs; nec
timendum tibi quidquam est, esto nonnihil sub-
inde sint rigorosiores ad corrigendum huiusmo-
di de-

di defectum. Nam chara filia, non tollis eis cõfidentiam, quò minus, quod illis videtur faciant. Ito igitur ſimpliciter, tali in ſtatu conſtituta, & dolorem eis tuum aperito. Credo equidem plus voluptatis & confidentiæ habere te, dicendi tuũ malum ei, quæ nequit tibi conferre ſolidum ſolatium, quàm ei, cui id incumbit ex officio, & habet unde id faciat. Quam diu enim ſic agis, quælibet vult te conſolari, & omnes ſe accingunt ad remedia ferenda; loco quo, ſi dixiſſes Sorori, cui id comiſſum eſt, te oporteret eo remedio, quod præſcriberet uti, teq; ſubmittere: & volens nolens benedictæ iſti ſubiectioni, quam omnes ſemper ac totis viribus evitamus, manus dare: cùm amor proprius velit & ſtudeat ſemper eſſe director noſtri ipſorum, & abſolutus rector propriæ noſtræ voluntatis. Verùm ſi dixero Superiori, objicies tu, Laboro Dolore Capitis, mihi dicet, vade cubitum: Reſpondeo ecquid tum? quid obeſt, ſi putas te non habere ſufficientem dolorem, ut hoc remedio ſit opus, nihil tibi cõſtabit dicere, Mater veneranda, vel Soror chariſſima, non ſat, ut mihi videtur, doloris habeo, ut ſit neceſſe me petere lectum hoc tempore; ſi ea manens in ſua opinione dicat, fac quod dico; cave tu ne omittas id facere magna cum ſimplicitate; nec hoc tantùm caſu, ſed ſemper, & in omnibus, quæ mandantur, & obtemperare, &
ambu-

ambulare oportet ſimpliciter per veram viam filiarum & Religioſarum VISITATIONIS, quæ via gratiſsima eſt Deo, & conſcientiæ ſecuriſſima.

Verùm ſi videatis Sororem quampiam angi animo, vel quacunq; incommoditate laborare, nec habere tantùm confidentiæ, vel animi, ut ſe ſuperet, & quid ſibi ſit, indicet, interim autem vos, (quæ perbelle animadvertitis illam ex eo, quod id negligat in magnam induci melancholiam) an debeatis eam ad vos allicere, vel ſinere, ut veniat illa per ſe ipſam, ratio debet decernere: nam ſubinde condeſcendendum & indulgédum eſt ejus naturæ & teneritati, eam ad ſe vocando, & ſe informando quid ei ſit; aliàs autem ejuſdem minutulas quaſdam moroſi & phantaſtici ingenij ineptias mortificare conveniet, relinquendo eam ſibi ipſi, & quaſi dicere, ſi tu non vis te ſuperare petendo malo tuo remedium, patiare cum bono Deo, quod mereris. Teneritudo hæc multò minus toleranda eſt in rebus animæ, quàm corporis. Etſi, prô dolor! magis exerceatur, & foveatur à perſonis ſpiritualibus, quæ primo ſtatim congreſſu cum Deo vellent eſſe ſanctæ, ſed ita, ut ſanctitas illa gratis daretur, nullumque ſubeundum eſſet certamen, aut aſſultus, quos creare ſolet pars inferior, ob ſenſum doloris, quem perſentiſcunt in rebus naturæ contrarijs, & interim velimus, nolimus, aſſu-

assumendus est animus ad sustinendum hic & nunc, & consequenter resistendum adversariorum nisibus; & hoc pluribus in occasionibus, ímò toto vitæ tempore, nisi velimus inchoatæ perfectioni acquírendæ nuncium remittere.

Magnopere desidero, ut semper distinguantur effectus partis superioris animæ nostræ ab effectibus partis inferioris: nec unquam miremur productiones partis inferioris, sint quantumcunque malæ ac perniciosæ; eæ enim nullo modo valent remorari viam nostram spiritualem, modò firmemus nos in parte superiore, ad prosequendum assiduè viam perfectionis; nunquam nos detinendo, & perdendo tempus, conquerendoq́ue quod simus imperfectæ & commiseratione dignæ, quasi aliud nihil faciendum esset, quam lamentari & accusare nostram miseriam & infortunium, quod tam tardi simus in comprehendendo & consequendo fine cœpti nostri.

Bona illa puella, de qua locuti sumus, non emollivit nec extenuavit ullo modo, dum mihi loqueretur, suum defectum, sed corde & vultu constanti, & inconcusso eum aperuit, & candidè asseruit: qua in re mihi maximè placuit. Nobiscum autem optimè agi credimus, dum super errata nostra flemus & lamentamur; sed & mirum dictu est, quàm id titillet amorem propriũ.

Opor-

Oportet, charæ filiæ, vos esse quàm maximè generosas, nec mirari ullo modo vos subiectas & obnoxias esse mille imperfectionum generibus; ijs tamen non obstantibus, esse debetis magno & excelso animo ad contemnendas vestras inclinationes, habitusque diversos terreni & melancholici temperamenti, ineptasque phantasias, & nescio quæ non animi mollimenta; ista omnia mortificanda fideliter sunt quandocunq; se insinuant. Quod si nihilominus labamur jam hîc, jam ibi in aliquas imperfectiones, non ideò cessemus pergere in via Domini; at erigamus animum, & prima occurrente occasione fidelius agamus, ultroque pergamus, faciendo progressũ in via Dei, & abnegatione nostri ipsorum.

Deinde petitis, si Superior vos videns solitò tristiores roget, quid habeatis, & probè quidem animadvertatis vos multa in mente habere, quæ vos molestant, sed nequeatis dicere quid sit, qualiter vos gerere debeatis.

Respondeo oportet id simpliciter dicere: habeo complures res in mente, sed quid sint nescio. Timetis, ut vos ipsæ dicitis, ne Superior cogitet, vos non habere cõfidentiam ut sibi dicatis: Ecquid tandem curatis, & vos affligitis judicia faciendo, quid cogitet illa vel non cogitet, dummodò vos, quod vestri est officij præstetis? Quid est, inquam, quod ob eam vos rem cruciatis?

Quid

Quid dicetur si hoc fecero? vel illud dixero? vel quid Superior sit cogitatura? profectò ista admodum contraria sunt perfectioni, quando contingit in eis moras longiores trahere. Repeto iterum, oportet semper meminisse, quod crebrius dixi, me non intendere loqui de eo quod agit pars inferior: nam id nihili pendo, loquor auté de parte superiore, quando dico ista esse contemnenda: Quid dicetur vel quid cogitabitur? Et hoc, maxime vobis accidit post redditam rationem conscientiæ, quasi non satis particulares defectus explicaveritis: venit in mentem dicitis vos, quòd Superior dicet, vel cogitabit, noluisse vos ipsi omnia dicere. Idem contingit in reddenda ratione tali, quod & in confessione: ideò in uno æquè ac in altero oportet habere parem simplicitatem.

Porrò, dicite mihi, dicerène oportet, si confiteor talem rem: quid dicet meus Confessarius, vel quid cogitabit de me? nullo penitus modo. Cogitet is, & dicat quidquid velit, modò me absolverit à meis peccatis, & ego quod debui fecerim, sufficit, sicuti & post confessionem non est tempus se examinandi & dispiciendi an totum dixerimus, quod fecimus; sed tempus tunc est circumspectè nos habendi in tranquillitate animi coram Domino, quo cum sumus reconciliatæ, sicut & gratias agendi pro acceptis ab eo beneficijs,

neficijs, omiſsâ non neceſſariâ indagatione rei alicuius, quam fortè oblivioni tradidimus; eodem modo agendum eſt poſt redditam rationẽ conſcientiæ. Dicendum eſt ſimpliciter quidquid nobis occurrit, & poſtea omnis ea de re deponẽda cogitatio eſt. Sed quemadmodum grauis error committi poſſet eundo ad confeſſionẽ faciendam non præmiſſo diligenti examine & hoc ideò, quia timuimus; ne aliquid occurreret confitendum, in quo magno pudore afficeremur: ita non eſt negligẽda accurata & intima ſui ipſius inquiſitio ante reddendam rationem conſcientiæ ex timore, ne incidat res aliqua dicenda, quam non libenter diceremus. Non oportet etiam eſſe nimiùm accuratam, & ſolicitã, ne quid dicendum excidat: neque etiam probo nimis acceleratum, ne dicam importunum ad ſuperiores recurſum ob nimium dolorem, vel difficultatem, quam haberes, & fortaſſe intra horæ quadrantem ceſſaret. Oportet addiſcere aliquid generoſè pati, & maximè minutulas res, quibus non poſſumus pro libitu adferre remedium, cùm ſint plerumque productiones imperfectæ noſtræ naturæ, uti ſunt v. g. inconſtantiæ quædam humorum, ex ratione nativi temperamenti; voluntatum, deſideriorum, quæ modò producunt moroſitatem, modò loquendi deſiderium, & ſtatim pòſt ſimul repente magnam ab ijs ipſis

averſionem. Omitto cætera hujuſmodi, quibus ſumus ſubjecti, & erimus quamdiu in hac vita fragili ac tranſitoria vivemus.

Quod autem attinet ad difficultatem, quam dicitis vos habere, ab eaque vobis eripi modum, quo minus attentè vos habeatis coram Deo, niſi illicò rem referatis ad Superiorem. Vobis dico notandum eſſe quòd vobis fortaſſe non tollat attentionem ad Dei præſentiam, ſed potius ſvavitatem illius attentionis.

Porrò, ſi aliud non obſtat, & vos habeatis (uti mihi dicitis vos habere) voluntatem ſufferendi & patiendi, nullo forinſecùs conquiſito ſolatio, dico vos bene agere hoc faciendo; quamvis nonnihil inquietudinis ea res ſecum ferat: dummodò tamen non ſit ea nimis magni momenti, quæ tunc verè eſſet, ſi impediret conjunctionem cum Deo: & tunc illo ipſo momento deferenda eſſet ad Superiorem, non quidem propter veſtrum ſolatium; ſed ut priſtinum locum inveniretis in præſentia divinæ Majeſtatis; quanquam nec multùm obeſſet id etiam facere ad accipiendam aliquam conſolationem.

Cæterùm non oportet noſtras Sorores ſic affixas eſſe amicabiliori & officioſiori Superioris allocutioni; ut à tempore, quo minus eis ad libitum ea loquitur, ſtatim concludant ſe ab ea non amari. Non certè: Sorores enim noſtræ

longè altiori humilitatis & mortificationis gradu ascenderunt in amorem, quàm ut posthac levi suscipione fiant melancholicæ (& hoc fortassis absque fundamento) quòd à proprio amore persuasum eis sit, minus se amari, quàm desiderarent.

At (inquit vestrum aliqua) commisi aliquid contra Superiorem, ac ideò ingredior nescio quos apprehensionum Labyrinthos credens eam mihi offensam: & ut verbo dicam, ne non sim eo apud eam loco, quo eram antè. Respondeo charæ Sorores, omnes isti admirationis & tristitiæ effectus fiunt mandato cujusdam Patris spiritualis, qui nuncupatur amor proprius, cujus hæc est vox: *quid hoc est quod ita in istos errores prolapsa sim, & quid dicet vel cogitabit Mater nostra de me? Eheu! nihil amplius de me boni sperandum est, sum misera & miserabilis, nil unquam amplius quicquam præstare potero, quod placeat Matri nostræ.* Hæ hisq; similes sunt amoris proprij querimoniæ & lamentationes. Non dicitur, ô Deus, te offendi, ideò oportet me recurrere ad tuam bonitatem, & sperare, quod me sis roboraturus: dicitur autem, scio quidem Deum esse bonum, proinde non respiciet meam infidelitatem, optimè cognoscit nostram infirmitatem; sed NOSTRA MATER. Viden', ut semper redimus ad continuandas nostras querelas? Nô nego, danda est opera,

ut

ut noſtris placeamus Superioribus : nam Magnus Apoſtolus Paulus id declarat, & ad hoc hortatur, loquens ſervis etiam Ethnicorum Dominorum 6. ad Epheſ: quod etiam peroptimè quadrat filijs & filiabus : *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto : non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes Dei voluntatem ex animo.* Si ſic agamus, non eſt quòd nos affligamus, neq; nimis ſolicitæ ſimus, ut ſemper hominibus ſatisfaciamus : nam id communiter in noſtra non eſt poteſtate. Optimo autem quo poſſumus modo agamus, ne cuipiam offenſioni ſimus. At poſt hæc ſi pro innata vobis infirmitate contingat, vos adhuc ſubinde offendere, recurrite continuò ad doctrinam, quam ſæpe vobis inculcavi, & quam tantopere cupio animis veſtris inſculptam eſſe ; humiliate vos è veſtigio *ſub potenti manu Dei*, recognoſcentes veſtram fragilitatem & debilitatem, & deinde reparate officij prætermiſſionem (ſi illa meretur) per actum humilitatis adverſus perſonam, quæ ne aliquantulum à vobis ſit offenſa, timetis. Et hoc facto, nil amplius turbemini. Nam pater noſter ſpiritualis, qui eſt amor Dei, id prohibet, docendo nos, ut poſtquam, uti dixi, actum humilitatis exercuerimus, nos ipſos intremus, vultuque ac verbis comiter ac benevolè hanc felicem abjectionem, &

ſimul amabilem matris reprehenſionem, quam ob neglectum officium promeriti ſumus, excipiamus.


Habemus duos amores, duo judicia, & duas voluntates: ideoque quidquid amor proprius, quidquid judicium particulare, vel propria voluntas nobis ſuggerunt, nihil faciamus; dummodò efficiamus ut Dei amor ſuper amorem proprium regnet; & judicium Superiorum, quin & inferiorum & æqualium noſtro prædominetur, illud revocando ad ſuum modulū. Nec ſatis nobis debet eſſe, quòd noſtram ſubijciamus voluntatem, efficiendo, ut ad omnia ſimus prompti & parati; ſed etiam ita ſub jugum judicium mittamus, ad credendum nullam nos habere rationem, quâ juſtum & rationabile non judicemus id, quod ſtatutum eſt, denegantes abſolutè fidem rationibus, quas vellet adferre ad inducendos nos, ut credamus rem nobis commendatam aliter melius ſucceſſuram, quàm eo modo, quo nobis commiſſa eſt. Oportet nos cum ſimplicitate ſemel rationes adferre, quæ bonæ nobis videntur, ſed poſtea acquieſcere abſque ulla contradictione rei nobis demandatæ. Et hoc modo jugulabimus noſtrum judicium, quod ſapientius & prudentius ſe omnib⁹ alijs exiſtimat. Veneranda Mater, Deus ſit benedictus, ita Sorores poſthac decreverunt amare mortifica-

tio-

tionem, vt jucundiſſimum & gratiſſimum futurum ſit eas eo in genere ſeſe exercentes videre: conſolatio poſthac comparata afflictioni, mentis ſiccitati, ariditati & remoris ſeu reniſibus quibuscunque, nullo eis erit loco: ita deſiderant ſe efficere ſimiles ſponſo! Adjuva ergo eas, ò Mater, in tam ſalutari ſuo cœpto, eas liberè, & audacter mortificando, nullique parcendo; hoc enim illæ ardentibus animis expetunt, dum amplius nolunt adhærere ſvavibus blanditijs; id ſiquidem contrarium eſt generoſitati pietatis ac devotionis earum; Quo fiet, vt poſthac ita ſeriò, & abſolutè ſeſe applicaturæ ſint deſiderio placendi Deo, aliud ut nihil habituræ ſint in pretio, niſi illud faciat ad promovendum profectum earum deſiderij.

Signum eſt & nota ſatis aperta animæ plus æquo delicatæ & mollioris devotionis, ſinere ſe trahi & abſtrahi à recto ab obvijs quibusque occaſionibus contradictionum. at jam omnis ponendus timor, ajunt ipſæ Sorores: nolite timere ne ſtolíditates quædam ac fatuitates moroſi, melancholici, ac phlegmatici ingenij regnent unquam amplius inter nos: magis ſumus animatæ, Deo ſint laudes, quàm ut tale quid ignavum committamus. Applicabimus poſthac nos ad taliter vivendum, ut jucundiſſimum futurum ſit noſtram converſationem contemplari.

Interim, Charæ filiæ, purificemus, quàm optimè valemus, nostram intentionem, faciendo omnia propter Deum, propter ejus honorem, & gloriam, ab eo solo expectantes navatæ operæ mercedem: ejus amor in hac vita erit nostra remuneratio, ille idem in altera compensatio in omnem æternitatem.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XV.

In qua quæritur in quo consistat perfecta resolutio respiciendi & sequendi voluntatem Dei in rebus omnibus; & utrum eam invenire & sequi poßimus in voluntatibus Superiorum, æqualium vel inferiorum, quos videmus procedere ex suis inclinationibus naturalibus? & de quibusdam punctis notatu dignis, concernentibus Confessores, & Prædicatores.



Ciendum est quod Resolutio sequendi voluntatem Dei in rebus omnibus, sine exceptione, continea-

tur

tur in oratione Dominica his verbis, quæ quoti-
die efferimus : FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN
CŒLO, ITA ET IN TERRA. Voluntas Dei in cœlo
nullum habet reniſum : omnia ſiquidem ibi ſe ei
ſubijciunt & obtemperant; nos autem hic exi-
ſtentes in terris optamus, ut ſic nobis eveniat,
ſupplicesq́ue à domino poſcimus ſic fieri, quo
nunquam aliquem renixum inferamus, ſed ſem-
per & in omnibus occaſionibus divinæ ejus vo-
luntati ſubjecti & obedientes maneamus. At a-
nimæ, quæ ad hoc ſe reſolverunt, neceſſe habent
illuſtrari & doceri, in quo poſſint cognoſcere
hanc Dei voluntatem.

De hac illuſtratione & doctrina licet clariſſi-
mè locutus ſim libro de Amore Dei ; nihilomi-
nus non gravabor petitioni, quam mihi feciſtis,
adhuc aliqua dicendo ſatisfacere.

Voluntas Dei duobus modis poteſt intelligi &
accipi, eſt in Deo voluntas ſigni & beneplaciti :
voluntas ſigni, ſive ſignificata in quatuor partes
diſtinguitur : prima continetur in præceptis Dei
& Eccleſiæ : ſecunda in conſilijs : tertia in inſpi-
rationibus : quarta in Regulis & conſtitutioni-
bus. Præceptis Dei & Eccleſiæ omnes & ſinguli
debent obedire, quia eſt voluntas Dei abſoluta,
quæ vult in hoc nos eſſe obedientes, ſi ſalvi eſſe
velimus; vult etiam, ut ſua conſilia obſervemus,
non quidem voluntate abſolutâ; ſed ſolummodò

per modum desiderij. Et hinc est, quòd non perdamus charitatem, neque nos separemus à Deo, si tam excelso non simus animò, ut complectamur observationem consiliorum, quorum omnium praxim seu observationem complecti velle ne quidem debemus; sed tantummodò quæ conformia sunt nostræ vocationi. Sunt enim nonnulla sic inter se opposita, ut non possit praxis seu exercitium unius suscipi, quin tollatur medium exercendi alterum. Exempli causâ, consilium est de omnibus relinquendis, & nudum Christum in omnibus sequi; est & consilium de dando mutuo, & de eleemosyna facienda; dicito mihi, is, qui vna vice & actu relinquit omnia, quæ habuit & habere potuit, quid potest dare mutuum, aut de quo eleemosynam elargiri? Oportet igitur sequi ea consilia, quæ Deus vult nos sequi, & non credere omnia dedisse, vt omnia complectamur.

Porrò consilia, quæ Deus vult nos exercere, & complecti, sunt ea, quæ comprehensa sunt in nostris Regulis. Diximus insuper Deum nobis significasse suam voluntatem per inspirationes, & verum est: non ideò tamen vult nos esse Iudices quòd ea, quæ inspirata sunt, verè proficiscuntur ab ipsius voluntate; non vult etiam ullo modo, suas vt inspirationes perperam & sine judicio sequamur; neque etiam vt expectemus quate-

nus

nus ipſemet voluntates ſuas nobis manifeſtet, vel Angelos mittat, ut eas nos edoceant. Sed ejus eſt voluntas, ut in rebus dubijs & momenti alicujus recurramus ad eos, quos nobis conſtituit viæ duces, vultque eorum omnino ſtemus consilio & opinione in ijs, quæ reſpiciunt perfectionem animarum noſtrarum.

Ecce qualiter Deus nobis manifeſtet ſuas voluntates, quas nos vocamus voluntatem ſigni, ſive ſignificatam. Reſtat voluntas BENEPLACITI divini, quam reſpicere debemus in omnibus eventis, volo dicere, in omni eo, quod nobis evenit, in adverſa valetudine, in morte, in afflictione, in conſolatione, in rebus adverſis, & proſperis; breviter, in omnibus rebus, quæ à nobis non ſunt prævisæ. & huic Dei voluntati debemus nos ſemper promptè ſubmittere in omni occurrente occaſione: in rebus ingratis, æquè ac gratis, in morte ſicut in vita; tandem in omni eo, quod manifeſtè non eſt contra voluntatem Dei ſignificatam; hæc enim præcedit. Atque ita reſpondimus ſecundæ parti petitionis.

Quod ut melius intelligatis, referam id, quod hiſce præteritis diebus legi in vita Magni ſancti Anſelmi: ubi dicitur, quòd durante toto tempore ſui Prioratûs & Abbatiæ ſui Monaſterij, fuerit in omnium amoribus: eò quòd admodum fuerit facilis ad conformandum ſe voluntati al-

terius, finens ſe ad omnium voluntatem flecti, & non ſolùm Religioſorum, ſed etiam ſæcularium: ſi unus quiſpiam ei dicebat: mi Pater, Reverentia Veſtra deberet ſumere parum juſculi, ille accipiebat; ſi diceret alter, Pater, hoc tibi oberit; quantocyus ſumere omittebat. Atque ita ſe ſubmittebat in omni eo, in quo non offendebatur Deus, voluntati ſuorum fratrum, qui dubio procul ſequebantur propriam ſuam inclinationem; ſed quod & plus eſt, in particulari ſæcularium, qui ad libitum eum ducebant.

Porrò facilitas & obſequioſa conceſſio in alienam voluntatem huius ſancti, non probabatur ab omnibus, non obſtante quòd amaretur ab omnibus. Vnde die aliquo de fratribus ejus quipiam volentes ei oſtendere, id non bene fieri, juxta eorum judicium, dixerunt non debere eum eſſe tam facilem & pronum ad deſcendendum in cujusvis voluntatem; ſed flectere eos qui ſub ejus cura ſunt, juxta ſuam voluntatem.

O filioli mei! (dixit Magnus iſte ſanctus) neſcitis fortaſſe, quâ intentione id faciam. Scitote ergo me memoriâ voluere, & tenere quod Chriſtus Dominus mandârit, ut id quod vellemus nobis fieri, alijs faciamus: parcite, ſecùs non poſſum agere. Vellem enim Deum ſubinde facere meam voluntatem; ideoque libenter facio fratrum, & proximorum meorum, ut Deus
ali-

aliquando dignetur facere meam. Adde, me etiam considerare, quod post id quod spectat ad voluntatem Dei significatam, non possim meliùs nec securiùs cognoscere voluntatém ejus beneplaciti, quàm per vocem mei proximi: Deus enim mihi non loquitur, neque ad me mittit Angelos, qui declarent ejus beneplacitum. Lapides, animantes, plantæ non loquuntur; nequeo igitur per alium, quàm per hominem percipere claram Dei mei voluntatem: & ideò quantum possum isti me applico. Deus mandat mihi charitatem erga proximum; est autem magna charitas conservare omnes ad invicem in unione & conjunctione animorum: ad hoc meliorem non invenio modum, quàm si sim suavis & humilis erga omnes; suavis autem illa & humilis concessio in alienam voluntatem, debet semper & omnibus actionibus præcellere.

Verumenimverò caput meæ considerationis est, credere Deum mihi manifestare suas voluntates, per fratrum meorum voluntatem, ac proinde obedio Deo quotiescunque conformo me eis in re aliqua minimè mala. Præter hæc, nonné Christus dixit nos, nisi efficiamur sicut parvulus, non intraturos in regnum cœlorum?

Nolite igitur mirari, si sim suavis & facilis ad conjungendam meam voluntatem alterius voluntati adinstar alicujus infantis; siquidem in eo

nihil

nihil ago præter id, quod mihi præscriptum est per Salvatorem. Parum refert an cubem, an verò stem erectus, eam illuc, vel maneam hic; at obesset haud modicum si me non submitterem proximo. Videtis certè charæ Sorores, ut se submittat magnus Anselmus in omni eo quod non est contra mandata Dei, vel sanctæ Ecclesiæ, vel etiam contra regulas; horum enim observantia semper suum tenet primatum. Non puto eum, si requisitus fuisset ut aliquid contra hæc faceret, facturum fuisse. Sed quid dico puto? nullo modo fecisset; cæterùm regula ejus generalis erat, in rebus indifferentibus conformare se in omnibus omnino.

Gloriosus sanctus Apostolus Paulus, postquam dixerat, *quòd nihil se separare posset à charitate Dei*, in specie dicit sequentia: *neque mors, neque vita neque Angeli, neque Infernus*, esto insurgeret contra ipsum totus, *posset separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, nihil*, inquit, melius scio, quàm ut *omnibus omnia fiam*, rideam cum ridentibus, fleam cum flentibus, tandem sim vnus cum unoquoque. Sancto Pachomio facienti quodam die mattas, dixit puer quidam, eum contemplans: mi Pater, non hoc quo facis, sed quo tibi ostendam matta facienda est modo. Magnus hic sanctus, esto bene suas mattas conficeret, subitò tamen surrexit, & ponens se juxta puerú,

ejus modum addiſcere non duxit pudori. Adfuit illi unus è ſuis Religioſis, qui dixit illi : Pater mi, duo mala committis accommodando te voluntati iſtius pueri : eum enim exponis periculo habendę vanitatis, & tuas deſtruis mattas, quia meliores erant eo modo, quo eas conſtruebas. Cui bonus Pater reſpondit, mi frater, ſi contingat puerum habere vanitatem, fortè pro mercede adijcietur mihi humilitas : & ubi mihi adjecta fuerit, partem aliquam puero potero elargiri. Parum etiam intereſt hoc modo, an alio facere, ſic juncos traijcere, vel aliter. Verùm multùm intereſſet, ſi in promptu non haberemus tam celebrem vocem Salvatoris : *niſi efficiamini ſicut parvuli, non habebitis partem in regno Patris mei.*

O quàm magnum bonum eſt, Charæ Sorores, eſſe nos faciles & flectibiles omnem in partem! Porrò, non ſolùm ſancti praxim hanc ſubmittendi noſtram voluntatem docuerunt, ſed etiam ipſemet Dominus, tum exemplo, tum verbo præivit : verbo quidem; conſilium enim de abnegatione ſui ipſius quid aliud continet quàm renunciationem propriæ voluntatis, quacunque data occaſione, & judicij particularis, ad ſequendam voluntatem alterius, & ſe ſubmittendum omnibus, excepto ſemper eo, quo Deus offendi poſſet?

Sed dicet veſtrum aliqua : clarè video, quòd id,

id, quod jubeor facere, procedit ex voluntate humana, & inclinatione naturali: ideoq; Deus neque Matri meæ spirituali, neque sorori inspiravit, ut mihi rem talem imponerent. Respondeo, fieri potest, ut Deus harum nulli hoc inspirârit, sed tamen tibi vt faceres inspiravit, & dum tuo dees officio, agis contra determinationem faciendi Dei voluntatem in omnibus, & ex consequenti negligis curam, quam habere debes de tua perfectione. Oportet igitur se semper submittere ad faciendum quidquid statuitur de nobis, ad Dei voluntatem perficiendam, dummodò, quòd semper dictum volo in similibus, non sit contrarium ipsius Dei voluntati, quam nobis modo supra dicto significavit.

Porrò, ut dicam verbum unum de voluntate creaturarum; ea accipi à nobis potest tribus modis, 1. per modum afflictionis, 2. complacentiæ, 3. sine proposito, vel extra propositum. Quod ad 1. attinet, oportet esse fortem ad complectendum libenter istas voluntates, quæ admodum contrariæ sunt nostræ illi, quæ nollet ulla in re sibi contradici; interim tamen ordinariè multùm patiendum est in praxi, sequendo voluntates aliorum, quæ sunt utplurimùm toto cœlo differentes à nostra. Oportet igitur per modum tolerantiæ recipere executionem talium voluntatú, & uti contradictionibus quoti-
dianis

dianis ad nos mortificandos, eas acceptando cum amore & ſvavitate per modum complacentiæ. Et tunc opus non eſt exhortatione, ut eas ſequamur, quia perquam libenter obedimus in rebus quæ nobis gratæ ſunt,& complacent, quin imò voluntatibus hujuſmodi obviam currimus ad offerendam eis noſtram ſubmiſſionem. Non eſt hæc voluntas ex genere earum, de quibus quæritur an oporteat ijs ſe ſubmittere? nihil enim ea de re dubitatur; ſed de eis quæritur,quæ ſunt extra propoſitum,& quarum non cognoſcimus rationem, quare hoc petatur à nobis; Hic, hic eſt difficultas rei. Nam quare potius faciam voluntatem ſororis meæ, quàm meam? Nonné etiam mea tam conformis eſt divinæ in hac levi occaſione, quàm ipſius? Quare debeo credere id, quod vult me facere potius eſſe inſpirationem Dei,quàm voluntatem, quæ mihi incidit ad faciendam rem aliam?

O Deus! Charæ Sororés,hic, hic eſt ubi divina Majeſtas vult nos referre trophæa ſubmiſſionis: nam ſi clarè ſemper conſpicimus cauſam ejus,quod nobis mandatur,vel rei,quam facere rogamur, certè illam faciendo neque magnum meritum,neque magnam repugnantiam, neque contradictionem habebimus; quia dubio procul,toto corde acquieſceremus: verùm quando cauſæ latent, tunc voluntas imperium detrectat, & ju-

& judicium recalcitrat, & contradictionem non mediocrem sentimus.

Porrò, in his occasionibus oportet se generosè vincere, & simplicitate plus quàm infantili rem aggredi, sine discursu, sine notitiæ causa, & hæc apud se dicere: optimè scio Deum velle, ut proximi mei voluntatem potius faciam, quàm meam: ideoque applico me labori, & difficultatem rei faciendæ contemno, non respiciens an sit Dei voluntas, ut me submittam ad exequendum id, quod procedit ex passione & naturali inclinatione, an certè ab inspiratione vel motu alicujus rationis: oportet enim in istis minutulis rebus ambulare simpliciter.

Ad quod enim, amabò, propositum esset instituere unius horæ meditationem, ad cognoscendum an Dei sit voluntas ut bibam, quando rogor, vel pœnitentiæ, aut sobrietatis gratiâ, abstineam? Et sic de similibus minutulis rebus, quæ non merentur considerationem; præsertim autem si video futurum, ut gratificer aliquantulum proximo, id faciendo, quod à me petit? In rebus autem majoris momenti etiam non est perdendum tempus, multùm eas considerando: sed accedendi sunt Superiores, ut cognoscamus quid nobis faciendum sit, & post hæc, nihil ultra cogitemus, multò verò minus dubitemus, sed inhæreamus, & absolutè stemus eorum opinioni,

siqui-

ſiquidem eos nobis dedit Deus, ut animas noſtras deducant ad perfectionem ſui amoris.

Quod ſi oporteat ſe ſic conformare voluntati cujusque, quantò magis Superiorum, quos habere & reſpicere debemus inter nos tanquam ipſiusmet Dei perſonam; ſunt enim ejus Vicarij. Vnde, eſto cognoſceremus eos laborare inclinationibus naturalibus, quin & paſſionibus, à quibus moti mandarent ſubinde aliqua, vel reprehenderent errores ſuorum ſubditorum, nullo tamen modo oporteret mirari: ſunt enim homines vt alij, ac proinde ſubjecti ad habendas & ſequendas inclinationes & paſſiones. Verùm minimè nobis licitum eſt ferre judicium an id, quod mandant ex paſſione, aut inclinatione naturali proficiſcatur. Et certè res eſt omni ſtudio evitanda: nihilominus ſi noſceremus, imò & palparemus, id inde proficiſci, non oporteret ideò recedere ab obedientia, ſed eam ſvaviter & amabiliter præſtare, quin & ſubmittere ſe magna cum humilitate eorum correctioni.

Eſt equidem, non nego, res non parum dura amori proprio, omnibus in occaſionibus, quæ occurrunt, ſe ſubijcere, ſed ille amor non eſt talis, cui debeamus ſatisfacere, aut aures præbere; ſed ſolummodò ſanctiſſimo amori animarum noſtrarum Sponſi Iesv, qui à charis ſuis ſponſis poſcit ſanctam imitationem perfectæ obedien-

tiæ, quam exhibuit, non solùm justissimæ & optimæ sui Patris voluntati; sed etiam suis parentibus, & quod plus est, suis inimicis, qui sine dubio secuti sunt suas passiones in tormentis ei inferendis: & interim bonus IESVS non intermisit, svaviter, humiliter, quin & amorosè ijs se submittere, & hinc clarè satis videbimus, quòd vox Christi, quâ jubet nos accipere suam crucem, intelligi debeat de recipiendis toto cordis affectu contradictionibus, quæ nullis non occasionibus nobis eveniunt per sanctam obedientiam, quamvis eæ sint leves & exigui momenti.

Adfero vobis adhuc unum admirabile exemplum, ex quo comprehendere poteritis valorem, & pretium minutarum hujusmodi crucum, id est de obedientia, de voluntaria submissione ac de facilitate ad sequendam uniuscujusque voluntatem; sed in specie Superiorum. In quo Monasterio sancta Gertrudis facta est Religiosa, erat Superior, quæ probè nôrat Beatam hanc sanctam esse debilis & delicatæ complexionis; & ideò eam tractabat delicatiùs cæteris Religiosis, non sinens eam subire austeritates, quæ fieri consveverant in illa Religione. Quid putas ergo bonam hanc Puellam fecisse, ut fieret sancta? Aliud nihil, quàm se simpliciter submittere voluntati Venerabilis Matris: & quamvis fervor eam urgeret ad desiderandum ea facere, quæ

aliæ

aliæ faciebant, nunquam tamen quidquam dixit. Quando enim ei mandabatur, ut cubitum iret, ibat illa simpliciter, nihil adferens in oppositum: nec ignorabat, imò certa erat æquè bene se fruituram præsentia Christi sui Sponsi in lecto existentem, jubente obedientia, atque si fuisset in choro cum suis sororibus & sociabus. Et ad perhibendum testimonium magnæ pacis & tranquillitatis spiritûs, quam acquisivit in praxi ista, Dominus revelavit sanctæ Melthidæ ejus sociæ, dicens: si quis vult me invenire in vita hac, quærat me oportet, primò in sacratissimo altaris Sacramento, & deinde in corde sanctæ Gertrudis.

Nec id oportet mirari: quia sacer Sponsus in Canticis Canticorum, cap. 1. docet locum, *quo cubat esse in meridie.* Vbi nota, eum non quiescere in matutino, vel Vespertino tempore, sed in meridie; quia tunc nulla, vel perexigua est umbra. Cor autem hujus sanctæ Virginis verus erat meridies, in quo neque umbra scrupulorum, neque propria voluntas erat: ideoque ejus anima plenè fruebatur suo Dilecto, cujus deliciæ in illa erant. Tandem obedientia est sal, qui actionibus nostris omnibus tribuit gustum, & saporem, easq; efficit meritorias vitæ æternæ.

Animus est adhuc paucula quædam hodie dicere de confessione.

I. vellem magnum honorem & reverentiam deferri Confeſſarijs : nam (præterquam quòd multùm ſimus obligati ad honorandum ſacerdotium)eos non aliter reſpicere debemus,quàm Angelos,quos Deus nobis mittit,ut nos cum divina ſua bonitate reconcilient. Et non ſolùm hoc,ſed etiam habendi ſunt ut locum Dei in terra tenentis. Et ideò, licet humanitus aliquando ijs evenire poſſet,ut imperfectiones aliquas committerent: ut,exempli cauſâ,ſi examinarent aliquid curioſius,quàm ſacramentalis confeſſio poſceret ; verbi gratiâ ſi quæreret ſcire veſtra nomina,an pœnitentias faciatis, virtutes exerceatis, & quales eæ eſſent; an habeatis aliquas tentationes,& ſimilia: vellem reſpondere juxta id,quod interrogant,eſto nulla ſit ad hoc obligatio : non enim eis dicendum eſt, vobis non licere aliud dicere præter id,de quo vos accuſaſtis. O non! non certè unquam dandum eſt tale reſponſum : quia non eſt verum ; poteſtis enim dicere quidquid vultis in confeſſione, modo non loquamini aliud, quàm quod ad vos particulariter ſpectat, non autem quod concernit generatim veſtras Sorores. Quòd ſi vereamini dicere aliquid de eo, quod interrogant, timentes ne vos, neſcio quibus perplexis negotijs implicetis : ut eſſet dicere, vos habere tentationes : ſi timeatis dicere eo modo, quo

vel-

vellent ſcire minutim, reſpondere poteritis: habeo, mi Pater, ſed gratiâ Dei, non puto me offendiſſe divinam ejus bonitatem. Nunquam autem dicatis vobis prohibitum eſſe, ne hoc vel illud confiteamini. Bonâ proinde fide dicite veſtro Confeſſario quidquid angit veſtram conſcientiam, ſi vultis. Verùm, iteratò vobis dico, diligenter cavetote, ne loquamini de tertio, vel quarto.

II. habemus aliquam reciprocam obligationem cum Confeſſarijs in actu confeſſionis, ut ſecreto ſervemus, quod ab ijs nobis dictum eſt, niſi tamen eſſet bonæ ædificationis; extra hoc autem nihil dici debet. Si contingat vobis ab ijs dari aliquod conſilium contra veſtras regulas, & contra veſtrum modum vivendi, cum humilitate & reverentia eos audite, & poſtea quod veſtræ regulæ exigunt & permittunt, & non aliud, faciatis. Confeſſarij enim non ſemper vos obligant ſub peccato in eo, quod vobis dicunt. Vnde accipienda ſunt eorum conſilia per modum ſimplicis directionis: interim magni facitote, quidquid in confeſſione vobis dixerint: vix enim poteſtis imaginari, quantum boni in hoc ſacramento percipiant animæ, quæ ad illud accedunt debita cum humilitate, & accurata præparatione.

Si vobis dare velint pro pœnitentia quid-

piam, quod esset contra Regulam, rogare humiliter, velint eam pœnitentiam mutare in aliam; cùm enim id sit contra regulam, dicite vos timere, ne Sorores offendantur, si illam faciatis. Cæterùm, nunquam murmurandum est contra Confessarium. Si ejus culpâ vobis aliquid accideret in confessione, poteritis simpliciter, & humiliter dicere Superiori, cupere vos, si illi placeret, alicui alteri confiteri, nihil aliud addendo. Sic enim faciendo non detegetis imperfectionem Confessarij, & etiam habebitis commoditatem confitendi ad vestrum libitum. Sed hoc facilè & leviter, & sine sufficienti causa, fieri non debet. Evitanda sunt extrema, proinde uti non convenit, nec rationi est consonum tolerare culpas notabiles in confessione, ita nemo debet esse tam delicatus, vt nequeat aliquos parvulos errores sufferre.

III. perquam cuperem hujus loci Sorores magnam adhibere curam, vt in particulari, & singillatim; non autem in genere tantùm peccata sua in confessione enunciarent: volo dicere, quod quæ nihil notârunt, quod dignum sit absolutione, dicerent peccatum aliquod particulare: dicere enim, accuso me quod habuerim complures motus choleræ, tristitiæ, & sic de alijs, hoc non est ad propositum: cholera enim & tristitia sunt passiones, & eorum motus non sunt pec-

cata,

cata, siquidem non est in nostra potestate impedire, quò minus veniant. Cholera debet esse inordinata, & nos transferre ad actiones turbulentas, vt sit peccatum. Oportet igitur enucleatè & distinctè dicere rem aliquam, quæ sit peccatum.

Vellem insuper quàm maximam adhiberi curam, ut essemus veraces, simplices, & quàm maximè ad charitatem propensi in confessione, (verax & simplex una eademque res est) dicendo clarissimè nostra peccata & culpas, sine fuco, & sine artificio, assumendo seriam cogitationem, quòd tunc cum Deo loquamur, quem nihil omnino potest latere: propensæ autem eritis ad charitatem, si nullo modo immisceatis proximum in vestra confessione: exempli causâ, si confitendum sit, vos intra vos ipsas, vel cum Sororibus murmurasse contra Superiorem, eò quòd nimis siccè vobis locuta sit: cavete ne dicatis vos murmurasse contra correctionem nimis severam, quam vobis illa fecit: *sed solùm & simpliciter vos murmurasse contra Superiorem, dicendo tantummodò malum, quod vos patrâstis, & non causam mali patrati; Sed neq; id quod vos impulit ad peccandum, unquam, neq; directè, neq; indirectè, detegatis malum ab alijs commissum, accusate vestrum; neq; etiam præbeatis causam Confessario suspicandi, quis sit, qui dederit vobis occasionem peccandi.*


Ne adferatis etiam aliquas inutiles accusationes in confessione. Si habuistis cogitationes imperfectionis contra proximum, cogitationes vanas, quin & pejores; si habuistis insuper distractiones in vestris orationibus: si deliberatè eis inhæsistis & eas fovistis, dicite hoc ipsum bona fide, nec vobis sit satis dicere, quod non adhibueritis satis curæ & studij, ut vos collectæ essetis durante tempore orationis; verùm, si negligentes fuistis in reijciendo vnam aliquam distractionem hoc dicite, nam accusationes illæ generales nihil valent in confessione.

Cupio insuper, Charissimæ filiæ, ut in domo hac magnus honor deferatur ijs, qui vobis annunciant verbum Dei. Magna profectò est obligatio hoc faciendi: videntur enim esse Angeli cœlestes missi à Deo ad vos docendos viam salutis: & ut tales haberi debent, & non ut simplices nescio qui homunciones; nam licet non loquantur tam bene & tam disertè vt homines cœlestes, non oportet tamen quidquam detrahere de humilitate & reverentia, quæ sunt virtutes, quibuscum recipere debemus verbum Dei, quod semper idem est, tam purum, tam sanctum, quàm si dictum & annunciatum esset per Angelos.

Animadverto quòd, quando alicui scribo malâ chartâ, & consequenter malis characteribus, mihi tanta cum affectione gratias agit, quàm

quan-

quando ei scribo meliori papyro, & elegantioribus formis. Et quare hoc? nisi quia non attendit ad papyrũ (quæ non ita est bona) neq; ad characteres (qui mali sunt) at solummodò mei sibi scribentis habet respectum. Eodem modo agendum est cum ijs, qui nobis prædicant verbum Dei: non enim tam sunt illi respiciendi, qui nobis illud adferunt, vel declarant; quàm quòd ij sint, quibus Deus vtitur prædicatoribus ad nos illud edocendum. Et siquidem videmus eos apud Deum eo honoris loco esse, ut eis per os suum loquatur, quomodò poterimus nos in ijs non honorare ejus personam?



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XVI.

In qua agitur de aversionibus, de recipiendis libris, qui legendi ad usum nobis dantur à Superioribus; & quòd non oporteat mirari videndo imperfectiones in utriusq; sexûs Religiosis, & ne in Superioribus quidem.


Rima quæſtio, quid ſunt averſiones? Sunt certæ quædam inclinationes, quæ ſubinde ſunt naturales, quæ & in nobis creant faſtidium aliquod, dum primo intuitu, vel adventu eorum, adverſus quos eas habemus, impedit, quò minùs amemus eorum converſationem; intendo dicere, quòd nullam ex eis complacentiam capiamus; ut capimus in eorum, erga quos ſuavem habemus inclinationem, quæ facit ut eos amore ſenſibili amemus, quia intercedit conſenſio quædam & convenientia naturalis inter noſtrum, & illorum ingenium.

Porrò ad oſtendendum eſſe naturale, quòd aliqui ament aliquos per inclinationem, & non alios, experientia docet, quòd ſi duo quipiam homines intrent Sphæriſterium, verbi gratiâ, in quo duo alij ludant pilâ palmariâ, primo ingreſſu ij, qui advenerunt, habent aliquam inclinationem, ut ludentium unus lucretur potiùs, quàm alter. Et vnde venit hoc? ſiquidem nunquam ſe viderunt ad invicem, neque de ijs unquam audiverunt miſceri ſermones; multoquè minus ſciunt an unus magis ſit virtutum ſtudioſus, quàm alter. Vnde, cùm nulla ſuppetat ratio, ut magis afficiantur erga unum, quàm erga alterum, oportet fateri inclinationem illam inditam ad amandos potiùs hos, quàm alios, eſſe natura-

turalem. Quin & in beſtijs ipſis advertitur, quæ cùm non habeant rationem, habent tamen averſionem & inclinationem naturaliter ſibi inditam. Fac experientiam in quopiam agnello, qui modò projectus eſt à matre, oſtende illi pellem lupi (non obſtante quòd mortuus ſit) ſtatim incipit fugere, balare, & abſcondere ſe ſub matre; eidem oſtendito equum (qui eſt longè major & craſſior beſtia) nihil omnino timebit, ſed incipiet cum illo ludere: hujus rei ratio non eſt alia, niſi quòd innata ſit illi quædam naturalis conſenſio cum uno, & averſio cum altero.

Hæ autem naturales averſiones non magni ſunt faciendæ, ſicut nec inclinationes, dummodò eas omnes ſubijciamus rationi. Habeo, dices, averſionem converſandi cum uno quopiam, quem probè ſcio egregium eſſe cultorem virtutum, & poſſe me converſantem cum illo multùm progredi in via ſpirituali, quid conſilij? Reſpondeo hoc in caſu non oportere te tuam ſequi averſionem, quâ male induceris ad evitandum ejus congreſſum: ſed omnino debes ſubijcere iſtam inclinationem rationi, quâ inducaris ad expetendam & quærendam ejus converſationem, vel minimùm conſtituere & ponere te debes in ſpiritu pacis, & tranquillitatis, quando contingit te incidere in hujuſmodi homines. Sed ſunt nonnulli, qui ita timent habere averſionem

ab

ab ijs, quos aliàs per inclinationem amant, ut eorum fugiant conversationem, timentes ne intercurrat quispiam error, vel officij prætermissio, quæ svavitatem eorum affectionis & amicitiæ tollat.

Quid remedij contra has aversiones, siquidem nemo ab ijs eximitur, sit quantùm velit perfectus? Qui naturâ sunt asperiori, habebunt aversionem ab eis, qui erunt svaviori, & æstimabunt svavitatem illam esse mollitiem æquo majorem, licet qualitas svavitatis soleat universim esse in delicijs. Vnicum remedium huic malo (sicut omnibus alijs tentationum generibus) est simplex diversio; dicere volo, de ea re abijciendam esse omnem cogitationem. Sed, ô malum! in hoc erramus, quòd nimis exactè velimus cognoscere, an innitamur rationi, necné, habendo aversionem ab aliquo? O! nunquam oportet inhærere huic indagationi: alioquin proprius noster amor, qui nunquam non vigilat, nobis pillulam deglutiendam bellè undique inauratam porriget, & nobis persvadebit esse peroptimam, saluberrimamq; , volo dicere, quòd nobis ostendet verum esse nos habere certas rationes, quæ dubio procul bonæ nobis videbuntur, & deinde ubi erunt approbatæ à proprio nostro judicio, & ab amore similiter proprio, nullus ampliùs

erit modus impediendi,quò minus eas juſtas & rationi conſentaneas exiſtimemus.

Quare, vehementer cautè agendum eſt, ne falſis opinionibus decipiamur; diutiùs aliquantulùm me detinebo ea de re loquentem, quia res eſt magni momenti. Nunquam nobis adeſſe poteſt juſta cauſa habendi averſionem ab aliquo, multò minus eam nutriendi & fovendi. Dico igitur hujuſmodi ſimplices averſiones naturales,non multùm eſſe curandas,ſed ab ijs faciendam diverſionem & pertranſeundas, quaſi ijs nihil ſubeſſet; quo facto etiam judicium noſtrum decipiemus. Oppugnandæ quidem eæ ſunt & expugnandæ, quando animadvertitur, quòd improbitas indolis, vel innata nobis, vel contracta, vel etiam adſcita uſu & converſatione improborum,velit nos depellere à ſubmiſſione,quam debemus rectæ rationi; quæ ratio nunquam permiſſura eſt,ut in favorem averſionum, ſicut nec noſtrarum inclinationum (quæ malæ ſunt) aliquid faciamus,ne contingat,ijs favendo,Deum nos offendere. Verùm quando aliud non agimus in gratiam averſionum, quàm quòd loquamur nonnihil minus ad placitum hujus,quàm loqueremur ad alterius,erga quem multùm afficeremur,non eſt res magni momenti; adde quòd vix ſit in noſtra poteſtate aliter agere: Vnde nobis exiſtentibus in commotione

iſtius

istius passionis, injuria nobis fieret, si quid aliud exigeretur à nobis.

II. quæstio est, quid & qualiter agendum sit dum libri à Superioribus nobis legendi dantur. Ponamus à Superiore dari alicui è Sororibus librum, qui bene & exactè tractat de virtutibus; verùm quia illa, quæ accipit, librum non æstimat, consequenter non percipiet fructum ex ejus lectione; sed leget magno cum animi torpore. Et ratio est in promptu, quia jam scit exactè quid liber ille in se contineat, & optaret, sibi ut liceret alium legere. Negari non potest, imperfectio est velle eligere, quin vel desiderare alium præter eum, qui conceditur. Parum dico, quis non videt esse signum & indicium nos legere libros ad satisfaciendum potius nostræ curiositati, quàm ad melius progrediendum in via spirituali.

Si autem legimus ad capienda virtutum incrementa, & non ad nobis satisfaciendum, æquè lectio illius libri nobis satisfaciet, atque cujusvis alterius. Vt minimùm libenter & ex animo accipiemus omnes eos, quos nostra Superior dabit legendos: plus dico, asserens nos gaudium & voluptatem percepturos non legendo unquam nisi unum eundem librum, modò is sit bonus, & de Deo sanè loquatur; imò vel si solùm in eo sit Dei nomen scriptum, dico nos svaviter acquieturos.

turos. Quia ſemper ea lectio & relectio pluribus vicibus facta, ſatis nobis, quod agamus, ſuppeditabit. Velle legere ad ſatisfaciendum noſtræ curioſitati, nota eſt non exigua, nobis adhuc multùm deeſſe de ſpiritu ſolido, & non ſatis ſeriò nos occupare benefaciendo & exercendo praxim virtutum in hujuſmodi parvis libellis. Præclarè quidem loquuntur de humilitate & mortificatione, alijsq; virtutibus, ſed minimè tunc, ut oporteret, exercentur, quando animo minus grato & hilari accipiuntur. Dicere autem, quia non afficior erga iſtum librum, nihil inde fructûs decerpam: non eſt bona hæc conſequentia; ſicut & dicere, jam totum memoriâ teneo: non potero quidquam auxilij ſpiritualis cum legendo capere. Iſtud dicere, maxima eſt puerilitas. Datur tibi liber, quem totum memoria propemodum complexa es? Gratias agas Deo, quòd eò facilius ejus doctrinam comprehendes. Si verò tibi datur aliquis, quem jam ſæpius legendo percurriſti, te humilies, & certò ſcias eſſe Deum, qui ſic rem diſpoſuit, ut plus te occupes faciendo, quàm addiſcendo, & quod non didiciſti legendo hactenus prima lectione, ſecundâ, & tertiâ addiſcas, teque perficias. Verùm malum, unde hoc proficiſcitur, eſt quod ſemper quæramus propriam noſtram ſatisfactionem, & non majorem perfectionē noſtri ſtatus, in quo Deus nos poſuit.

Si fortaſſis Superior habens rationem ſpiritualis tuæ infirmitatis, det tibi electionem inter plures libros, ut quem velis eligas, tunc poteris magna cum ſimplicitate eligere: extra hoc autem oportet omni tempore te humiliter ſubmittere ejus ordinationi, ſive ea ſit ad tuum votum ſive non; nunquam autem oſtendere debes ullum doloris ſenſum, quem fors habere poſſes contrarium debitæ ſubmiſſioni.

III. Quæſtio eſt an admirari debeamus videndo imperfectiones inter nos, etiam in Superioribus? Quod ad primam quæſtionis partem attinet, dubio procul minimè debes admirari videndo aliquas in hac domo, ſicut nec in alijs Religioſorum & Religioſarum domicilijs, quantumvis magnos progreſſus fecerint in perfectione: nunquam enim eò perfectionis devenies, quin aſſiduè hinc inde aliquas committas juxta id, in quo exerceris. Non eſt res momenti alicujus videre puellam Religioſam (cui, quod eam moleſtare poſſet, nihil exhibetur, vel quia exercitium, in quo verſatur, eſt valde ſvave) nullos vel admodum paucos committere errores. Quando audio à dicentibus, *ecce Soror quæ nullam committit imperfectionem*, ſtatim quæro, habetné illa aliquid adminiſtrandum, ſi mihi reſpondetur negativè, non magni facio ejus perfectionem. Magnum enim eſt diſcrimen inter hujus

virtu-

virtutem,& alterius,quæ sive interius per tentationes; sive exterius egregiè exercetur per contradictiones. Nam virtus fortitudinis, & fortitudo virtutis nunquam acquiruntur tempore pacis,neque quiescentibus tentationibus virtuti oppositis. Eæ Sorores,quæ sunt admodum svaves,quietæ, quamdiu non habent contradictionem, & quæ has virtutes non acquisierint gladium manu tenentes,sunt quidem alijs verè bono exemplo,& ædificationi; verùm si ad probam veneris, continuò videbis eas turbas ciere, & ostendere suam svavitatem non fuisse fortem & solidam, sed imaginariam potiùs, quàm veram.

Magna est differentia habere cessationem à vitio,& virtutem vitio contrariam. Multi videntur esse virtutibus exornati,qui tamen nullam habent, quia labore & difficultate non acquisiverunt. Accidit sæpissimè,ut nostræ passiones dormiant, sintq; velut sopitæ, & si tempore illo non provideamus nobis vires ad pugnandum,& ijs resistendum, quando evigilabunt, statim earum armis succumbemus. Oportet semper esse humiles,& non credere nos præditos virtutibus, esto non committamus (quantùm quidem scire possumus) imperfectiones & peccata, quæ virtutibus sint contraria. Plurimi profectò sunt, qui vehementer se ipsos decipiunt,dum credunt

homines,qui profitentur perfectionem,non debere cæspitare & cadere in vllas imperfectiones, & inprimis Religiosos. Eorum error inde suam habet originem, quòd putent eos,qui intrant Religionem, statim esse perfectos; sed longè aliter res se habet: Religiones enim non sunt ad congregandos homines perfectos, sed eos, qui magno & excelso sunt animo ad perfectionem acquirendam. Amabò,quid faciendum esset, si æquè in Superioribus,ac in subditis videretur imperfectio? nonné res esset plurimùm admiranda? nam,ut vos dicitis,non præficiuntur Superiores imperfecti?

Eheu! charæ filiæ,si non præficerentur Superiores,nisi qui essent perfecti, petendum esset à Deo,ut nobis mitteret Sanctos, vel Angelos,qui essent Superiores: nam homines sine ullis imperfectionibus non est invenire. Quæruntur quidem tales,qui bono sint exemplo,sed ut non habeant aliquas imperfectiones, hoc non quæritur, dummodò habeant conditiones necessarias ad bene gubernandum juxta Religionis spiritum: quia licet inveniri possint perfectiores, non tamen æquè idonei ad gubernandum.

Amabò, dicitote mihi, nonné ipse Salvator noster ostendit non esse habendam hujus rei rationem, in electione sancti Petri, quem deinde constituit omnium Apostolorum Superiorem?

Qui-

Quilibet enim ſcit errorem & lapſum, quem commiſit hic Apoſtolus in morte & paſſione ſui Magiſtri, loquendo cum una ancilla, & infeliciter negando chariſſimum ſuum Dominum, qui tam multa ei fecerat bona: nonné & dum caperetur Dominus, plus æquo ſe animoſum oſtendit, & poſtea turpiter fugit? ſed & præter hoc, poſtquam confirmatus fuit in gratia, recepto Spiritu ſancto, adeò impegit, ut D. Paulus ſcribens ad Galatas, dicat *in faciem ſe ei reſtitiſſe, quia*, inquit, *erat reprehenſibilis?*

Non ſolùm autem ſanctus Petrus, ſed etiam ſanctus Paulus, & ſanctus Barnabas, qui ituri ſimul ad prædicandum Evangelium, habuerunt diſſentiunculam; eò quòd ſanctus Barnabas volebat ſecum ducere Ioannem Marcum, ſuum conſobrinum; Sanctus autem Paulus contrariæ erat opinionis, & nolebat, ut unà ſecum cum ſancto Barnaba iret ſanctus Marcus; at ſanctus Barnabas nolens cedere ſancto Paulo, *diſceſſerunt ab invicem*; utraque autem pars perrexit ad prædicandum Evangelium: & Barnabas quidem, *aſſumpto Marco, navigavit Cyprum*; Paulus autem, electo Sylla, *profectus eſt in Syriam*: Dominus verò ex iſta diſſenſione magnum bonum elicuit; nam cùm in uno tantùm loco ſimul exiſtentes, prædicaſſent Evangelium, pluribus in regionibus ejuſdem Evangelij ſemen feliciter jecerunt.

Ne cogitemus, dum hac in vita ſumus, nos vivere poſſe ſine imperfectionibus, quia id fieri non poteſt, ſive ſimus ſuperiores, ſive inferiores; omnes ſiquidem ſumus homines, & ex conſequenti omnes credere debemus nos certiſſimè egere hac veritate, vt omnes nos ſubjectos & obnoxios imperfectionibus fateamur. Chriſtus Dominus mandavit, ut quotidie verba hæc, quæ ſunt in oratione Dominica, dicamus: *& dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nulla omnino exceptio eſt in hoc mandato, quia omnes neceſſe habemus hoc facere: non eſt proinde bona conſequentia ſi dicas: talis eſt Superior, ergo non eſt cholericus, neque aliam habet imperfectionem. Vos miramini, quòd venientibus aliquando vobis ad Superiorem, aliqua det verba minus ſolito ſvavia, eò quòd fortaſſis etiam habeat caput majoribus ſolitò curis & negotijs oppletum. Hinc fit, ut ſeductæ amore proprio inde abeatis turbatæ, cùm potiùs cogitare deberetis, Deum permiſiſſe parvam iſtam ſiccitatem Superiori ad proprium veſtrum amorem mortificandum, quia ſcilicet ab ea ſvaviorem & amabiliorem receptionem exſpectabatis, quàm habueritis. Quid multis? dolemus nos incidiſſe ibi in mortificationem, ubi minimè expectabamus. Hem! quid ergo faciendum? diſcedendum eſt ab ea, rogando Deum pro illa,

eiqué gratias agendo pro ſalutari, & amicabili mortificatione. Vno verbo, charæ filiæ, in memoriam vobis revocetis verba ſancti Pauli Apoſtoli: *Charitas*, inquit, *non cogitat malum*; vult dicere, quòd vbi illa advertit, à malo ſe avertit, non cogitando, neque occupando ſe ad illud conſiderandum.

Vos inſuper ex me quæritis aliquid, quod ad hoc punctum videtur ſpectare, an ſcilicet Superior vel directrix non debeat aliquid repugnantiæ præ ſe ferre, quòd Sorores videant earum lapſus, & imperfectiones; & quid illæ debeant dicere, quando aliqua è Sororibus venit ad alteram earum ſimpliciter ſe accuſatum de aliquo judicio vel cogitatione à ſe admiſſa, quâ illam directè vel indirectè imperfectionis videri poſſet arguere, quòd paſſione occupata aliquam è Sororibus caſtigaſſet. Dico ego eam hac in occaſione debere ſe humiliare & recurrere ad amorem propriæ abjectionis; verùm ſi Soror aliquantulum eſſet turbata hæc referendo, nullum deberet Superior foris ſignum edere, ſed avertere propoſitum, & nihilominus in ſuo corde abjectionem condere. Cavendum enim eſt, ne proprius noſter amor nos excœcet, præbeatque occaſionem nos ipſos perdendi, dum is nos eſſe perfectos perſvadere conatur, quò eveniat ut omittamus nos humiliare. Vbi notandum, quòd

quamvis resecetur exterior actus humilitatis ex timore, ne rubore suffundatur bona soror, quæ jam satis superq; suffusa est; omittendus tamen non est actus interior. Quòd si è contra soror se accusando nihil haberet turbationis, mihi perplaceret, ut Superior liberè ingenueq; fateretur verbo, vel signo se errasse, si tamen verum est. nam si judicium sit falsum, expedit vt id ipsum dicat cum humilitate, retinendo tamen semper pretiosè abjectionem, quæ in mentem posset redire ob latum de se judicium, quasi lapsa fuerit in aliquam imperfectionem.

Videtisné vos, quòd parva ista virtus amoris nostræ abjectionis nunquam debeat abesse à corde nostro, ne uno quidem passu? quia eâ singulis horis, imò & momentis egemus, fecerimus quantoscunq; velimus in perfectione progressus; quia passiones nostræ redeunt, ac velut renascuntur. Et hoc quidem subinde postquam longo tempore in Religione viximus, & magnis passibus in via perfectionis perreximus: uti evenit Religioso sub disciplina sancti Pachomij, nomine Sylvano: qui cùm adhuc versaretur in mundo, Comœdum agebat, cùm autem esset conversus, Religionem inijt, & probationis annum feliciter transegit; quin & postea plures alios singulari cum mortificatione & exemplo, non exercens unquam actum aliquem (qui quidem

dem in notitiam venerit) prioris profeſſionis mundanæ. Vigeſimo poſtea anno in Religione tranſacto exiſtimavit poſſe ſe aliqua ludicra, ſeu ineptias aliquas ſub prætextu recreandi fratres exercere, putans ſuas paſſiones adeò jam mortificatas eſſe, ut virium defectu nequirent ultra ſimplicem recreationem progredi: ſed miſer homo fuit egregiè deceptus, ſiquidem joci & lætitiæ paſſio ita exſuſcitata eſt, ut poſt dictas ineptias inciderit in diſſolutiones, & quidem adeò notabiles, ut cogitârint Religioſi alij, eum exturbare è Monaſterio, quod & factum fuiſſet, niſi Religioſorum unus fidejuſſorem ſe pro illo ſtitiſſet, pollicens futurum ut ille ſe emendaret; quod & fecit ita accuratè, ut reliquo vitæ tempore magnus Sanctus haberetur.

En charæ Sorores, quomodo nunquam oblivioni tradere debeamus quid fuerimus (quod fieret ſi nobis imaginaremur nos eſſe perfectas) ne fiamus pejores quàm hactenus fuerimus. Non debemus etiam vnquam putare nos perfectionis ſcopum attigiſſe, quando non niſi paucas committimus imperfectiones. Cavendum etiam eſt accuratè, ne miremur nos habere paſſiones, quia nunquam dum vivemus ab eis liberæ erimus. Eremitæ, qui olim huic veritati voluerunt contradicere, cenſuram ſacri Concilij experti ſunt, dum eorum opinio condemnata eſt ut erronea.

Committemus igitur ſemper aliquas imperfectiones & lapſus; ſed res ita eſt inſtituenda, ut quàm rariſſimè poteſt, id fiat, fiet autem rariſſimè, ſi non niſi intra quinquaginta annos binis ſolum vicibus tibi contingat: ſicut & non niſi binis item vicibus errores notati ſunt inter Apoſtolos toto tempore, quo vixerunt poſt receptum ſpiritum ſanctum: etſi excreſcerent in tertium vel quartum numerum, imò & ſeptimum vel octavum intra ſeriem tot annorum, non oportet magnopere mirari, neque animo cadere; ſed reſumere ſpiritum, & fortitudinis incrementum adijcere. Dicamus adhuc unum verbum in gratiam Superioris. Sorores non debent mirari quòd Superior aliquando labatur, ſiquidem ſanctus Petrus, non obſtante quòd erat abſolutus Paſtor ſanctæ Eccleſiæ, & vniverſalis omnium Chriſtianorum Pater & Magiſter, etiam lapſus eſt, & quidem ſic, ut ſancti Pauli calculo eſſet reprehenſibilis. Eodem modo Superior non debet animum demittere, multò minus ſe turbare, ſi contingat ejus imperfectiones in notitiam Sororum devenire, ſed ſervare debet duas virtutes humilitatem ſcilicet & ſvavitatem: quibus munitus ſanctus Petrus acceptavit correctionem à ſancto Paulo, eſto ipſius Pauli fuerit Superior.

Quænam majori digna ſit conſideratione

Pau-

Pauliné eximia fortitudo in reprehendendo ſanctum Petrum, an verò humilitas Petri, quâ ſeſe ſubmiſit correctioni ſibi factæ, & quidem in re, in qua putabat ſe benefacere, & optimam habebat intentionem, non facilè quis dixerit.

Sed plus ultrà pergamus, petitis IV. loco ſi aliquando eveniret Superiorem adeò propenſam eſſe ad placendum hominibus ſæcularibus, ſub prætextu ijs commodandi, & bonum eorum animæ promovendi, ut negligeret curam particularem, quæ ei incumbit ex officio, quo fungitur; vel certè non haberet ſufficiens tempus pro negotijs domeſticis bene & laudabiliter adminiſtrandis, eò quòd juſto diutius ſe detineret ad EXEDRAM COLLOCUTIONIS, ſeu ad veſtibulum ſermonis, an non tenetur nimiam commorationem reſecare, eſto ejus intentio eſſet quàm optima? Reſpondeo, Superiores debere eſſe magnopere affabiles erga ſæculares, ut eos promoveant in bono; proinde debent ex animo ijs tribuere unam ſui temporis partem: ſed qualem & quantam putatis eſſe debere partem illam? Duodecimam, ut remaneant illis undecim, quas domi impendant profectui familiæ ſibi commiſſæ.

Apes egredinntur quidem è ſuis alveis, ſed non niſi ob neceſſitatem vel utilitatem, & ad eos pauſò poſt redeunt; præcipuè autem earum Rex valde raro egreditur, ſicuti quando juniorum

 apum

apum grex alveo excedit, seu examen, tunc enim is totus quantus circundatur ab exiguo illo populo.

Religio est instar alvearis mystici plena undique apibus cœlestibus, quæ congregatæ sunt ad faciendum mel virtutum cœlestium: & ideò oportet Superiorem, quæ est inter illas, vt earum Rex, admodum esse solicitam, ut & sint in promptu, & edoceantur ab ea modum, quo augeri & conservari possint. Non idcirco tamen ita debet esse abstracta, quin conversetur suo loco & tempore cum sæcularibus, exigente necessitate, & charitate; sed extra illa oportet Superiorem paucis agere cum sæcularibus. Dico extra necessitatem & charitatem, quia nonnuli sunt, quorum magna est habenda ratio, quia nullo modo offendendi sunt. Verùm neque Religiosi, neque Religiosæ debent unquam se occupare cum sæcularibus prætextu acquirendi suæ Religioni amicos. Et, si quod sentio, dicere audeo, non est operæ pretium id facere: nam si se contineant intra sua claustra ij, & eæ (quorum, quarumq; talis est vocatio) ad bene administranda ea, quæ eorum curæ commissa sunt, non est quod timeant, ne Deus desit in procurandis patronis & amicis, qui necessarij sunt eorum Congregationi. Verùm si ægrè ferat Superior interturbari mutuam Collocutionem, quando datur signum ad offi-

officia adeunda, ob timorem, ne offendat eos, quibuscum est collocutio, sciat illa se non oportere esse ita timacem & delicatam, ut (nisi tamen ij, quibuscum loquitur sint homines illustres, vel quorum magna habenda est ratio, vel qui nonnisi rarissimè venire soleant, vel denique qui de longe advenerint) officia sint omittenda, multoq; minus oratio, nisi charitas omni exceptione major id postulet.

Quod ad Visitationes ordinarias eorum, à quibus liberè se quis potest abstrahere & eximere, Ianitrix debet dicere, nostra veneranda Mater, vel Sorores sunt in oratione, vel in officio, si placeat expectare, vel postea reverti, se eas libenter evocaturam. Verùm si contingat propter magnas necessitates, ut eundum sit ad locum colloquij etiam illo tempore, minimùm postea detur opera, ut neglecta resarciantur quantum tempus & occasio permittent: nam quod ad officium attinet, nulla dubitat, quin obligata sit ad illud recitandum.

Porrò quod attinet ad ultimam quæstionem, quæ est, an non semper aliqua peculiaris ratio major sit habenda Superioris, quàm cujusque Sororis tam in vestitu, quàm in victu? Respondeo uno verbo, & dico id nullo modo fieri debere, nisi adsit necessitas, quæ similis esse debet necessitati uniuscujusque Sororis. Quod dico

de

de victu & veſtitu, idem dicendum eſt de ſella, quàm ſingularem habere non debet, niſi in choro & in capitulo: & in hanc ſellam Aſſiſtens nunquam debet ſe collocare, quamvis in omni alia re ei deferendus ſit reſpectus, qui defertur ipſi Superiori (intellige Superiore abſente) in ipſo etiam refectorio ſingularem non debet habere, ſed ſolummodò uti ſede familiari aliarum ſimili. Quamvis ſemper & ubique honorari debeat, ut perſona ſingularis, & cui magnus debeatur reſpectus, tamen ſingularis eſſe non debet in ulla re, quantùm fieri poterit: excipitur verò ſemper neceſſitas, & extrema ſenectus & quævis infirmitas: tunc enim permittitur inter alia, ut pro ſuo ſolatio commoda & peculiari ſede utatur. Evitanda ſunt diligentiſsimè ea omnia, quæ cauſam dare poſſent, ut nos velut longè eminétiores magisq́; ſpectabiles ſuper alios extollerem⁹.

Superior debet cognoſci & notari per virtutes, & non per ſingularitates minimè neceſſarias; in ſpecie autem inter nos, quæ Congregationi VISITATIONIS nomen dedimus, & nunc in ea particularem & magnam ſimplicitatem, humilitatemq́ue profitemur. Honores valent & conveniunt domicilijs aliarum Religioſarum, ubi ex Inſtituto ſuperior vocatur Venerabilis Domina; at nos id ex noſtro inſtituto, quantum in nobis eſt, nullo modo admittimus.


Quid

Quid amplius est dicendum, faciendumúe ad conservandum spiritum VISITATIONIS, & impediendum, ne unquam dissipetur? Vnicus modus est ut spiritus ille clathris arctissimæ observationis omnium Regularum clausus detineatur. At dicitis esse aliquas admodum studiosas, quin & adeò zelotypas hujus spiritus, ut nollent, si per illas staret, comunicare extra suum domicilium. Respondeo inesse zelo isti superfluitatem, quæ omnino radicitus evelli debet. Ad quod enim obsecro propositum, esset velle abscondere à proximo id, quod illi potest prodesse? Non sum ego istius opinionis, quin imò percupio VISITATIONEM notam perspectamque esse omnibus: & ideò semper judicavi expedire, ut regulæ & constitutiones typo mandarentur: ut quicunque eas legerent, vel legi audirent, utilitatem aliquam ex ijs perciperent.

Vtínam charæ Sorores, quàm plurimi homines utriusque sexûs invenirentur, qui eas vellent exercere: citò viderentur mutationes in illis, sive intra, sive extra VISITATIONIS domicilia habitarent, quæ in magnam DEI gloriam, & bonum animarum cederent. Estote magnopere solicitæ in conservando spiritu VISITATIONIS; sed non solicitudine & curâ, quæ impediat, quò minus is spiritus magna cum charitate & simplicitate proximis communicetur, unicuique autem juxta

suam

ſuam capacitatem : timor, ne is diſſipetur per hanc communicationem, procul è veſtris finibus propellatur : charitas enim nil unquam deſtruit, ſed omnia perficit.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XVII.

In qua quæritur, quo modo, & quo motivo dandum ſit ſuffragium puellis Novitÿs, quæ admittendæ ſunt ad profeſſionem, & illis, quæ recipiuntur ad Novitiatum?



Væ requiruntur res, ut detur ſuffragium conveniens dictis Puellis.

I. eſt ut ſint vocatæ à DEO. II. ut habeant conditiones requiſitas & convenientes noſtro vivendi modo. Quantum ad primum punctum attinet, oportet ut puella illa, quæ petit recipi in noſtram Religionem, rectè ſit vocata à DEO : ſciendum autem eſt,. dum loquor de vocatione iſta, non me loqui de vocatione generali,

rali,

rali, quâ Dominus vocat omnes ad Christianismum, neq; de illa, de qua sermo est in Evangelio: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Devs enim, qui cupit omnibus dare vitam æternam, dat omnibus modos, quibus ad illam perveniri potest, & ideò vocat eos ad Christianismum; eosque eligit ut respondeant, & consentiant vocationi, sequentes divinam attractionem. Nihilominus numerus eorum, qui ad illam pertingunt, admodum est parvus, comparatione omnium, qui vocati sunt.

At loquendo magis particulariter de vocatione Religiosa, dico benè multos à Deo vocatos ad Religionem, sed paucos esse, qui vocationem illam foveant, & conservent ut deberent. Incipiunt quidem, sed infideliter respondent gratiæ, dum non perseverant in assidua praxi earum rerum, quæ possunt eorum vocationem conservare, & bonam ac securam reddere. Sunt & alij, qui rectè non sunt vocati, nihilominus postquam venerunt, eorum vocatio rata & approbata est à Deo. Sic videmus nonnullos venire præ stomacho, mœstitia ac tædio ad Religionem. Et licet hujusmodi vocationes non videantur bonę, nihilominus visi nonnulli sunt sic constituti venire, qui Deo probè serviverunt.

Sunt & alij, qui incitati sunt ad intrandam Religionem ob infortunia, quæ in mundo existentibus

bus

bus ijs acciderunt. Adde ultimo alios, qui defectu ſanitatis, vel corporalis pulchritudinis ad eandem ſe contulerunt. Et quamvis hi habeant motiva, quæ ex ſe bona non ſunt, tamen Deus ijs utitur ad eos vocandos. Tandem *via Domini ſunt incomprehenſibiles, & judicia inſcrutabilia* ſimulq; admiranda in varietate tot vocationum, & mediorũ, quæ adhibet Deus ad ſuas creaturas vocandas ad ſibi ſerviendum: quæ omnes vocationes in pretio, honore, & reverentia haberi debent.

Porrò ex hac tanta varietate vocationum, ſequitur eſſe perdifficile cognoſcere veras vocationes, & tamen ea res prima eſt, quæ requiritur ad ferendum ſuffragium; ad ſciendum ſcilicet an puella propoſita pro Religione bene ſit vocata, & conſequenter an vocatio ſit bona. Quomodo ergo inter tantam varietatem vocationum, & tot differentia, & etiam diverſa motiva diſcerni, & cognoſci poterit bona vocatio à mala, ut deceptio non interveniat?

Negari non debet, hæc res maximi eſt momenti, & multùm habet difficultatis, nihilominus non tantam habet, ut ſimus omnino deſtituti medijs ad cognoſcendam bonitatem vocationis. Inter multas autem, quas poſſem adferre unicâ velut omnium optimâ, ero contentus. *Bona igitur vocatio aliud non eſt, quàm firma & conſtans voluntas, quam adfert is, qui ita vocatus eſt, ut velit ſervire*

vire

vire Deo eo modo, & loco, quo, & ad quem divina Maiestas illum vocat. Et hæc est nota optima, quæ haberi potest, ad cognoscendam vocationem aliquam esse bonam. Sed velim advertatis quòd quandò dico voluntatem firmam & constantem serviendi DEO, me non dicere quòd statim in principio faciat id omne, quod faciendum est in ea vocatione, cum ea firmitate & constantia ita magna, ut persona, quæ vocata est, exempta sit & libera ab omni repugnantia, omni difficultate vel fastidio, & his similibus circumstantijs, quæ statum Religiosum concomitantur; non, inquam, hæc affirmo, multò autem minus, firmitatem illam & constantiam debere esse talem, quæ eam vendicet ab imperfectionibus & lapsibus, neque proinde esse ita firmam, quin aliquando vacillare, & mutari possit in cœpto, quod fecit de exercendis medijs, quæ eam deducere possunt ad perfectionem. Non profectò: non est id, quod intendo dicere, omnis siquidem homo hujusmodi passioni, mutationi, & vicissitudini est subjectus; is hodie talem rem amabit, qui cras alteram diliget. dies unus nunquam est similis alteri.

Non igitur ex diversis hisce motibus & sensibilibus signis ferendum est judicium de firmitate & constantia voluntatis ad bonum, quod semel quis amplexus est, sed bene tunc, si inter istas

varietates motuum voluntas firma permaneat, nolens deserere bonum, quod semel elegit: esto sentiat tædium & remissionem in amore alicujus virtutis, nec cesset uti medijs, quæ sunt ei proposita & signata ad eam acquirendam: atque ita ut habeatur nota bonæ & solidæ vocationis, non requiritur constantia seu firmitas sensibilis, sed bene, vt sit in superiori mentis parte, & quidem non otiosa, sed operans. Vt ergo sciatur, an velit Deus hunc esse Religiosum, expectandum non est, ut sensibiliter nobis loquatur, vel quempiam Angelum è cœlo mittat, suam ut voluntatem nobis significet; longè autem minus opus est habere revelationes circa istam rem. Non item opus est examine decem vel duodecim Doctorum, ad dispiciendum an inspiratio sit bona, vel mala, an sequenda, vel deserenda: sed oportet respondere gratiæ, & excolere primum illum motum, nec post hoc se affligere, si advenerint fastidia & refrigerationes circa hoc. Nam si conatus semper adhibeatur ad retinendam voluntatem firmam, ad requirendum bonum, quod nobis monstratum est, Deus efficiet, ut quidquid hoc in genere agetur, cedat in suam gloriam.

Et dum hoc dico, non loquor solummodò pro vobis; sed etiam pro Virginibus alijs, quæ adhuc remanent in mundo, pro quibus, conformiter regulæ charitatis, etiam adhibenda est

cura,

cura, juvando eas vt ad designatum scopum pertingant. Quando experiuntur primos motus aliquantulùm cæteris fortiores, nihil est illis difficile, videntur sibi posse superare omnes difficultates; quin & sibi desuper impressâ virtute, MUROS TRANSGREDI; verùm dum adsunt vicissitudines, & amplius motus illos sensibiles in parte inferiori non percipiunt, ita fiunt pusillanimes, ac si omnia perijssent, omniaq; relinquenda essent. Quid multis? volunt & nolunt, quod tunc sentitur non sufficit, ut mundus deseratur. Vellem, inquit una è dictis Virginibus, sed nescio an sit Dei voluntas, ut fiam Religiosa, eò quòd inspiratio, quam hac horâ experior, non sit (ut mihi quidem videtur) ad talem actum attentandum sat fortis. Verissimum tamen est, me habuisse longè fortiorem aliquando sensum, quàm nunc habeam; sed cùm brevissimæ fuerit durationis, inducor ad credendum illam inspirationem non fuisse bonam. Respondeo, quando tales deprehendo animas, non miror talia earum fastidia & spiritûs refrigerationes, multò autem minus credo earum vocationem non esse bonam: adhibenda solummodò est magna cura & solicitudo ad eas juvandas atque edocendas, ne velint mirari hujusmodi mutationes, sed se ipsas animare ad perseverandum inter hujusmodi mutationes, experturas aliquando nihil fuisse

nisi aranearum telas. Dicitote enim mihi,nonné sensistis motum illum & inspirationem in cordibus vestris,incitantem vos ad magnum bonum? Ita,inquiunt illæ,verum est; sed simulatq; se adesse ostendit, transivit : ita quidem, dico illis, quantum ad vim motivi sensibilis ; non autem eo modo transivit, quin aliquid affectionis in vobis reliquerit : ò non, inquit una,quia sentio semper in me nescio quid, quod ad illam partem me facit tendere : at, quod me solicitam habet, est quòd tam fortem & efficacem non sentiam motum,qui necessarius mihi videtur ad talem resolutionem.

Ego illis respondeo, ne se affligant ob motiva illa sensibilia, moneoque ne tantopere ea examinent, sed contentæ sint constantiâ suæ voluntatis, quæ inter omnia ista non amittit affectionem primæ earum designationis ; sint tantummodò solicitæ,ut illam diligenter excolant, & accuratè respondeant primo illi motui. Ne, inquam,adeò sint anxiæ,unde motus ille veniat; Deus enim complura habet media vocandi suos servos & servas ad suum servitium.

Aliquando utitur alicujus servi sui pia prædicatione,aliàs lectione piorum librorum. Aliqui vocati sunt ex auditione verborum sacri Evangelij ; sicut sancti, Franciscus & Antonius, qui vocati sunt auditu horum verborum : *Vade,*

vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, &, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Alij item vocati ſunt occaſione faſtidiorum, infortuniorum, & afflictionum, quæ eis in mundo acciderunt, quibus factum eſt, ut ei indignati penitus ſuis cum pompis eum reliquerint.

Dominus noſter ſæpe uſus eſt tali medio ad vocandos complures ad ſuum ſervitium, qui alioquin non veniſſent. Nam, quamvis Deus ſit omnipotens, & facere poſſit quod vult, tamen non vult nobis tollere libertatem, quam ſemel nobis elargitus eſt; & quando nos vocat ad ſuum ſervitium, vult vt veniamus non contra, ſed juxta noſtrum beneplacitum, non autem vi & coactione. Nam quamvis hi veniant ad Deum irati contra mundum, qui illos malè affecit, vel occaſione & cauſâ aliquarum moleſtiarum, & afflictionum, quibus excruciati ſunt, non ideò tamen intermittunt ſe Deo libera voluntate tradere: quin & tales crebrò ita ſe gerunt in Dei ſervitio, & eò ſanctitatis deveniunt, ut nonnunquam eos, qui intrârunt per vocationes, quoad ſpeciem, longè excellentiores, ſuperent.

Legeritis dubio procul quod refert Hieronymus Platus Societatis IESV ſacerdos de egregio quopiam Nobili ſecundum mundum; is die quodam veſtibus pretioſis indutus, cincinnatus,

plumisq; criſpatus, dum equo generoſo inſidens ſe ad Nobilium puellarum gratiam juſto ſtudioſius aucupandam oſtentat; ecce unà cum equo cadit in terram in medio luti, ex quo cœno cùm totus quantus fœdatus magno labore exiſſet, adeò rubore confuſus fuit, ut ex hoc caſu incenſus cholerâ, eo ipſo inſtanti decreverit fieri Religioſus, dicens, ò munde infidiſſime proditor! tu quidem mihi illuſiſti, ſed & ego tibi illudam. Hic & nunc eo quidem modo me tuum feciſti luſum, ſed alio te etiam meum luſum faciam. nam ex hoc inſtanti tuæ amicitiæ nuncium remitto, & decerno, ſtatuoque me Religioſum ſtatum amplexurum. Quod vovit, adeò feliciter (non obſtante quòd ejus vocatio ex indignatione proveniret) implevit, ut ſanctus haberetur. Sunt & alij, quorum motiva ad intrandam Religionem pejora fuerunt, quàm hujus. Audivi ex fide dignis Nobilem noſtræ ætatis, donis eximijs tum animi, tum corporis, quin & natalibus ſpectabilem, qui videns tranſeuntes Patres Cappucinos, dixit cæteris Nobilibus, quibuscum tunc verſabatur; invadit me libido ſciendi, quomodò vivant iſti nudipedes, ſed & converſandi cum illis, non quidem animo apud eos ſemper manendi, ſed tantùm uno menſe, aut tribus ſeptimanis, ſtudio meliùs notandi quid agant, ut unà vobiſcum melius poſthac poſſimus eos irridere.

ridere. Rem ex composito conceptam constanter & fortiter prosequitur, & tandem etiam consequitur, dum in Ordinem recipitur. Sed divina providentia, quæ hoc medio ad eum è mundo extrahendum, usa fuerat, ejus finem & intentionem malam bonâ mutavit, & is, qui cogitabat alios capere, ille ipse captus est: nam ubi paucos dies cum bonis istis Religiosis mansisset, hominem alium induit, & fideliter in sua vocatione perseverans, in magnum Dei servum evasit.

Habentur adhuc alij, quorum vocatio nihilo melior est hujus. Est autem eorum, qui ineunt Religionem ob aliquem defectum naturalem, ut sunt claudi, lusci, deformes, vel habentes aliquos alios defectus his similes. Et quod deterius apparet, est, quod ad hoc à suis parentibus sæpe inducantur, dum scilicet filios habent luscos, claudos, vel alijs similibus defectibus laborantes, quos domi retinent, dicentes, hic non quadrat pro mundo, oportet eum efficere Religiosum, vel ei procurare aliquod beneficium Ecclesiasticum, ex quo sustentetur: nam & hoc modo domus nostra multùm exonerabitur: filij sinunt se ad libitum duci, sub spe vivendi bonis Ecclesiasticis. Alij autem habentes magnam multitudinem prolium: ecquid tandem faciemus tot prolibus onerati, oportet nos tempestivè do-

mum tanto onere ſublevare, & hos juniores ad Religionem mittere, ut primogeniti poſſint in publico comparere. At Deus perſæpe in hoc oſtendit magnitudinem ſuæ clementiæ ac miſericordiæ, dum intentionib⁹ hujuſmodi ex ſe nullo modo bonis utitur ad efficiendos magnos divinæ ſuæ Majeſtatis ſervos, & cultores eximios: in quo ſe oſtendit admirabilem; ſic ſibi complacet divinus hic Artifex dum inſtruit eximia ædificia ex ligno, & quidem admodum tortuoſo & nodis pleno. Quid multis? ita ad ſpeciem inepto, ut nullis operibus efficiendis videatur idoneum. Et quemadmodum is qui ignorat artem Arculariorum, & videns aliqua ligna in officina alicujus Arcularij, ſummè miratur audiendo quòd ex eo effici poſſit opus aliquod præclarum (nam, diceret ille, ſi ſic res habet, uti aſſeris, quoties amabò, tranſire debebit runcina, ſeu dolabra ſuper illud, antequam ex eo tale opus conſpiciatur?) Ita divina providentia ordinariè pulchra exſtruit opera ex tortuoſis & ſiniſtris intentionibus. Sicut etiam intrare facit ad ſuum convivium claudos & cœcos, ad nos edocendos, quòd nihil proſit habere duos oculos, vel duos pedes ad intrandum cœleſte domicilium, quin & melius eſſe ingredi paradiſum cum uno pede, uno oculo, unoque brachio, quàm duos habentem mitti in gehennam.

Porrò hujuſmodi homines, qui ſic venerunt ad Religionem, ſæpe magnos fecerunt fructus, & fideliter reſponderunt ſuæ vocationi. In rectè vocatorum numerum venerunt aliqui, qui tamen non perſeverarunt; verùm poſtquam manſiſſent aliquo tempore in Religione, omnia dereliquerunt. Et horum in exemplum habemus Iudam Iſcariotem, de quo non licet dubitare, quin rectè fuerit vocatus: Chriſtus enim Dominus eum elegit, & ad Apoſtulatum ſacro ſuo ore vocavit. Vnde igitur eſt quòd cùm bene fuerit vocatus à Domino, non perſeverârit in ſua vocatione? Eheu! quia abuſus eſt ſua libertate nolens uti medijs, quæ Deus eam in rem ſuppeditabat; ſed loco quo debuiſſet ea media amplecti, ijsque in ſuum uſum & progreſſum uti, eis abuſus eſt, eaq; à ſe rejecit: & hoc faciendo ſe perdidit. Certiſſimum enim eſt DEVM, quando ex divina ſua providentia quempiam vocat ad aliquem ſtatum, ſe conſequenter obligare ad ſuppeditanda omnia requiſita, quibus ſe in ea vocatione perficiat.

Quando autem dico, Deum ſe obligare, non exiſtimandum eſt nos eſſe, qui ad id faciendum eum obligaverimus, dum nos vocantem ſecuti ſumus: non enim poteſt ſic obligari, ſed Deus ipſe per ſe ipſum ſe obligat, impulſus & provocatus ad hoc faciendum, ex viſceribus infinitæ

ſuæ bonitatis & miſericordiæ; atque ita quidem ſe obligat, ut, dum efficior Religioſus, ſe obſtringat ad providendum mihi de omnibus neceſſarijs, quibus, ſi volo cooperari, poſſim evadere in probum Religioſum. Et hoc facit Deus non ex debito; ſed ex miſericordia, & immenſa ſua providentia. Hoc autem facit adinſtar potentis alicujus Regis, conſcribentis milites ad bellum gerendum; cujus providentiæ & prudentiæ eſt pro illis arma præparare, & eos armare. Quis enim modus & ratio eſſet eos mittere ad pugnandum ſine armis? Vnde ſi in promptu non habeat, magnam imprudentiæ notam haud evadet. Porrò hanc curam & providentiam habere, divina Majeſtas (quantum ad hoc attinet) nunquam intermittit. Quod ut firmius credatur, dicta Majeſtas ſe obligavit, & ita quidem obligavit, ut non liceat ſuſpicari ex parte illius ſubeſſe aliquem defectum, ſed ex noſtra, quando noſtro deſumus officio. Quinimò ejus liberalitas tam eſt magna, ut etiam ijs provideat de medijs, quibus minimè id promiſit, & quibus non ſe obſtrinxit, utpote quia eos non vocavit. Advertite etiam, quòd quando dico Deum ſe obligaſſe ad dandas ijs, quos vocat, omnes conditiones requiſitas (ut perfecti ſint in ſua vocatione) non dicere me, quôd ſimul & ſemel, & eo inſtanti, quo Religioné intrant, det, certè non id dico.

Non

Non etiam eſt cogitandum, quòd, ſi Religionem intrant, ſtatim primo ingreſſu ſint perfecti. ſat eſt quòd veniant tendentes ad perfectionem, & ad amplectenda media, quibus ſe perficiant. Ad hoc autem faciendum neceſſe eſt habere voluntatem firmam & conſtantem (qua de re ſupra locuti ſumus) utendi omnibus medijs, quæ propria ſunt ad nos perficiendos in vocatione, ad quam vocati fuerimus.

En, quomodò judicia Dei ſint abyſſus multa; quomodò etiam ij, qui præ incredibili ſtomacho contra mundum concepto, & ob irriſionem ſibi factam intrant Religionem, uſque ad ultimum vitæ halitum in ea perſeverant. Alij autem recto & vſitato modo ad eandem vocati, poſtquam viſi fuerant (& fortè ita erat) ferventer incepiſſe, Religionis deinde media omnia deſerentes, retrò abierunt. Viden' igitur quàm difficile ſit cognoſcere, an puella quæpiam bene, id eſt, juxta modum ordinarium, vocata ſit à Deo, ut dari illi poſſit ſuffragium. Nam, quamvis appareat fervens, fortaſſis tamen non perſeverabit (quod ipſius eſt malum) ne tamen ob hoc intermittas (maximè ſi videas eam habere conſtantem voluntatem Deo ſerviendi, & ſe in ejus ſervitio perficiendi) tuum ei dare ſuffragium; ſi enim velit recipere auxilia, quæ Deus infallibiliter ei eſt daturus, perſeverabit. Quod ſi poſt

ali-

aliquot annos fiat inconſtans, & à primo fervore deficiat, ejus eſt damnum, inconſtantiæ ejus tu minimè es cauſa, ſed ipſa ſe perdidit.

Hæc de prima parte & notitia vocationum.

Quantum autem ad ſecundam attinet, quæ eſt omnium primò ſcire conditiones, quas habere debent puellæ, in hanc domum recipiendæ; ſecundò illæ, quæ ad Novitiatum admittuntur; tertiò demum eæ, quæ admittuntur ad profeſſionem faciendam. Quod dicam circa primam receptionem, vix aliquid habeo: admodum enim parum cognoſci poſſunt puellæ hujuſmodi, quæ veniunt bono cum vultu, ſignisq; ingenuitatis ac probitatis nullis ſecundæ. Eas alloquere, & advertes eas facturas quidquid volueris. Similes ſunt ſanctis Apoſtolis Ioanni & Iacobo, quibus dixit Dominus: *Poteſtisné bibere calicem* (paſſionis ſcilicet) *quem ego bibiturus ſum?* Líberè & fidenter reſponderunt, *poſſumus*; & tamen nocte paſſionis fugientes illum dereliquerunt: puellæ hæ idem faciunt, dum tot adhibent preces, tot exhibent reverentias, tamq; bonam teſtantur voluntatem, ut vix denegari poſſit ingreſſus: & re ipſa, meo judicio, negotium hoc non eget tam magna, & exacta conſideratione. Hæc dico quoad interiora: nam fateor admodum eſſe difficile, eo tempore ea poſſe cognoſci; præcipuè in ijs, quæ ex locis remotis huc veniunt. Totum quod fieri poteſt,

poteſt, eſt ſcire, quæ ſint illæ, & quædam alia, quæ ſpectant temporalia & exteriora: & ubi hæc nota fuerint, aperienda eſt illis porta, & admittendæ ſunt ad prima experimenta. Si autem agatur de puellis ejuſdem loci, ubi eſt domicilium, in quod admitti petunt, notari poterit earum agendi modus, & per converſationem cum ijs habitam, cognoſci aliquid poterit de interiori homine. Non diffiteor, etiam hoc ſua non caret difficultate, quia ſemper optimo quo poſſunt habitu, geſtuque corporis accedunt.

Quæ autem ſpectant ad ſanitatem, & infirmitatem corporum, videtur mihi vel nulla omnino, vel admodum exigua conſideratio eſſe adhibenda, eò quòd in domos VISITATIONIS recipi poſſunt debiles & imbecilles, æquè ac fortes & robuſtæ: ſiquidem eæ magna ex parte eum in finem ſunt erectæ. Adde tamen, dummodò non ſint infirmitates tales, quæ eas reddant omnino incapaces obſervationis regulæ, efficiantque inhabiles ad facienda ea, quæ ſunt vocationis. Iis exceptis, nunquam denegarem meum ſuffragiũ: eſto eſſent cœcæ, vel manu captæ, vel unum tantùm pedem habentes, ſi aliàs haberent conditiones requiſitas ad vocationem.

Nolo huc adproperet prudentia humana, quæ mihi dicat: ſi ſemper tale genus hominum ſe offerret,

ferret, semperne recipi debent? Si omnes essent cœcæ & infirmæ, quæ eis servirent? Respondeo hoc te minimè angat, non enim unquam id eveniet: proinde curam istam committo divinæ providentiæ, quæ perbellè noverit providere, & huc vocare sortes necessarias ad earum servitium. Quando is præsentabit infirmas, dicito, Deus sit benedictus, quando veniunt robustæ, sit iterum benedictus. Breviter, infirmitates, quæ non impediunt, quò minus servetur regula, non debent in dubium vocari, an recipiendæ sint in vestras domos. Et hæc habebam, quæ dicerem de prima receptione.

Quantum ad secundam, quæ est de recipienda aliqua ad Novitiatum, non magnas reperio difficultates; nihilominus major consideratio in hac, quàm in prima adhibenda est, quia melius potuit cognosci complexio naturalis; nec non actio, morumq; habitus; conspiciuntur item earum passiones: sed horum nihil debet esse obstaculo, quò minus admittantur ad Novitiatum; dummodò habeant bonam voluntatem se corrigendi, submittendi, nec non utendi medicamentis proprijs, proficuisque earum curationi. Et quamvis repugnantiam ad ea sumenda remedia sentiant, eaque magna cum difficulate recipiant, hoc nihil est, dummodò eorum vsum non respuant. Sunt enim semper medicinæ

gustui

guftui amaræ,nec fieri poteſt, ut ea cum ſvavitate recipiantur,ut reciperentur,ſi bene afficerent,excitarentque appetitum. His tamen non obſtantibus, non intermittunt dictæ medicinæ facere ſuam operationem, & quidem quantò melius eam faciunt,tantò plus laboris & difficultatis ſentiunt,quæ eas ſumunt. Eodem modo, da puellam unam,cui inſunt potentes paſſiones, eſt enim cholerica, pluresque committit imperfectiones,ſi nihilominus vult ſanari,& deſiderat corrigi & mortificari,petitque ſibi exhiberi media idonea recuperandæ valetudini,quamvis eorum ſumptio moleſta & difficilis ei ſit ; ob hæc ei denegandum non eſt ſuffragium: non enim tantùm deſiderat ſanari,ſed inſuper recipit remedia,quæ ei eum in finem exhibentur, eſto non fiat id ſine difficultate, & reniſu naturæ.

Non deerunt aliquæ malè educatæ, maleque moratæ habentes naturam rudem & ſilveſtrem; nullum eſt dubium,quin hæ plus habeant difficultatis & contrarietatis,quàm eæ,quæ naturam ſvaviorem & tractabiliorem nactæ ſunt;quin etiam magis ſint lapſibus obnoxiæ quàm aliæ,quæ melioribus moribus ſunt præditæ: nihilominus deſiderant ſanari, & oſtendunt firmam voluntatem ad media recipienda,quantumvis magno illis conſtent : his darem meum ſuffragium non obſtantibus earum imperfectionibus. Hujusmodi

modi enim puellæ post multas difficultates & labores Religioni magnos adferunt fructus, fiuntq; magnæ servæ Dei, nec non acquirunt fortem & solidam virtutem: gratia siquidem Dei supplet defectus: nec dubitandum, quin sæpe vbi minora naturæ dona inveniuntur, gratiæ majora reperiantur.

Vlteriùs, non debent arceri hujusmodi puellæ ab ingressu Novitiatùs, esto adhuc non se exuerint omnibus pravis habitibus, habeantq; animum adhuc nonnihil rudiorem, nec non multis subjectæ sint passionibus, modò velint seriò anhelare ad mentis sanitatem consequendam. Breviter, ut aliquã ad Novitiatum recipiatur, satis est scire, an habeat bonam voluntatem, & an deliberârit, decreveritq; admittere modum & rationem, quæ ei præscribetur ad salutem animæ. Addo, si habeat animum vivendi in Religione, magna cum submissione: si hæc habeat, quidni meum ei dem suffragium? Et hæc sunt, quæ adferenda mihi visa sunt, quantum attinet ad secundam hanc receptionem.

Quod ad tertiam attinet, res magni est momenti, recipere & admittere aliquam ad professionem faciendam. Et in hoc tria videntur observanda. I. est, ut quæ admittuntur ad professionem, sint sanæ, non corpore (uti jam dixi) sed corde & animo: volo dicere, ut habeant

ani-

animum facilem & dispositum ad vivendum in Religione omni cum humilitate & submissione. II. ut sint præditæ bono spiritu; at quando dico, Bono Spiritv, non intendo ab ijs requirere, ut magnis & sublimibus ingenijs sint dotatæ; quia communiter tales plenæ sunt vanitate, & proprio judicio, nec non inflatæ opinione magnæ suæ dexteritatis. Multò autem minus loquor de ijs, quæ cum in mundo versarentur, erant velut officinæ vanitatis, quæ si ad Religionem aliquando veniunt, non ideò veniunt, ut se humilient, sed quasi facturæ lectiones Philosophicas, & enodaturæ nescio quas difficultates Theologicas. Quid multis? Veniunt velut omnia reformaturæ & gubernaturæ. Hic, hic est, ubi diligens circa hujusmodi adhibendum est examen: adhibendum inquam examen, non quòd velim eas non recipi, sed circa tales animadverti, an credi possit, quòd sint se humiliaturæ & mutaturæ in eximias Dei servas. Quidni enim cum tempore, adjutæ gratiâ Dei possint se mutare & vitam meliorem inire? Quod dubio procul eveniet, si magna cum fidelitate utantur remedijs, quæ eis ad salutem præscribentur. Quando ergo mihi sermo est de bono spiritu seu ingenio, intendo loqui de ingeniis bene compositis & sapientiæ studiosis; quin & similiter de ingenijs mediocribus, quæ non sint nimis

alta, neque item nimis humilia; talia enim ferè semper magna præstant, etiamsi id non intelligant. Eæ se applicant & tradunt solidis virtutibus, sunt tractabiles, quæ non multùm negotij Superioribus in sui gubernatione facessunt. Facillimè enim comprehendunt, quanti momenti sit, sinere se gubernari. III. observandum est, an puella anno sui Novitiàtûs bene se gesserit; patiens fuerit in ferendis adversis; & profectum fecerit in medicinis sibi exhibitis; an executa fuerit decreta & proposita, quæ fecit in suo ad novitiatum ingressu; an mutârit scilicet pravos habitus & malas inclinationes, in probos mores, & laudabilibus animum imbuerit affectionibus; annus siquidem Novitiatûs ea de causa ei datus est. An notetur item mansisse fideliter in ea resolutione & animi decreto, quo cum ingressa est Novitiatum; & an ejus voluntas sit firma & constans ad continuandum virtutis studium, uti cœpit. Addo, an & ea seriò se applicârit ad sui ipsius reformationem; nec non se Regulis & Constitutionibus conformârit; quin, an etiam nunc duret eadem voluntas, quæ & meliora adhuc semper posthac polliceatur. Hæc & his similia, eximiæ sunt notæ, & efficax motivum ad dandum ei suffragium. Et quamvis non obstantibus relatis, committat imperfectiones & lapsus, & etiam sat magnos; non ideò denegandum

dum est ei suffragium. Licet enim anno probationis conari debeat se ipsam, moresque suos ac pravos habitus reformare & emendare, non tamen dicitur, nec dici potest, quòd debeat esse libera ab omni defectu, neque quòd perfecta in fine sui Novitiatûs.

Nam, si conijcias oculos in Collegium Christi Domini, gloriosi Apostoli, non obstante, quòd rectè fuerant vocati, & in sui ipsorum reformationem ad vitam meliorem impigrè laboraverant, quoties lapsi sunt, & non solùm primo anno probationis, sed etiam secundo & tertio? Omnes enim dicebant ac promittebant mira, & inter alia, secuturos se Dominum suum *in mortem & in carcerem:* verùm nocte passionis, quando eorum Magister capiebatur; omnes, captâ fugâ, eum dereliquerunt. Ex hoc volo ostendere ob hujusmodi lapsus non reijciendam esse puellam à professione, quando, non obstantibus istius generis lapsibus, manet in ea firma voluntas se erigendi, & resurgendi à talibus peccatis, quin & vtendi remedijs eam in rem assignatis.

His, quæ dicenda occurrerunt circa conditiones, quas habere debent Novitiæ, ut admittantur ad professionem faciendam, & quid Sorores professæ observare debeant, antequam suum dent suffragium, in medium allatis, cogito

finem imponere meo discursui, nisi aliud quid ulterius mihi proponatis.

Primo loco, si grave non esset, cuperemus scire, an, si aliqua Sororum admodum propensa ad erumpendum in turbulentos aliquos animi motus reperiretur, & hoc ob res etiam minimas, addimus & quæ esset comprimis tædiosa & inquieta, quæq; non ostenderet inter hæc magnum amorem erga suam vocationem: & nihilominus, rebus sic se habentibus, promitteret mira in futurum, quid cum ea esset faciendum? Respondeo certum est puellam talem sic mutabilem, non esse aptam pro Religione: sed & inter hæc omnia non vult sanari; si ita est, oportet illam dimittere. Sed, nescitur, dicitis, an hoc fiat defectu voluntatis ad sanitatem acquirendam, an verò quòd non apprehendat, in quo consistat vera virtus? Dico ego talem, si postquam probè edocta est ea, quæ facere debet ad sui ipsius emendationem, & non facit; sed incorrigibilem se reddit, esse reijciendam; maximè quòd ejus lapsus non videantur provenire ex defectu judicij, neque ex impotentia, vel inscitia apprehendendi in quo consistat sincera virtus; & adhuc multò minus, quòd ignoret quid sibi faciendum sit ad sui correctionem, sed quòd omnia proveniant ex defectu voluntatis, quippe quæ neque perseverantiæ, neq; ullius constantiæ fulcris innitatur:

dum

dum media ad se emendandum non vult adhibere: esto subinde dicat se suos errores corre-cturam, nunquam tamen corrigit; tali album calculum nequaquam darem.

Vos dicitis quasdam inter Novitias ita esse teneras ac delicatas, ut non recipiant correctionem sine magna sui ipsarum turbatione, & quidem ita magna, ut sæpe infirmentur. Si id ita se habet, non video, quin eis possit & debeat porta aperiri: nam si sunt ægrotæ, & nolint tractari, vti solent ægrotæ recipiendo remedia propria sanitati recuperandæ, clarè satis apparet, eas hoc faciendo se reddere incorrigibiles, nec quidquam spei dare, quâ colligi posset, eas desiderare sanitatem. Quod attinet ad nimiam teneritudinem tum animi, tum corporis, unum est è maximis impedimentis, quæ inveniri possunt in vita Religiosa. Ideoque magna adhibenda est cura, ne recipiantur ullæ, quæ ultra modum dignoscuntur hoc vitio laborare, quia hoc ipso, quòd recusent uti remedijs, ostendunt se non cupere sanitatem.

Petitur secundo loco quid judicandum sit de ea, quæ nobis testatur se pœnitere, quod Religionem intrârit? Respondeo, certè si advertatur perseverare in hoc suæ vocationis fastidio, & eam pœnitere quod ad vos venerit, notetur insuper eam fieri remissiorem & negligentiorem in con-

conformando ſeſe ſpiritui ſuæ vocationis, judico quidem ei aperiendam eſſe januam. Sed nihilominus conſiderandum puto, id ei evenire poſſe vel ex ſimplici tentatione, vel ex exercitio à Deo immiſſo virtutis acquirendæ gratiâ; & hoc poterit cognoſci ex profectu, quem eliciet ex tali cogitatione, tali tædio, vel pœnitentia, quando ſincera cum ſimplicitate ſe aperiet de tali re, & fideliter utetur remedijs, quæ ei exhibebuntur. Deus enim non permittit quicquam pro noſtro exercitio evenire; quin velit aliquem profectum ſpiritualem nos inde colligere, quod fit quoties candidè & ſincerè nos aperimus noſtris Superioribus, & facimus quod nobis mandatur, uti aliàs dixi. Et hoc eſt indicium, quòd Exercitium illud sit à Deo. At verò quando advertitur, iſtis neglectis, quòd aliqua Sororum ſe proprio dirigat judicio, quodq; ejus voluntas ſit ſeducta & perdita; tunc res eſt deſperata, & ſine remedio: ideoque è Congregatione eliminanda.


Petitur tertio loco, an non perpendendum ſit seriò, an dandus ſit calculus Candidatæ illi, in qua non eſt ſinceritas, neque æqualitas erga omnes Sorores, ſed apertis ſignis oſtendit ſe plus inclinationis habere erga unam, quàm erga alteram? Reſpondeo, non oportere eſſe tam rigidas & ſeveras ob res tam parvas: ſciendum enim eſt hujuſmodi inclinationem eſſe ultimam

par-

partem noſtræ renunciationis. nam antequam eò veniatur, ut plus inclinationis non habeatur erga unam, quàm erga alteram, & affectiones adeò ſint mortificatæ, vt vlterius mortificari non poſſint, tempore opus eſt. Ideò obſervandum eſt in hoc, ſicuti in omnibus alijs, an ſoror illa ſit incorrigibilis.

Vltimò hac in materia interrogatis me, ſi judicium omnium Sororum (unius excepto) penitus eſſet contrarium rei, ex qua, re ipſâ falſum formatur judicium, & illi (quæ ſcit rem ſic ſe habere) veniret in mentem eripiendi Sororibus errorem, eriperené deberet? Reſpondeo omnino: nam & ſic agendo ſorori, de qua feruntur ſuffragia, proderit, & alijs lumen dabit, ut omnia accuratè luſtrent, antequam ſententiam definitivam pronuncient. Spiritus ſanctus debet præſidere communitatibus, & ſecundum varietatem opinionum ſtatuendum eſt, quale ſit ferendum judicium, tale ſcilicet, quod maximè cedat ad ejus gloriam. Porrò inclinatio iſta, quam habes, quòd aliæ dent ſuum ſuffragiũ, vel non dent, quamvis tu des, vel non des tuum, debet contemni & reijci, velut alia quævis tentatio. Verùm tali in occaſione nunquam debent publicari inter Sorores hujuſmodi inclinationes, aut averſiones. Tandem, pro omnibus imperfectionibus, quas è mundo ad Religionem

ſecum ferunt Candidatæ, Regula hæc ſervanda eſt: *quando notantur ſe emendare, eſto committant complures errores, non ſunt reijcienda:* per emendationem enim oſtendunt, ſe nolle manere incorrigibiles.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XVIII.

Quomodò ſuſcipienda ſeú recipienda ſint Sacramenta, quomodò item divinum officium recitandum, cum nonnullis punctis ſpectantibus ad orationem ritè peragendam?


ANtequam ſciamus quomodò nos præparare debeamus ad Sacramenta recipienda, & qualem ex ijs fructum colligere debeamus; neceſſarium eſt ſcire, quid ſit Sacramentum, quique ejus effectus.

Sacramenta igitur ſunt canales quidam, per quos (ut ita dicam) Deus deſcendit ad nos, ſicuti per orationem nos aſcendimus ad illum:

ORATIO ſiquidem aliud non eſt, quàm ELEVATIO MENTIS IN DEUM. Effectus Sacramentorum ſunt diverſi, quamvis ijs non inſit niſi unus finis, & intentio nos Deo uniendi.

Per Sacramentum BAPTISMI nos DEO unimus, ut filius cum Patre; per CONFIRMATIONIS nos eidem unimus, ſicuti miles ſuo ductori, accipiendo fortitudinem ad pugnandum, & noſtrum inimicum in omni tentatione vincendum. Per Sacramentum PŒNITENTIÆ unimur DEO, ut amici ad invicem reconciliati; Per ſacroſanctum ALTARIS SACRAMENTUM, ut cibus cum ſtomacho; Per EXTREMAM VNCTIONEM Deo nos vnimus, ut filius, qui ex longinqua regione rediens, & ponens jam pedem vnum in domum ſui Patris, vt cum eo, ſicut & cum Matre, & univerſa familia reuniatur.

Hi ſunt effectus diverſi Sacramentorum. Verùm quia omnia expoſcunt unionem animæ noſtræ cum Deo, nunc non niſi de duobus loquemur, PŒNITENTIÆ ſcilicet & EVCHARISTIÆ. In primis autem neceſſe eſt nos ſcire quare, cùm toties recipiamus duo hæc Sacramenta, non etiam gratiam recipiamus, quam ſolent recipere animæ bene præparatæ, ſiquidem gratiæ Sacramentorum ipſis Sacramentis ſunt conjunctæ. Dicam vno verbo: id evenit defectu debitæ præparationis, ideoq; ſciendum eſt quomodo nos

præparare debeamus ad recipienda duo hæc Sacramenta, & proportionaliter omnia alia. Prima igitur præparatio est puritas intentionis; secunda attentio, & tertia humilitas.

Quantum ad puritatem intentionis attinet, ea omnino est necessaria non solùm ad receptionem Sacramentorum; sed & in omnibus quæ agimus. INTENTIO PURA EST quando recipimus Sacramenta, vel rem aliam quamcunque facimus, qualiscunque ea sit, modò nos Deo vniat, sitq; apta, & absque admixtione proprij emolumenti, ad nos gratos Deo efficiendos. Cognoscetis hoc, si, quando desiveraveritis & petieritis licentiam communicandi, ea non concedatur; vel si post sanctam communionem non habueritis consolationem, & istis nihil obstantibus, alta pace fruamini, & ne ipsis quidem aggressionibus, quæ vobis evenire possint, consensum præbueritis: si autem contrà vos inquietudini tradideritis, eò quòd vobis denegata sit communio, vel quòd consolationem non habueritis; quis non videt intentionem vestram non fuisse puram, & quod non quæratis vos unire Deo, sed consolationibus; siquidem vestra unio cum Deo fieri debet auspicijs & virtute sanctæ obedientiæ? Et eodem prorsus modo, si perfectionem desiderio inquietudinis pleno desideretis; quis non animadvertit esse amorem proprium, qui nollet, ut

nos

nos appareremus hominibus imperfecti? Si fieri posset, ut æquè grati essemus Deò, existentes imperfecti, sicut quando sumus perfecti, desiderare deberemus nos esse absque omnimoda perfectione, ut in nobis, utendo hoc modo, nutriremus sanctissimam humilitatem.

Secunda præparatio est ATTENTIO. Certè adire deberemus Sacramenta magna cum attentione, tum propter magnitudinem operis, quod in ijs agitur, tum propter id, quod Sacramentorum quodlibet à nobis desiderat. Accipe exemplum: euntes ad confessionem nobiscum ferre debemus cor amorosè dolorosum; ad sanctam autem communionem, cor ardenter amorosum. Non dico quòd per magnam istam attentionem non habituri simus distractionem, quia eam non habere, in nostra non est potestate; sed intendo dicere, quòd habere oporteat curam particularem, ne ei voluntariè aures demus, multò minus adhæreamus.

Tertia præparatio est HUMILITAS, quæ est virtus multùm necessaria ad recipiendas abundanter gratias, quæ veluti sacri liquores defluunt è canalibus sacramentorũ, eò quòd aquæ soleant longè celerius & fortius defluere, quando canales sunt in locis declivibus & deorsum se protendentibus.

Verùm, vltra tres allatas præparationes, verbo

uno dicam, in quo ſita ſit principalis derelictio, & omnimoda noſtri ipſorum abnegatio, in Dei ſcilicet miſericordia, ſi ei nos ſubmittamus abſq; ulla omnino reſervatione noſtræ voluntatis, & omnes noſtras affectiones ejus dominatui ſubijciamus. Dico ſine reſervatione; eò quòd miſeria noſtra tanta ſit, ut ſemper aliquid nobis reſervemus. Et quidem homines qui videntur & ſunt ſpirituales, communiter ſibi reſervant voluntatem habendi virtutes, vnde, quando adeunt ſacram communionem; ò Deus! dicunt illi, me integrè reſignô in manus tuas, at placeat tibi, obſecro, mihi elargiri prudentiam ut honorificè poſſim vivere, ſed non petunt ſimplicitatem. O mi Deus! omnino me ſubijcio, & cupio manere ſubiecta divinæ tuæ voluntati; ſed magnum mihi elargire animum, ut excellentia & tuo ſervitio digna faciam opera; de ſvavitate autem, ad vivendum pacificè cum proximo, altum eſt ſilentium. Dato mihi, humillimè rogo, inquiet altera, humilitatem, quæ propria ſit ad exhibenda alijs bona exempla; at de cordis humilitate, quæ nos inducit ad amandam propriam abjectionem, non indigent, uti videtur. O mi DEVS ſiquidem tota quanta tua ſum, habeam, obſecro, ſemper conſolationes in meis orationibus. Itané? prætentio quidem quam habemus, eſt medium unum è neceſſarijs ad nos cum Deo uniendos,

endos,ſed unde provenit quòd nunquam tribulationes & mortificationes petamus ? Certè modus iſte agendi non eſt proprius conciliandæ unioni,dum tot voluntates,(eſto ſint ad ſpeciem ſplendidæ) nobis reſervamus: Dominus enim volens ſe nobis omnino dare, vult ut reciprocè nos integrè ſibi demus : ut unio animæ noſtræ cum divina Majeſtate ſit perfectior, & dicere poſſimus cum veritate, imitando magnum illud perfectionis inter Chriſtianos exemplar : *non vivo ego, ſed vivit in me Chriſtus.*

Secunda pars hujus præparationis conſiſtit in evacuatione cordis noſtri ab omnibus rebus,ut Dominus noſter ſe ipſo illud repleat. Profectò cauſa, ob quam non recipimus gratiam ſanctificationis (vna ſiquidem communio bene facta, ſufficiens & idonea eſt ad nos ſanctos efficiendos) non provenit aliunde,quàm ex eo, quòd non ſinamus Deum noſtrum regnare in nobis,ut ejus bonitas à nobis exigit. Venit in nos Dilectus animarum noſtrarum,& reperit corda noſtra plena deſiderijs, affectionibus,& neſcio quibus minutulis voluntatibus : non talia in eis ille requirit ; ſed vacua vult invenire , ut in ijs dominetur & ſolus regnet.

Et,ut oſtendat quantopere id deſideret,dicit ſuæ ſacræ dilectæ Can. Canti: 8. v. 6 : *pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum ,* nihil ut ſcilicet in illud

intra-

intrare possit, nisi illâ, juxta suum beneplacitum, permittente. Bellè autem mihi constat medium cordium vestrorum esse vacuum (alioquin nimis magna esset infidelitas) volo dicere nos non solùm rejecisse, & detestatos fuisse peccatum mortale; sed omnia etiam genera malarum affectionum. Verùm omnes anguli & angulorum anguli nostrorum cordium repleti sunt mille rebus, conspectu & præsentiâ summi Regis quàm maximè indignis, quæ (ut videtur) ei ligant manus ad impediendũ, quò minus nobis dispertiat bona & gratias, quæ ejus bonitas summè desiderabat nobis dispertire, si præparatos nos invenisset.

Præstemus igitur nostra ex parte quidquid valemus, bene nos præparando ad accipiendam Panem Supersubstantialem, proijciendo nos totos quantos in divinam ejus providentiam, non solùm propter bona temporalia, sed maximè spiritualia, explicando, & expandendo in præsentia divinæ ejus bonitatis omnes nostras affectiones, desideria, & inclinationes, vt ei plenè simus subjecti; & sic certi erimus, Dominum sua promissa, quæ fecit de nobis in se transformandis (attollens nostram imbecillitatem & humilitatem usque ad eam uniendam suæ magnitudini) completurum. Potest equidem sæpius adiri sacra communio ob diversos fines, vt ad petendam

libe-

liberationem ab aliqua tentatione, vel afflictione, sive eam petamus pro nobis vel nostris amicis; vel ad postulandam aliquam virtutem, modò id fiat gratiâ nos per istum actum arctius & perfectius uniendi Deo, quod tamen persæpe non evenit: nam tempore afflictionis communiter magis uniti sumus Deo, quàm alio, eò quòd crebrius eum mente voluimus.

Quod attinet ad virtutes, subinde magis expedit, quod nos attinet, eas non habere in habitu, quàm habere: & hoc verum est quando toties actus earum exercemus, quoties occasiones se offerunt: nam repugnantia illa quam sentimus in exercitio alicujus virtutis servit ad nos humiliandos; humilitas autem suo valore semper omnia alia superat. Tandem oportet, ut omnes orationes & petitiones, quas facis Deo, non solùm pro te facias, sed etiam pro tuo proximo, dicendo semper Nos vel pro Nobis &c: sicut Dominus noster nos docuit in oratione Dominica, ubi nunquam est, Ego, neque Mei, aut Me. Intelligitur autem te habere intentionem rogandi Deum, ut det virtutem, vel gratiam, quam petis pro te, & omnibus ijs, qui (ut tu) ea indigent. Et hoc semper facere debes ad te magis uniendum cum illo; nam aliter non debemus petere, neque desiderare rem aliam, neque pro nobis, neque pro proximo, siquidem is est

finis,

finis,ob quem instituta sunt Sacramenta. Oportet igitur nos respondere intentioni nostri Servatoris,ea recipiendo ob eundem finem; neque enim cogitandum est, quòd nos communicantes, vel orantes pro alijs, aliquid perdamus,nisi quòd dum offerimus hanc communionem aut orationem Deo ad satisfaciendum pro eorum peccatis,tunc sic orantes,non satisfaciemus quidem pro nostris, sed tamen meritum communionis & orationis proprium nobis manet. Nam non possumus mereri gratiam pro alijs, nec illi pro nobis: solus enim Christus Dominus id potuit: impetrare potest unus pro altero gratiam, sed non mereri.

Oratio, quam facimus pro alijs,auget nostra merita, tam ad compensationem gratiæ in hac vita,quàm ad cumulum gloriæ in altera. Notandum,quòd etsi quis non adhiberet intentionem faciendi rem aliquam pro satisfactione suorum peccatorum,tamen sola attentio, quam haberet faciendo,quidquid facturus est,Dei amore, satis id esset ad satisfaciendum; certum siquidem est, quòd is, qui posset excellentem aliquem charitatis actum facere, vel perfectæ contritionis verè elicere, plenè pro omnibus suis peccatis satisfaceret.

Velles fortassis scire, quomodò nosse posses te proficere,recipiendo Sacramenta.Cognosces

si te

si te ipsum promoveas per virtutes, quæ propriè profluunt è singulis Sacramentis. Si ex Confessione acquiras amorem propriæ abjectionis & humilitatis: nam eæ sunt virtutes, quæ illi Sacramento sunt propriæ. Semper autem juxta mensuram humilitatis, cognoscitur noster profectus. Non advertis dictum esse, quòd *quicunque se humiliaverit, exaltabitur*, id est, ulterius promovebitur in virtutibus, & in gratia. Si mediante sanctissima communione multùm proficias in suavitate (ea siquidem est propria virtus hujus Sacramenti, quod est suavissimum, & ut mel dulcissimum) decerpes inde fructum, qui illi est proprius, & ita exaltaberis, id est, in virtutibus promoveberis. E contrà, si non evades in hominem humiliorem & meliorem, mereberis, ut tibi panis tollatur, siquidem non vis laborare.

Perquam vellem, adveniente tibi desiderio communicandi extra ordinem, & petendi id à Superiore, magna cum simplicitate id te facere, & majore adhuc cum resignatione & humilitate repulsam, si ea tibi detur, acceptare. Sin autem concedatur dicta communicandi facultas, communica insigni cum amore; nec obstante, quòd insignis sit mortificatio eam petere, vellem ideò te illam omittere. Puellæ enim quæ intrant domicilia VISITATIONIS, non alia intentione intrant, quàm ut se mortificent; & hoc cruces,

quas post Christum portant, illis revocare debent in memoriam. Si autem cuipiam inspiraretur, vel in mentem veniret nolle toties communicare, quoties communicant aliæ, & hoc ob notitiam, quam habet de sua indignitate, posset rogare Superiorem, expectans ejus judicium (quod latura est) magna cum svavitate & humilitate.

Vellem etiam nullam ex vobis, dum audit, vel intelligit misceri sermonem de se, deq; suis imperfectionibus, vel de aliqua virtute, quam non habet, turbari aut inquietari, sed Deum benedicere, quòd medium ad illam acquirendam detexerit, viamq; ostenderit, ab imperfectionibus emergendi, nec non assumendi animum ad medijs bene utendum. Gerere oportet animos generosos, qui non nisi Deo nôrint adhærere; nullo autẽ modo reb' ijs, quas pars inferior expetit, at pro viribus eniti, ut pars superior animæ nostræ victoriam obtineat: siquidem omnino in nostra est potestate, gratiâ tamen Dei adjuvante, inferiori nunquam consentire. Consolationes & teneritudines non debent desiderari, quia nobis non sunt necessariæ, ut per eas magis Deum amemus. Non oportet igitur se occupare in considerando, an svavitates habeamus; sed faciendum est id, quod faceremus, si eas nactæ essemus.

Non

Non oportet etiam ita esse teneras, melius dicerem scrupulosas, volendo confiteri nescio quas minutulas imperfectiones, quia ne obligati quidem sumus confiteri peccata venialia, nisi velimus; verùm quando ea confitemur, oportet voluntatem decrevisse, ea amplius non committere; secus enim si fieret, committerentur abusus in confessione. Neque etiam oportet se excruciare, quando errores confitenti non occurrunt: vix enim credibile est animam, quæ sæpe se examinat, non accuratè in memoriam revocare errores, qui alicujus sunt momenti. Quod attinet ad exiles & leves lapsus, potestis de ijs loqui cum Deo, quoties eos animadverteritis: unus enim actus humilitatis, unum suspirium sufficit ad eos abolendos.

Quæritis, quomodò possetis facere actum Contritionis exiguo tempore? Respondeo ad eum faciendum vix vos egere tempore: aliud siquidem non requiritur, quàm ut ad Dei pedes in spiritu humilitatis te supplicem, & pœnitentem, ob eum offensum, abijcias.

Petitis etiam secundo loco, ut vobis loquar de officio bene & laudabiliter dicendo? Respondeo, id mihi placere, & in primis dico, quàm primum auditur sonus campanæ quo vocamini ad illud persolvendum, eo ipso instanti debere vos præparare, & ad imitationem sancti Bernardi

à corde veſtro petere, quò vadat, quidq́; factu-rum ſit? & non ſolùm hac in occaſione; ſed etj-am quoties aggredimur vnum aliquod noſtro-rum exercitiorum, ut unicuique adferamus ſpi-ritum, qui eſt proprius: non enim eſſet conve-niens ſe conferre ad officij recitationem, ſicut ad recreationem. Ad recreationem enim fe-rendus eſt ſpiritus amòroſè lætus, ad officium autem ſpiritus ſeriò amoroſus. Quando dici-tur, DEUS IN ADIUTORIUM MEUM INTENDE, co-gitandum eſt reciprocè vobis dici à Domino: ET VOS MENTEM IN ME FIXAM ET ATTENTAM HABETE. Quæ aliquantulum intelligunt quod dicunt in officio, ſuum fideliter, juxta Dei bene-placitum impendant talentum, quod illis dedit, ſintq́; collectæ per média bonarum affectionum, quas inde elicere poterunt; quæ autem nihil in-telligunt, ſint ſimpliciter attentæ ad Deum, vel certè amoroſo mentis impetu totas quantas ſe in Deum librent, dum, quæ in altero ſunt choro, ſuum dicunt verſum, & hæ pauſant.

Oportet conſiderare nos idem officium præ-ſtare, quod præſtant Angeli, quamvis linguâ di-verſâ à noſtra, & quòd ſtemus coram eodem Deo, coram quo tremunt dicti Angeli: & quem-admodum homo quiſpiam, qui loqueretur Regi, valde eſſet attentus, timens ne errorem quem-piam committeret, &, ſi non obſtante ſua ſolici-

tudine,

tudine, in aliquem laberetur, continuò erubesceret; eodem modo nos habere debemus in officio, agentes vigilias super nos ipsos, salutari timore concussos, ne erremus. Requiritur etiam, ut bene & distinctè pronuncietur, & secundum ordinem omnia bene efferantur, maximè autem in principio. Quod si in aliquo contingat nos nostro deesse officio, nos humiliemus oportet, non autem multùm admiremur, multò autem minùs conturbemur: quia non est res rara, ac proinde parum miranda; nam etiam alibi alijs officijs desumus. Verùm si contingat vos valde sæpe cæspitare, & cæspitando cadere, & non continuò surgere, argumento est, nos non veram concepisse displicentiam ex primo lapsu. Talis negligentia multùm confusionis nobis deberet adferre, & hoc non propter præsentiam Superioris; sed propter Dei respectum, qui nobis, & Angelis coràm præsens semper adstat.

Porrò, ferè est regula generalis, quòd quando toties committimus idem erratum, deesse animum seriò se emendandi, quin etsi sit de re, de qua sæpius moniti sumus, satis clarè apparet negligi, ne dicam contemni, admonitionem.

Post hæc cavendum est ne agitemur scrupulis in toto officio, ob omissos duos vel tres versiculos imprudenter & ex inadvertentia, modò non fiat ex instituto, vel supinâ negligentia. Quod

si contingat bona ex parte officij vos dormire, esto corde versûs dixeritis, tenemini iterum dicere. At quando fiunt res aliquæ, durante officio, quæ necessariò fieri debent, ut tussire vel excreare, vel quando Magistra cæremoniarum loquitur aliquid, quod spectat ad officium, tunc nulla est necessitas iterum repetendi.

Quando aliqua, incepto jam officio, intrat chorum, ponat se suo inter alias ordine, & officium cum illis prosequatur. Vbi autem absolutum fuerit, resumendum est id, quod chorus jam dixerat, antequam intraret, finiendo illo loco, in quo illa cœpit cum choro, sed submissâ voce dicendum, quod altâ chorus dixit.

Non est repetendum officium, eò quòd fueritis distractæ in eo dicendo, dummodò distractio illa non fuerit voluntaria. Et idem judicium esto, si ad finem alicujus Psalmi devenistis, non advertentes, neque recordantes, an certò dixeritis, eò quòd ita fueritis distractæ, ut ne distractionem quidem notaveritis; pergendum est ulterius, humiliando se coram Deo. Non enim semper oportet cogitare nos negligentiam admisisse, quando distractio fuit longa: fieri enim poterit aliquando, ut duret tamdiu, quamdiu ipsum officium; & hoc sine culpa nostra. Sed posito quòd aliquid culpæ in ea contractum sit, num ideò deberetis inquietari, & non potius,

Deo,

Deo ſpectatore, per temporis intervalla fortiter pugnare? Nollem vos vnquam turbari ob mala, quæ ſentitis & habetis; verùm animari ad fideliter reſiſtendum, & conſenſum hujuſmodi distractionibus denegandum: magno ſiquidem intervallo ab invicem diſtant SENTIRE & CONSENTIRE.

Vultis ut aliqua in medium adferam de oratione? En adfero: plurimi vehementer ſe decipiunt, ſibi perſvadentes, magnâ & accuratâ methodo opus eſſe ad eam bene faciendam, & ea de cauſa multùm ſe occupant, & affligunt, vt certam & infallibilem, ut illis videtur, artem neceſſariam id ſciendi inveniant: unde nunquam ceſſant argutè & ſubtiliter diſputare (ſed quàm utiliter neſcio) circa ſuam orationem, ut notent, quomodò illam faciunt, vel quomodò facere poterunt juxta ſuum guſtum. Hi putant non oportere admittere tuſſim, neque eâ durante ſe movere, timentes ne Dei ſpiritus ſe ab ijs retrahat. Ignorantia, ne dicam ſtultitia, res iſta eſt maxima; quaſi verò ſpiritus Dei ita eſſet delicatus, ut à methodo, & conſtitutione eorum, qui orationem faciunt, dependeret. Non dico, non oportere adhibere methodum & rationem, quam notavimus; ſed dico non oportere penitus ſeſe illis alligare, quemadmodum faciunt illi, qui putant nunquam orationes ſuas ſe bene feciſſe,

 niſi

mi suas considerationes præmiserint affectionibus, quas Dominus eis elargitur, cum ipsæ affectiones sint finis, ob quem considerationes facimus.

Tales sunt similes ijs, qui cum se inveniunt in loco, ad quem ire constituerant, affliguntur, eò quòd non venerint itinere, quod edocti fuerant. Requiritur nihilominus, ut magna cum reverentia nos habeamus, dum cum divina Majestate sermonem miscemus, siquidem Angeli ipsi, qui maximè puri sunt, contremiscunt in ejus præsentia. Sed, mi Deus! dicent aliquæ ex vobis: non possumus semper habere expressam imaginationem, & sensum præsentiæ divinæ, neque etiam sensibilem reverentiam, quæ adeò magnam creat humiliationem animæ, facitque ut svaviter & jucundè nos ipsas ante DEUM annihilemus. Respondeo, etiam me non intendere de ea loqui; at de illa, quæ facit, ut pars superior & vis animæ se demissè & humiliter habeat coram Deo, recognoscendo infinitam ejus magnitudinem, & profundam nostræ parvitatis ac indignitatis conditionem.

Oportet etiam firmiter determinasse de oratione nunquam intermittenda, quacunque occurrente difficultate, nec etiam se ad eam conferre cum præoccupatione desiderij habendæ consolationis, & mentis satisfactionis. Hoc enim

agendo non esset conjungere nostram voluntatem cum Dei voluntate, qui vult, dum orationem aggredimur, decrevisse seriò nos sustinere pœnam & dolorem continuarum distractionum, ariditatis & fastidij, quæ in eis nobis supervenient, ut ita constantes maneamus, ac si in illis multùm consolationis & animi tranquillitatis habuissemus: certum siquidem est nostram orationem non minus gratam futuram Deo, neque nobis minus vtilem, quòd facta sit majori cum difficultate; quia dummodò jungamus nostram voluntatem cum voluntate divinæ Majestatis, manentes in simplici attentione & dispositione, ad recipienda eventa divinæ ejus beneplaciti cum amore, sive id sit in oratione, sive in alijs accidentibus, efficiet is, ut omnia nobis cedant in utilitatem, sintque grata, & accepta in oculis divinæ ejus bonitatis. Bene igitur facere orationem, charæ filiæ, erit continere se in pace & tranquillitate apud Dominum, vel in ejus aspectu absque vllo alio desiderio, aut prætentione, quàm esse cum illo, & ei pro viribus satisfacere.

Prima igitur methodus, ut quis subsistat in oratione, est in promptu habere punctum aliquod ex vtilioribus mysterijs mortis, vitæ, & passionis Domini nostri Iesv Christi. Res est admodum rara, ut non percipiatur fructus aliquis ex consideratione rei, quam Christus fecit. Est

enim ſupremus Magiſter, quem Pater æternus miſit in mundum, ad docendum nos quid facere debeamus: & propterea ultra obligationem, quam habemus de nobis conformandis juxta divinum exemplar, debemus magnopere exacti eſſe in conſideratione ejus actionum, ut eas imitemur; eò quòd ſit una ex excellentioribus intentionibus, quas habere poſſumus ad facienda ea, quæ facimus hoc motivo, quia Chriſtus Dominus ea fecit; id eſt, ad exercendas virtutes, quia pater noſter & exercuit, & quomodo eæ exercendæ ſint, docuit. Quod ut bene comprehendamus, oportet fideliter eas ponderare, videre, & in oratione conſiderare. Filius enim, qui patrem ſuum ſincerè amat, toto corde anhelat, vt ſe coformem efficiat ejus moribus, & agendi modis, eumq; imitetur in eo, quod facit.


Verum eſt quod vos dicitis, eſſe ſcilicet animas aliquas, quæ non poſſunt gradum ſiſtere, neq; occupare ſe ullo in myſterio, quia mentem applicârunt ad certam, & prorſus ſuavem quandam ſimplicitatem, cujus beneficio vivunt coram Deo in magna tranquillitate, nulla alia interveniente conſideratione quàm ſcientiæ, quâ moraliter ſciunt ſe eſſe coram eo, qui eſt omne earum bonum: poſſunt ſic bene & utiliter manere. Veruntamen generaliter loquendo, res ſic eſt inſtituenda, ut omnes Religioſæ Visitationis

TIONIS incipiant per methodum orationis, quæ eſt ſecurior, & ſecum fert vitæ reformationem, & morum mutationem, quæ eſt illa, quam dicimus, quæque fit circa myſteria vitæ & mortis Chriſti Domini, in qua ſecurè gradimur. Oportet igitur ut bona fide applicemus nos circa noſtrum Magiſtrum, ad intelligendum & addiſcendum id, quod vult nos intelligere & facere. Quæ autem è vobis nôrunt fructuosè uti altiore imaginatione, utantur cum DEO bono, ſed id ſobriè, ſimpliciter & breviter faciendum eſt. Complures Sancti Patres pias & devotas nobis reliquerunt conſiderationes, quibus quilibet circa præſens objectum poteſt uti. Quoniam ſi ſancti, & viri illuminati eas fecerunt, quis detrectet vel reformidet ijs uti, quiſue recuſabit piè credere id, quod piiſſimè illi crediderunt? Securè, ne dubites, inſiſtere poſſumus veſtigijs hominum tantæ auctoritatis. Verùm non contenti poſteri eorum conſiderationibus & meditationibus ab ijs relictis; eorum permulti alias fecêre imaginationes, & illæ ſunt, quibus uti non debemus facilè in meditatione, eò quòd poſſint aliquod detrimentum, & incommodum creare debilioris cerebri eo modo meditantibus.

Debemus autem facere propoſita & decreta in fervore orationis, quando Sol Iuſtitiæ nos illuminat & clarificat, & per ſuam inſpirationem

tionem ad illa incitat. Non intendo dicere habendos & ſentiendos magnos affectus & conſolationes propter hoc, licet quando ea DEVS nobis elargitur, teneamur ex ijs proficere, & reſpōdere ejus amori; verùm quando ea non dat, non ideò non debemus ei fideliter ſervire, & vivere juxta rationem & voluntatem ejus, quin & vigore noſtri intellectûs, juvante parte ſuperiori noſtræ animæ, facere decreta, eaque effectui, ac executioni mandare, non obſtante ariditate, repugnantiâ, vel quâcunque contradictione, quæ poſſet evenire. En, quantum ad primum meditandi modum attinet, quem complures eximij Sancti exercuerunt, ut optimum, quando, ut debet exercetur. Quantum autem ad ſecundum meditandi modum ſpectat ſine imaginatione, in eo purè & ſimpliciter meditamur Evangelium, & fidei noſtræ myſteria, adhærentes familiariter & ſimpliciter Servatori noſtro, conſideramus, quæ fecit, tulitque ſalutis noſtræ causâ, abſque ulla repræſentatione. Hæc meditandi ratio altior & melior videtur, quàm prima: adde quòd & ſanctior, & ſecurior appareat: ideoque erga illam affici & ferri debemus, eſto non maximis illicijs trahamur. Obſervare autem & operam dare nos convenit, ut in omni orationis gradu ſpiritum noſtrum in ſancta libertate contineamus, ut ſequatur lumina, & motiva, quæ DEUS nobis daturus

tus est. Verùm, quod ad alios sublimiores orationis gradus attinet, nisi Deus absoluta suâ liberalitate tribuat, rogo ne vos ingeratis vestra sponte, absque scitu eorum, qui vos gubernant.



DEUS SIT BENEDICTUS.

VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XIX.

Supra virtutes S. Iosephi.



Justus ut palma florebit. hunc versiculum jubet Ecclesia Dei cantari in quolibet sanctorum Confessorum festo, ea fortè de causa, quòd quemadmodum palma magnam habet varietatem peculiarium proprietatum supra omnes alias arbores, & est velut Princeps & Rex omnium, tam propter pulchritudinem, quàm propter fructuum bonitatem; ita maxima est justitiæ varietas, licet omnes justi sint justi, & æquales in justitia; nihilominus magna est improportio & diversitas inter actus particulares eorum justitiæ; sicut repræsentat tunica antiqui Iosephi, quæ pertingebat usque ad talos, eleganti Phrygio opere, & mirâ

florum

florum varietate, & pulchritudine elaboratâ. Quilibet justus habet tunicam justitiæ pertingentem usque ad talos; quod est dicere, omnes facultates & potentiæ animæ coopertæ sunt justitiâ, & interior exteriorque pars non aliud repræsentant, quàm ipsammet justitiam existentem justam in omnibus motibus & actionibus tam internis, quàm externis. Sed tamen fatendum est quamlibet tunicam esse intextam eximia florum varietate, quarum inæqualitas nihil detrahit gratiæ, neque commendationi.

Magnus sanctus Paulus Eremita fuit justus justitiâ perfectissimâ, & tamen nemo debet dubitare, quin longè pauciora charitatis opera adversus pauperes exercuerit, quàm sanctus Ioannes, qui ideò cognominatus fuit Eleemosynarius. Nunquam item habuit occasiones exercendi magnificentiam; ideòque non habuit hanc virtutem in tam alto gradu, quàm habuerunt plures alij Sancti. Habebat quidem omnes virtutes, sed non omnes in æquali gradu. Sanctorum aliqui in aliqua virtutum magis excelluerunt, alij in alijs magis præluxerunt, & omnes quidem salutem consecuti sunt; sed modis & differentijs ita diversis, ut tot fuerint discrimina eorum sanctitatis, quot fuerunt Sancti.

His igitur sic præsuppositis, noto esse tres proprietates particulares, quas habet palma inter

ter omnes alias arbores, quæ in maximo sunt numero. Quæ proprietates melius & aptius conveniunt Sancto, cujus festum celebramus, qui est (sicut sancta Ecclesia nos dicere facit) palmæ similis. O qualis, & quàm gloriosus Sanctus est Iosephus! Non modò enim est Patriarcha; sed omnium Patriarcharum coryphæus; non est simpliciter Confessor; sed plus quàm Confessor; in ejus enim confessione conclusæ sunt dignitates Episcoporum, generositates Martyrum, & Sanctorum omnium reliquorum. Iure igitur merito assimilatur palmæ, quæ est Regina arborum, quæ & habet proprietatem Virginitatis, humilitatis, & constantiæ, & strenuitatis; tres virtutes, in quibus gloriosus Iosephus maximopere excelluit; & si comparationes facere licitum esset, complures assererent eum superasse, quantum ad tres has virtutes, omnes alios Sanctos.

Inter palmas invenitur palma mascula, & fœmella. Palma mascula non fert quidem fructum, nec tamen est infructuosa; fœmella enim sine mascula, & sine ejus aspectu non ferret fructum. Vnde si plantata non sit prope palmam masculam, & ejus non fruatur obtutu, manet infructuosa, non ferens dactylos, qui sunt ejus fructus: si è contra respiciatur à palma mascula, & in ejus sit aspectu, magnam fructuum quantitatem

tem virgineè producit: quoniam nullo modo attingitur à mascula; quamvis ab ea probe respiciatur, nulla tamen est unio inter utramque, nisi quòd fructum suum sub umbra & aspectu palmæ masculæ producat, sed purissimè & maximè virgineè. Palma mascula nihil omnino contribuit de sua substantia ad istam productionem; & nihilominus nemo potest negare, quin participet de fructu palmæ fœmineæ; quia sine illa non potest ferre fructum, at manet sterilis, & infructuosa. Deus qui ab omni æternitate destinavit in divina sua providentia, ut Virgo conciperet filium, qui esset Deus & homo simul, voluit nihilominus hanc Virginem contrahere Matrimonium. Sed, ò Deus, ob quam causam, dicunt Sancti Patres, & Doctores ordinavit res duas tam differentes, quæ sunt esse Virginem, & Matrimonio junctam?

Major pars Patrum dicunt hoc ideò factum, ut impedirentur & arcerentur Iudæi ab injusta vexatione Beatæ Virgini inferenda, qui dubio procul eam non exemissent neque à calumnijs, neque ab alijs opprobrijs, sed se ipsos ejus puritatis examinatores fecissent. Addunt etiam id ideò factum, quia puritas & Virginitas ejus requirebat, ut divina providentia curam committeret alicui Virorum, nec cuicunque, sed Viro Virgini; Virgo autem concredita Viro Virgini

conci-

conciperet & produceret fructum vitæ, Christum ſcilicet benedictum ſub vmbra ſancti & immaculati Matrimonij. Ioſephus igitur fuit, velut palma maſcula; quæ quidem non fert fructum, nec tamen eſt infructuoſa; verùm multùm participat de fructu palmæ fœmineæ: non quod ſanctus Ioſephus ad ſanctam & glorioſam iſtam productionem aliquid contribuerit, præter umbram Matrimonij, quo cavebatur, ne glorioſa Domina noſtra ullis calumnijs, & cenſuris, quas ejus intumeſcens vterus peperiſſet, impeteretur. Et quamvis dictus ſanctus Ioſeph ex ſuo nihil contribuerit, habuit tamen magnam partem ſanctiſſimi fructus ſacratiſſimæ ſuæ Sponſæ. Nam ea ad illam pertinebat, ideoque plantata erat juxta illum, ut palma glorioſa apud ſuum Dilectum, quam palma maſcula denotabat, quæ juxta ordinem divinæ providentiæ non potuit, nec debuit producere, niſi ſub ejus umbra, & ad ejus aſpectum. Volo dicere ſub umbra ſancti Matrimonij, quod ſimul contraxerunt, Matrimonij, inquam, quod non erat ſecundum ordinarias leges Matrimonij, tam quoad communicationem bonorum exteriorum, quàm quoad unionem, & conjunctionem bonorum interiorum. O qualis & quàm divina unio inter Dominam noſtram glorioſam & ſanctum Ioſephum! Vnio, quæ faciebat, ut hoc bonum æternorum

bonorum,quod eſt Chriſtus benedictus, eſſet Io-
ſephi, & pertineret ad Ioſephum, uti pertinebat
ad glorioſam Virginem, non quidem ſecundum
naturam, quam traxerat è puriſſimis glorioſæ
Dominæ noſtræ viſceribus, naturam, inquam,
quæ formata fuerat miniſterio ſpiritûs ſancti ex
ſanguinibus Dominæ noſtræ, ſed ſecundum gra-
tiam, quâ efficiebatur particeps omnium bono-
rum ſacræ Sponſæ, & quæ faciebat, ut mirandum
in modum creſceret in perfectione; & hoc per
continuam communicationem, quam cum Bea-
tiſſima Sponſa ſua habebat, quæ poſſidebat o-
mnes virtutes in gradu tam excelſo, ut nulla alia
pura creatura eò poſſet attingere, nihilominus
ſanctus Ioſeph ille vnus erat, qui maximè appro-
pinquabat: hujus rei accipitote ſimilitudinem.
Quemadmodum quodpiam ſpeculum oppoſi-
tum radijs ſolis recipit in ſe modo perfectiſ-
ſimo ejus radios, & aliud item ſpeculum oppoſi-
tum primo recipienti, immediatè radios; eſto
poſterius ſpeculum non in ſe recipiat dictos ra-
dios, niſi per reverberationem, eos tamen ita ge-
nuinè repræſentat, ut vix judicari poſſit quod-
nam è duobus immediatè recipiat præfatos ra-
dios, an illud, quod oppoſitum eſt ſoli, an verò
alterum, quod non niſi per reverberationem re-
cipit: eodem modo erat circa Dominam no-
ſtram, quæ adinſtar puriſſimi ſpeculi oppoſita

erat radijs solis Iustitiæ, radijs, inquam, qui in ejus animam virtutes omnes in sua perfectione inferebant, inserebantque quæ perfectiones & virtutes creabant dein reverberationem in Beato Iosepho tam perfectam, ut propemodum videretur esse tam perfectus, totq; habere virtutes, & tam in alto gradu, atque habebat Domina nostra gloriosissima. Sed in particulari (ut in nostro inchoato proposito maneamus) in quo amabò, gradu putamus eum habuisse Virginitatem, quæ est virtus Angelis nos similes efficiens? Si sanctissima Christi mater non tantùm fuit Virgo tota quanta pura & candida; sed (ut cantat sancta Ecclesia in Responsorijs lectionum Matutini) *sancta & immaculata Virginitas* &c: si erat, inquam, ipsamet Virginitas; quantum credimus eum, qui constitutus & datus est à Patre æterno custos ejus Virginitatis, vel, ut dicam melius, socius, (neq; enim alio illa egebat custode quàm se ipsa) debuit excellere in hac virtute? Fecerant ambo votum totius vitæ decursu servandæ Virginitatis, & ecce Deus vult ut uniantur, & jungantur vinculis sancti Matrimonij, non ut vota sua irritent, aut concepti voti eos pœniteat; at vt iterum confirment, & reciprocè vnus alterum roboret ad persistendum in sancto proposito, quod propterea iterum fecerunt, ac renovârunt ad virgineè vivendũ simul toto reliquo vitæ tempore.

 Spon-

Sponſus in Canticis Canticorum admirandis utitur terminis ad deſcribendum pudorem, caſtitatem,& candorem innocentiſſimum divinorum ſuorum amorum erga charam ſuam Sponſam, multumque dilectam. Loquitur ergo ſic: *Soror noſtra parva eſt & ubera non habet: quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt? Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis*, ſeu, quod dicere vult, ex quolibet alio ligno incorruptibili confectis. Ecce ut loquitur divinus Sponſus de puritate ſanctiſſimæ Virginis, de Eccleſia, aut de anima devota! verùm ſermo iſte primariò dirigitur ad ſanctiſſimam Virginem, quæ fuit per excellentiam divina Sulamitis ſupra omnes alias exaltata. *Soror noſtra eſt parva, non habet ubera*, id eſt, non cogitat de ullo Matrimonio; quia non habet ſinum, neque ut habeat, curam ullam gerit. Quid ergo *faciemus ei in die quando alloquenda eſt?* Nonne divinus Sponſus ſemper ei loquitur quando ei placet? *In die quando alloquenda eſt:* hoc intelligitur de verbo principali, *quod dandum vel recuſandum eſt*, quando agitur cum puellis de Matrimonio contrahendo, eò quòd ſit verbum magni momenti, ſiquidem agitur de electione, & non quâcunque, ſed de ea, quæ notet vocationem & ſtatum, in quo in poſterum vivendum eſt. *Quod ſi* (inquit ſacer Sponſus) *eſt murus, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea; ſi autem oſtium*, tantum

tum abeſt, ut velimus illud confringere, ut contrà velimus duplicare & adjunctis novis tabulis ex cedro, ligno incorruptibili, confectis corroborare. Virgo glorioſa erat turris & murus perquam altus, in quorum ſeptum nullus inimicorum ingredi poterat, ſed ne deſideria quidem alia poterant penetrare, quàm quæ erant de vita perfectè, purè & virgineè traducenda. *Quid ei faciemus?* debet enim jungi matrimonio; is enim qui eam movit ad cudendum decretum de virginitate vovenda, idem ut matrimonium contraheret ordinavit? *Si eſt turris vel murus, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea* potiùs quàm demoliamur. Quid eſt glorioſus Ioſeph, niſi forte & inexpugnabile propugnaculum, quod ædificatum & ſtabilitum eſt ſuper glorioſiſſimam Virginem? ſiquidem exiſtens ipſius Ioſephi ſponſa, ſimul erat ei ſubjecta, ejusq; curam ille diligentiſſimè gerebat. Tantum igitur aberat, ut ſanctus Ioſeph videri poſſet conſtitutus ad diſſolvendum vel annihilandum votum Virginitatis, ut ei ſocius datus ſit, ut puritas illius admirabiliùs perſeveraret in ſua integritate, & ſub velo & umbra ſancti Matrimonij, & ſanctæ unionis, quam habebant ad invicem. Si ſanctiſſima Virgo eſt *oſtium* (dicit Pater æternus) nolumus ut aperiatur; *eſt enim porta Orientalis, per quam nemo poteſt intrare, neque egredi:* quin contrà, oportet

eam duplicare & munire ligno incorruptibili: id est, dare socium totum quantum purum, scilicet magnum Iosephum, qui quoad hunc effectum debuit superare omnes Sanctos, imò & Angelos, & ipsosmet Cherubinos in hac tam laudata virtute Virginitatis; virtute, inquam, quâ efficiebatur similis palmæ, uti suprà diximus.

Transeamus jam ad secundam PROPRIETATEM, & VIRTUTEM, quæ invenitur in palma; dico ego inhærens meo proposito, fieri justam similitudinem & conformitatem inter sanctum Iosephum & palmam in eorum virtute; virtute dico, quæ aliud non est, quàm sanctissima humilitas. Quamvis enim palma sit princeps arborum, est etiam omnium humillima, quod illa fatetur in eo, quòd flores suos tempore Veris clausos habeat, quando omnes aliæ arbores suos ostentant, hæc autem non sinit suos apparere, nisi quando summi sunt calores, sed tenet clausos in bursis, quæ factæ sunt in formam vaginarum. Vnde ipsa (intellige palmam) perbellè repræsentat nobis differentiam animarum, quæ tendunt ad perfectionem, modo longè ab alijs distincto ac diverso. Et hæc est differentia Iustorum ab ijs, qui vivunt secundum mundum; nam mundani & terreni homines, qui vitam traducunt juxta leges terræ, postquam habent aliquam b onam cogitationem, quæ eis videtur æsti-

matione digna; vel certè aliquam virtutem, nunquam se dant quieti, usq; dum eam manifestent, & detegant omnibus sibi obviantibus; in quo idem periculum incurrunt, quod præproperæ & nimis festinantes arbores, quæ tempore Veris protrudunt suos flores, & maximè amygdali; nam, si super eas fortè gelu veniat, pereunt, & fructum nullum ferunt. Homines mundani, qui adeò sunt leves in expandendis suis floribus tempore Veris, id est, durante vita mortali, per spiritum superbiæ & ambitionis incurrunt semper fortunam contrahendi gelu; quo facto perdunt fructus suarum actionum: è contra Iusti semper tenent omnes flores suos inclusos in vagina sanctissimæ humilitatis, nec sinunt eos erumpere (quamdiu possunt) usque dum summi sunt calores, tunc scilicet, quando DEUS divinæ Iustitiæ sol venturus est ad potenter calefacienda eorum corda in æterna vita, in qua in omnem æternitatem gestabunt fructum felicitatis & immortalitatis. Palma non sinit videri suos flores, usq; dum ardor vehementis solis findit & aperit vaginas, & thecas, vel bursas, in quibus manent inclusi; post quod, statim in propatulo omnibus videndos fructus exponit: idem facit anima justa; tenet enim flores suos absconditos, id est, suas virtutes, sub velo sanctissimæ humilitatis, usque ad ipsam mortem, in qua Dominus facit

eos reserari, & foris conspiciendos apparere: tunc enim fructus non differtur, sed palam ostenditur.

O quàm magnus hic Sanctus, de quo nobis est sermo, in hoc fuit fidelis! Non potest id ita efficaciter dici, ut dicendo quis adæquet ejus perfectionem; nam, non obstante eo, quòd fuerit in aliqua paupertate, & abjectione, nonné in ea totius vitæ suæ tempore vixit? in aliqua, inquam, paupertate, & abjectione, sub quibus absconditas & tectas magnas suas virtutes & dignitates tenebat. Sed mi Deus, quales & quantæ erant illæ virtutes? agere gubernatorem Christi Domini; neque hoc solùm, sed etiam Patrem putatitium ejusdem, quin & Sponsum sanctissimæ ejus Matris. Nihil dubito, quin Angeli in admirationem rapti, turmatim appropерârint ad videndam, considerandam, & admirandam ejus voluntatem: & tunc maximè, quando charum hunc infantem tenebat inter brachia in paupercula sua officina, in qua res suæ artis conficiebat ad nutriendum tum filium, tum Matrem, qui ei cœlitùs commissi erant. Nullum est dubium, Charæ meæ Sorores, quin Ioseph fuerit magis strenuus, quàm David, & sapientior quàm Salomon; nihilominus qui eum vidisset redactum ad exercitium fabricæ materiariæ, seu architecturæ, quomodo id credidisset, nisi de-

cla-

claratum fuisset cœlesti lumine? Ita ille sua insignia dona, quæ in eum Deus contulerat, in occulto tenebat! Sed, quam non debuit habere sapientiam, Deus siquidem ejus curæ & fidei comittebat gloriosissimum suum filium, quemq; elegerat, ut ejusdem, sicut & Matris, esset gubernator?

Si terrenis Principibus tantæ curæ est (res enim est maximi momenti) ut homines idoneos ad filios rectè educandos & gubernandos procurent, quidnî DEVS, efficere poterat, vt totius mundi virum sapientissimum, ac in omnibus virtutibus perfectissimum, juxta dignitatem & excellentem ejus, qui gubernandus erat, talem præficeret filio suo gloriosissimo, & principi cœli & terræ potentissimo? Certè potuit facere quis ergo factum negabit? quis dubitare audebit, an Ioseph donatus fuerit omnibus gratijs, omnibusq; donis, quæ merebatur munus, quod Pater æternus illi volebat conferre, Oeconomia scilicet temporalis & domestica Filij sui, unà cum administratione ejus familiæ, quæ tribus solùm constabat, quæq; repræsentabat tres personas sanctæ & ter adorandæ Trinitatis, qua in re tamen nulla est comparatio, nisi in eo, quod respicit Christum Dominum, qui est una ex sanctissimis personis individuæ Trinitatis. Nam aliæ duæ erant creaturæ; nihilominus tamen, sic lo-

qui possumus, esse scilicet unam Trinitatem in terris, quæ modo aliquo repræsentat cœlestem & æternam Trinitatem, Mariam, scilicet, Iesvm, & Iosephum; Iosephus, Iesvs, & Maria; Trinitas admiranda, & omni honore dignissima.

Intelligitis ergo, quantopere exaltata fuerit dignitas Iosephi, & quàm ineffabiliter præditus omni omnino genere virtutum. Videtis etiam, quòd aliunde magis fuerit humiliatus, quàm quisquam sibi imaginari possit. Hoc solum exemplum, nullo alibi quæsito, sufficit ad bene intelligendum. It is in suam patriam, in suam civitatem Bethlehem, & nemo præter illum, (quantum quidem sciri potest) excluditur ab omni hospitio præter illum cum sacra sua Sponsa: unde cogitur se recipere, & illam ducere in stabulum inter boves & asinos. O! in quam extremam abjectionem & humiliationem est redactus? Ejus humilitas (ut explicat sanctus Bernardus) fuit in causa, quòd voluerit dimittere Dominam nostram, quando advertit esse prægnantem. Nam, inquit idem Bernardus, formavit hunc discursum in se ipso. Ecquid est hoc? scio eam esse Virginem, simul enim Deo edidimus votum Virginitatis & puritatis in perpetuum servandæ; scio & illam inconcussum servare; & ecce adverto eam vterum gerere, & esse Matrem. Qui, amabò, fieri potest, ut mater-

nitas inveniatur in Virginitate, & Virginitas non impediat maternitatem? O Deus! (dicit apud se ipsum) an fortè est Virgo illa, de qua asserunt Prophetæ futurum, ut concipiat & sit mater Messiæ promissi? O! si hoc est, avertat Deus, ne ego, qui indignus sum, maneam cum illa; melius longè est, ut eam secretò dimittam propter meam indignitatem, & amplius non maneam in ejus sancta societate. Sensus iste tam intimus, non potest non proficisci ex admiranda & profunda humilitate, quæ similis sit sancti Petri exclamantis, quando existens in navicula, in qua erat & Salvator, vidit potentiam manifestatam in copiosa piscium captura ad solam ejus vocem jubentis retia projici in mare: O Domine, inquit, (abreptus sensu similis humilitatis sancti Iosephi) *discede à me: quia homo peccator sum*, ideoq; indignus qui tecum sim! Ego bene scio (dicere volebat) quod si me in mare projecero, sim periturus; sed tu, qui omnipotens es, ambulabis super aquas absque ullo submersionis periculo: & ideò te humillimè rogo, recede à me, sed à te non recedam ego.

Verùm si sanctus Ioseph erat solicitus, ut verè erat, de occultandis suis virtutibus sub velo sanctissimæ humilitatis, longè adhuc majorem & magis singularem solicitudinem gerebat de abscondenda pretiosa Virginitatis Margarita; ac pro-

proinde eò etiam libentius conſenſit in Matrimonium cum Domina noſtra contrahendum, vt ſic nemo eum agnoſcere poſſet, dum ſub velo ſancti Matrimonij coopertus & ſecretus vitam tranſigeret. Hinc Virgines & quicunque alij, qui caſtè cogitant vivere, docentur non eſſe ſatis, eſſe Virgines, niſi ſimul ſint humiles, & puritatem ſuam abſcondant in pretioſa pyxide humilitatis: nam aliàs eveniret, quod evenit fatuis Virginibus, quæ defectu humilitatis, & charitatis miſerentis, excluſæ fuerunt per Sponſum à nuptijs. Et propterea coactæ ſunt ire ad mundanas nuptias, in quibus minimè obſervatur conſilium cœleſtis Sponſi: qui dicit eum eſſe oportere humilem, ut ei pateat ingreſſus ad nuptias. Intendo dicere, exercendam eſſe humilitatem; nam monet euntes ad nuptias, vel invitatos ad eaſdem *ut recumbant in noviſſimo loco.* In quo videmus quantopere neceſſaria ſit humilitas ad Virginitatis conſervationem; ſiquidem certum eſt eum minimè guſtaturum convivium cœleſte, neq; cœnam nuptialem (quæ Deus in manſione cœleſti præparat Virginibus) niſi in quantum comitem habuerit virtutem humilitatis.

Non collocantur conſervandæ res pretioſæ, & maximè unguenta odorifera in aperto aëre; nam præterquam quòd ſuos odores exhalarent, muſcæ ea deſtruerent, ſicq; jacturam facerent

ſuæ

ſuæ dignitatis & valoris. Eodem modo animæ juſtæ timentes perdere valorem & pretium bonorum ſuorum operum, recludunt ordinariè ea in pyxide; ſed non in communi (ſicut nec vnguenta pretioſa recluduntur) ſed in pyxide ex alabaſtro elaborata: (tali ſcilicet, qualis fuit ea, quam ſancta Maria Magdalena fudit ſupra ſacrum Salvatoris caput, quando illam reſtituit, & iterum ſtabilivit in Virginitate, non eſſentiali quidem, ſed poſt lapſum reparata. Quæ ſubinde eſt excellentior, poſtquam acquiſita, & in integrum reſtituta eſt per pœnitentiam, quàm ea, quæ nunquam paſſa eſt detrimentum, & eam minor comitabatur humilitas. Hæc igitur pyxis ex alabaſtro confecta, eſt humilitas: in qua ad imitationem Beatæ Virginis & ſancti Ioſephi includere debemus noſtras virtutes, & omnia illa, quæ cauſa eſſe poſſent, vt vellemus ab hominibus æſtimari, cùm ſtudere debeamus ſoli Deo placere, & latitare ſub ſacro abjectionis noſtri ipſorum velo, expectantes (uti antè diximus) ut Deus veniens in ſede ſecuritatis (quæ eſt gloria) nos locet, faciatq; virtutes noſtras ad ſui nominis gloriam & honorem apparere.

Sed dicite, quæ perfectior humilitas poteſt excogitari, quàm fuerit ſancti Ioſephi? (Pono interim Beatæ Virginis virtutes ad partem; jam enim diximus ſanctum Ioſephũ recepiſſe magna

omnium

omnium virtutum incrementa per modum & formam reverberationis, quas sanctissimæ Virginis virtutes in eo procreabant) habet is maximam partem in hoc thesauro divino, quem penes se habuit, Christum scilicet Dominum nostrum: & interim se ita gerit demissè & humiliter, ut videri posset ex eo non habere partem, & tamen ad illum ita pertinet, ut (post sanctam tamen Virginem) ad neminem alium magis pertineat: & hoc nemo in dubium potest revocare: siquidem ex ejus erat familia, & filius suæ Sponsæ, quæ ad ipsum pertinebat. Consuevi dicere, quod si columba quæpiam (ad efficiendam comparationem magis conformem puritati sanctorum, de quibus mihi est sermo) ferret suo rostro dactylum, palmæ fructum, & eum sineret cadere in aliquo horto, nonné diceretur palma, quæ ex eo orta esset, pertinere ad eum, cujus est hortus? Posito hoc ita se habere, quis dubitabit, quin dactylus ille Christus nempe benedictus, quem Spiritus Sanctus sivit svaviter labi in horto, pertineat ad eum, cujus est hortus? sivit autem Spiritus Sanctus, vt cœlestis columbus, labi in horto clauso ac solidè firmato sanctissimæ Virginis: horto, inquam, *signato*, & omni ex parte sepibus voti sanctæ Virginitatis & castitatis immaculatæ cincto; hortus autem ille spectabat ad gloriosum Iosephum, uti fœmina aut Sponsa spe-

ſpectat ad Sponſum ſuum; quis ergo dubitabit, vel quis dicere audebit divinam iſtam palmam, quæ fert fructus, qui nutriunt ad immortalitatem, non pertinere ſimul cum Sponſa ad hunc magnum Ioſephum? qui non ideò tamen ex hoc magis ſe extollit, neque fit ſuperbior, quin imò ſemper humilior. O Devs! quàm jucundum & ſvave erat videre reventiam & reſpectum, quibus humilis hic Ioſeph agebat tam cum Matre, quàm cum filio?

Quod cogitavit derelinquere Matrem, neſciens adhuc perfectè magnitudinem & excellentiam ſuæ dignitatis, in quali quantaque putas admiratione, & profunda ſui exinanitione fuit poſtea, quando animadvertit ſe eò uſque honorari, ut Chriſtus Dominus, & Domina noſtra omnibus ejus voluntatibus obtemperarent, nihilq; omnino facerent, niſi eo mandante? Hæc res talis eſt, quæ comprehendi nequeat: ac proinde tranſimus ad tertiam proprietatem, quam in palma animadverto: quæ eſt ſtrenuitas, conſtantia, & fortitudo, virtutes, quæ fuêre in noſtro ſancto Ioſepho in gradu perquam eminente.

Palmæ fortitudo, & conſtantia in eo cognoſcitur maxima, quòd ſuper omnes alias ſit arbores, & omnium ſit prima, oſtendens robur ſuum & conſtantiam in eo, quod quantò magis onerata

rata eſt, tantò magis in altum ſurgit, fitq́; altior; quod contrarium eſt non ſolummodò alijs arboribus, ſed omnibus alijs rebus: nam quò magis onerantur, eò magis verſus terram ſe inclinant; at verò palma monſtrat ſuam fortitudinem & conſtantiam, non ſubmittendo ſe, & nunquam ſe demittendo, quocunque tandem pondere oneretur: ei enim ita innatum eſt in altum tendere, ut neſciat deorſum. Oſtendit ſuam ſtrenuitatem in hoc, quòd ejus folia ſint ſimilia gladijs, & videtur tot habere, quot fert folia. Iuſtiſſima de cauſa ſanctus Ioſephus dictus eſt ſimilis palmæ: ſemper enim fuit ſtrenuus, conſtans, & perſeverans.

Magnum autem eſt diſcrimen inter conſtantiam & perſeverantiam, inter fortitudinem & ſtrenuitatem. Vocamus hominem conſtantem, qui firmus eſt, & præparatus ad excipiendos, & ſuſtinendos inimicorum ſuorum aſſultus, & quidem abſque eo, quod terreatur animové cadat, pugnâ durante; perſeverantia autem reſpicit præcipuè certam quandam interiorem animi ægritudinem, quam experimur in diuturnitate dolorum ac pœnarum, quæ verè eſt inimicus adeò potens, ut vix potentiorem ſit reperire.

Porrò perſeverantia facit, vt homo ſuum contemnat inimicum, & taliter quidem contemnat, vt victor per continuam æqualitatem & ſubmiſ-

ſionem

ſionem cum voluntate Dei, evadat. Fortitudo eſt id, quod facit hominem potenter reſiſtere aſſultibus, & aggreſſibus inimicorum: verùm ſtrenuitas eſt virtus hujuſmodi, quæ non ſolùm facit ut homo ſit in promptu ad pugnandum & reſiſtendum, data præſenti occaſione; ſed etiam facit, ut ipſe ſtatim, nullo edito verbo, ſuum aggrediatur inimicum. Noſter autem glorioſus Ioſephus omnibus iſtis virtutibus fuit munitus, omneſque admirandâ ſolertiâ exercuit.

Quod ad ejus conſtantiam ſpectat, quàm clarè, amabò, viſendam tunc oſtendit, quando animadvertit Beatam Virginem eſſe prægnantem, & neſciens quomodo id fieri poterat (Deus bone, quales anguſtias, qualia tædia, ac ſpiritûs agitationes non habuit!) nihilominus non queritur, non eſt auſterior, nec inſvavior erga ſuam Sponſam, ſicut nec illam ea de cauſa durius tractat; ſed manet æquè mitis, ac reverens, ſua ex parte, ac aliàs ſolebat. At qualem STRENVITATEM, qualem FORTITVDINEM non teſtatur victoria, quam reportavit de duobus maximis hominis hoſtibus, Diabolo ſcilicet & Mundo? & hoc per accuratiſſimum exercitium humilitatis actuum, uti notavimus in decurſu totius vitæ illius. Diabolus tantus eſt humilitatis inimicus, eò quòd iſtius virtutis defectu intelligat ſe de cœlo dejectum, & ſimul in Infernum præcipita-

tum (quasi humilitas esset causa ejus lapsûs, & non potius illemet humani generis hostis infensissimus, quòd eam non elegerit, nec habere voluerit comitem, & sociam inseparabilem) ut nulla sit inventio, neque artificium, quæ non adhibeat ad abstrahendum hominem ab ea virtute; & hoc tantò magis, quantò ea virtus, illum Deo reddit acceptiorem. Vnde veritati consentaneè dicere possumus: strenuus & fortis est homo ille, qui adinstar Iosephi in ea firmus perseverat; dum simul & semel gloriosus existit triumphator de Diabolo & mundo, qui aliud non spirant, quam ambitionem, vanitatem, & detestandam superbiam.

Quantum autem ad perseverantiam, quæ virtus est opposita interiori inimico, qui est tædium quoddam vobis proveniens ex continuatione rerum abjectarum, humiliantium, pœnariarum, & adversarum fortunarum, si ita loquendum est, vel certè ex diversis accidentibus, quæ nobis passim eveniunt. Deus bone, quantopere Sanctus hic probatus est à Deo, & ab hominibus, & cùm aliàs, tum maximè in suo itinere! Angelus ei mandat, vt promptè ac è vestigio iter suscipiat, Dominam nostram, Sponsam suam, & charissimam ejus filium in Ægyptum ducat; nec mora, iter aggreditur, nullo in contrarium verbo allato; non sciscitatur quò sit iturus? quâ viâ per-

perrecturus? & multò minus quibus auxilijs se & suos aliturus? à quo recipientur hospitio? Discedit, & fortassis sua instrumenta secum gestat, ut eorum usu ea, quæ ad suam, tum ad suæ familiolæ vitam sustentandam spectant, in sudore vultus sui lucretur. O quantâ vehementiâ interior ægritudo, de qua loquimur, eum premere poterat, & maximè, quod Angelus ei non definierat tempus, quo manere debebat in Ægypto. Atque adeò nequibat vllam stabilem habitationem conducere, ignarus adventus Angeli, se & suos revocaturi. Si sanctus Paulus tantopere admiratus est obedientiam Abrahæ, quam exactissimè præstitit, quando DEVS ei mandavit *discedere de terra & de cognatione sua*, quia DEUS non dixit, quam partem tenere deberet, nec id ipse Abraham quæsivit, quod tamen ut minimùm quærere poterat: Domine, tu mihi dicis, ut egrediar; dic ergo, humiliter obsecro, an egredi debeam per portam Meridionalem, an verò Aquilonarem? Tacuit ille, & aggressus est iter, ivitq; quo Dei spiritus eum ducebat. Quam admiranda est & perfecta ista sancti Iosephi obedientia! Angelus ei non dixit, quamdiu mansurus esset in Ægypto, & ille non inquisivit: mansit autem, ut communior est opinio, quinq; annorum spatio, non informans se de suo reditu, certo sibi pollicens, quòd is, qui mandaverat, ut

eò pergeret, ſibi viciſſim ſignificaret tempus & occaſionem reditûs, quem nunquam non præſtolabatur, ad obediendum promptiſſimus.

Erat is in terra non ſolùm extranea; ſed quàm maximè Iſraëlitis inimica. Quia Ægyptijs adhuc altè animo infixa hærebat plaga, quam acceperant ab Iſraëlitis tum Ægyptum doloſè deſerentibus, tum cauſâ exiſtentibus ruinæ non exiguæ partis ſuorum in mari rubro, ſubmerſorum. Tibi conſiderandum relinquo, quantum deſiderium habere potuerit Ioſephus in patriam redeũdi partim ob timorem continuũ, qui, dubio procul deeſſe nõ poterat habitanti inter Ægyptios, partim ob ignorantiam temporis ſui, reditûs, ejus animum plurimùm affligentem; nihilominus, qui erat, ſemper manebat, ſvavis, tranquillus, & perſeverans, ſubmittensque ſe divino beneplacito, à quo plenè ſinebat ſe gubernari; nam cùm eſſet juſtus, ſemper habebat ſuam voluntatem conjunctam & conformatam divinæ. Eſſe enim Iuſtum, aliud non eſt, quàm eſſe perfectè vnitum voluntati Dei, & in omni rerum eventu, ſive proſperarum, ſive adverſantium, ejuſdem voluntati animum gerere conformem. Quod autem ſanctus Ioſephus omnibus in occaſionibus ſemper ſe ſubmiſerit perfectè voluntati divinæ, dubitari non poteſt; vides enim quomodò Angelus in omnem partem ad lubitum dirigat, vertatque.

Dicit

Dicit illi, vade in Ægyptum, vadit, jubet vt inde redeat, redit. Deus vult vt semper sit pauper (quod est unum è potentioribus & urgentioribus experimentis, quæ nobis exhibere potest) paupertati perquam amorosè sese submittit, & hoc non ad breve aliquod tempus, sed usque ad finem vitæ. At cui paupertati? contemptibili, miseræ, & rerum multarum indigæ.

Paupertas voluntaria, quam profitentur Religiosi, valde est amabilis; non impedit siquidem quò minus recipiant, & accipiant res suis usibus necessarias, sed cavet & reijcit superfluas; at verò paupertas sancti Iosephi, Christi Domini, & Beatæ Virginis minimè erat talis: nam licet fuerit voluntaria, eò quòd charissima illis fuerit, non ideò non erat abjecta, vilis, contemptibilis, & plurimis rebus indigens. Quilibet enim magnum hunc Sanctum habebat loco vilis, & ad speciem externam abjecti Carpentarij, seu fabri, qui dubio procul nequibat opificio suo tantum lucrari, quantum sat esset ad res necessarias procurandas, esto magnopere in id incubuerit, ut haberet sustentationē, parvæ quidem ad speciem, sed re ipsâ totius mundi maximæ familiæ. Adhibito dicto conatu ad familiam quoquo poterat modo alendam, humillimè se submittebat Dei voluntati, offerebatq; se ad continuandam consvetam paupertatē abjectio-

nem, nec sinebat vllo modo se vinci, aut prosterni ab interiori ægritudine : quæ dubio procul plurimis assultibus oblatis ei insultabat; at semper manebat constans in subjectione, quæ (ut omnes aliæ virtutes) continuò crescebat in perfectiorem. Atque Domina nostra, quæ non sinebat diem vllum transire sine linea, id est, sine lucro spirituali, quod indies accipiebat è virtutibus, perfectionibus, & bonitate sanctissimi filij sui (qui licet crescere non potuerit in re aliqua, quia ab instanti suæ conceptionis fuit talis, qualis nunc est, & æternaliter erit, potuit tamen efficere, ut sancta familia, in qua ipse numerabatur, quotidie cresceret, & vlterius progrederetur in perfectione) sancto Iosepho (ut diximus) communicabat.

Quid nunc superest nobis dicendum, nisi quòd nullo modo dubitare debeamus, quin gloriosus hic Sanctus maximi sit in cœlo apud eum, qui tantoperè illum amavit, ut vix dubitandum videatur, quin eum unà cum corpore & anima ad cœlos assumpserit. Et ex eo redditur comprimis id probabile, quòd nullas hisce in terris ex eo habeamus reliquias. Quare puto ea de re neminem dubitare debere. Quomodò enim recusare potuisset gratiam istam sancto Iosepho is, qui totius vitæ suæ tempore fuerat ei tam obediens? dubio procul Dominum nostrum ad

Lim-

Limbum descendentem allocutus est Beatus Ioseph hunc, aut similem in modum: DOMINE MI GLORIOSISSIME, si placet, recordare, quòd, quandò è cœlo in terras venisti, te in domum meam receperim inter meam familiam, & à tempore tuæ Nativitatis sæpe sæpius te intra mea brachia gestàrim: nunc, ò nunc iturus ad Cœlum, humiliter rogo, ducito me tecum; recepi te in meam familiam, recipe me inter tuam, siquidem ad eam vadis; te super mea brachia creberrimè elevavi, nunc, obsecro, supra tua me attolle; & uti solicitus fui, ut te enutrirem, & gubernarem, durante cursu vitæ tuæ mortalis, mei nunc curam suscipito, & me deducito ad vitam immortalem. Et, si verum est, quod firmiter credere debemus, quòd in virtute sanctissimi Sacramenti, quod recipimus, corpora nostra resuscitanda sint in die Iudicij, quomodò dubitare poterimus, quin ascendere fecerit ad cœlum unà secum cum corpore & anima gloriosissimum sanctum Iosephum? quem in terris eo honore prosecutus, eiq; gratias singulares elargitus fuerat, & inter cæteras sinendo se sæpius inter benedicta ejus brachia portari: brachia, inquam, in quibus Christus Dominus sibi valde sæpe complacuerat? O quot svavissima ei oscula benedicto suo ore, in mercedem & compensationẽ qualem qualem pro ejus laborib⁹ in se nutriendo susceptis, fixerat!

Sanctus igitur Ioseph est in cœlo cum corpore & anima, & hoc ſine ullo dubio. O quàm erimus beati, ſi mereamur habere partem aliquam in ſanctis ejus interceſſionibus! nihil enim ei recuſabitur, neque à noſtra Domina, neque à glorioſo ejus filio. Obtinebit nobis, ſi ei nos confidamus, eximium incrementum in omni genere virtutum; ſed ſpecialiter in eis, quas in eo deprehendimus eſſe in altiori gradu, quàm omnes aliæ. Sunt autem ſanctiſſimæ corporis & animæ puritas, amabiliſſima virtus humilitaris, conſtantiæ, ſtrenuitatis & perſeverantiæ. Virtutes certè, quæ contra noſtros inimicos efficient nos in hac vita victores, quæque mereri nos facient gratiam, ut euntes ad alteram, eis fruamur præmijs, quæ præparata ſunt illis, qui imitantur exempla, quæ ſanctus Ioſephus exiſtens in hac vita ijs præbuit; præmijs, inquam, quæ breviora non erunt æterna felicitate, in qua clarâ Patris, Filij, & Spiritûs Sancti viſione perfruemur.

DEUS SIT BENEDICTUS.

VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XX.

In qua quæritur, qualem intentionem habere debeamus ingrediendo Religionem?



Væstio, quam mihi proponit nostra Mater, charissimæ filiæ, de declaranda vobis intentione, quam habere debent, quotquot volunt intrare Religionem, est maximi momenti, maximè necessaria, maximeque utilis, si quæ alia. Sic autem res habet, Charæ filiæ: complures puellæ intrant Religionem, nescientes quare: ingrediuntur, exempli causâ, locum collocutioni assignatum: vident ibi Religiosas serenâ facie, bene moratas, modestas, sua sorte contentas, dicunt intra se: *mi Deus, quàm bene ibi agitur! eamus & nos, nam mundus malè nos excipit, neq; invenimus in eo res, quas animo perceperamus, vulgò prætensiones.* Altera dicit, *ô quàm bene intus cantatur!* Aliæ veniunt, ut inveniant pacem, consolationem, omniaque svavitatis genera, dicentes in suis cogitationibus: *Mi Deus, quàm beatæ sunt Religiosæ! sunt extra querelas, & continuas patris & matris reprehensiones, qui aliud propè non agunt, quàm increpant, omniaq; replent clamoribus, nihil fieri potest, quod ijs placeat, oportet*

ſemper eandem telam ordiri : Chriſtus promittit ijs,qui mundum relinquunt, & ſuo ſervitio ſe addicunt,multas conſolationes, ADEAMVS ERGO RELIGIONEM.

En charæ filiæ tres prætenſiones (ita enim ut intelligar, loquor) quarum nulla valet ad intrandum,& jugiter inhabitandam Dei domum. Ad eam duci nos oportet manu Dei, ille enim ſolus eſt, *qui ædificat civitatem*, proinde ſi ædificata eſt ab alio,deſtrui oportebit. Credo, charæ filiæ,prætenſiones veſtras toto cœlo à dictis diſtare, ideoq; etiam credo vos omnes eſſe optimæ mentis, DEVMque conſequenter incipienti parvo huic gregi magnas benedictiones & dona largiturum.

Veniunt mihi in mentem duæ ſimilitudines ad vos edocendas,ſuper quid & qualiter veſtra prætenſio fundata eſſe debeat,vt ſolidè conſiſtat: verùm contentus ero explicatione unius, quæ ſufficiet. Poſito caſu, quo Architectus quispiam velit domum exſtruere, oportet eum duo facere : primò debet conſiderare, an ædificium, quod habet præ manibus, vſui eſſe debeat cuipiam privato, an Principi,aut Regi : quia in eo procedere debet modo longè diſpari. Deinde per otium ſedens computare debet ſumptus, *qui neceſſarij ſunt, ad perficiendum, ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit*

adi-

ædificare, & non potuit consummare. Pòst, oportet resolvere se ad demoliendum, & destruendum antiquum ædificium, quod occupat locum, in quo novum est ædificandum.

Intendimus, charæ filiæ, erigere magnum ædificium, quod est apud nos Deo parare mansionem: ideoq; maturè considerandum nobis est, an sufficienter animum determinatum habeamus, ad nos ipsas demoliendas, annihilandas, nec non crucifigendas, vel potius ad permittendum Deo, ut nos ille annihilet, & annihilatas crucifigat ac reædificet, ut simus vivum ejus Majestatis templum. Dico igitur, optimæ filiæ, intentionem nostram esse debere Nos INTIMÈ DEO VNIRE, sicut Christus Dominus se suo Patri moriturus in cruce univit. Non enim intendo vobis loqui de generali unione, quæ fit in Baptismo, in quo Christiani se uniunt DEO, dum divinum hoc Sacramentum suscipiunt vnà cum charactere Christianismi, seq; obligant ad servanda ejus mandata & simul sanctæ Ecclesiæ; exercere item se in bonis operibus, virtutumq; fidei, Spei & Charitatis actus elicere. Quo posito eorum unio est valida, & possunt omni jure prætendere æternam beatitudinem, uniendo se per hoc medium Deo suo. Vltra hoc non obligantur, jam enim attigerunt finem suum per viam generalem & specialem mandatorum.

Sed

Sed quantum ad vos, Charæ filiæ, non ſic res procedit: nam ultra hanc communem obligationem, quam habetis cum omnibus Chriſtianis, Deus vos amore omnino ſingulari elegit, ut ſuæ amantiſſimæ ſitis Sponſæ. Sciendum eſt, quomodo, & quid ſit eſſe Religioſas; eſt eſſe Deo religatas bonâ religione per continuam mortificationem noſtri ipſarum; eſt & non vivere, niſi Deo ſoli, ſervando ſemper proprium cor divinæ ejus Majeſtati, quin & oculos, linguam, manus, & quidquid aliud ſupereſt continuò eidem ſervando, & conſecrando. Vnde videtis vobis à Religione ſuppeditari media propria ad iſtum effectum, quæ ſunt, oratio, lectio, ſilentium, ſeceſſus proprij cordis ad quieſcendum in Deo, ſuſpiria, & continuas mentis in Deum ejaculationes. Et quia eò nequimus pertingere, niſi per aſſiduum ſtudium, & exercitium continuæ mortificationis omnium paſſionum, inclinationum, pravorum habituum, & averſionum, tenemur, obligamurq; nunquam non vigilare ſuper nos ipſos, ut iſta non tantùm mortificemus, ſed etiam morti tradamus.

Noſtis, Charæ filiæ, *granum frumenti niſi cadens in terram mortuum fuerit, ſolum manere: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum afferre.* Chriſti verbum eſt chariſſimum; ſacratiſſimo enim ſuo ore ipſemet pronunciavit. Hinc vos, quæ deſideratis

habi-

habitum, & vos aliæ, quæ sanctam professionem expectatis, etiam atque etiam, iterum atque tertiò considerate, an sufficienter statueritis, mori vobis ipsis, & non nisi Deo vivere: ponderate, inquam, accuratè omnia, tempus adhuc longum superest antequam vela vestra tingantur colore nigro. *Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.* Dico enim vobis clarè, Charæ filiæ, nec volo vobis adulari, quæcunque desiderat vivere secundùm naturam, maneat in mundo; quæ autem statuerunt vivere secundum gratiam, veniant ad Religionem; quæ aliud non est, quàm schola abnegationis & mortificationis sui ipsius; quam in rem videtis vobis suppeditari multa utensilia, seu instrumenta mortificationis tam interna, quàm externa. Eheu! dicetis mihi, non ista quærebam; putabam enim sufficere esse bonam Religiosam, habere desiderium bene & piè faciendi orationem, habere visiones & revelationes, videre Angelos in forma hominis, rapi in extasim, amare vnicè lectionem bonorum librorũ: & quid non? adeò eram studiosa virtutũ, & ut mihi videbatur, ita mortificata, ita humilis, quid multis? totus mundus me mirabatur. Nonné erat esse humilẽ loqui multùm & svaviter meis consodalib⁹ & sociabus de reb⁹ pijs, referre sermones domi, quos audieram in tẽplo, mansvetè agere cum omnibus domesticis, præsertim autẽ, quando non contradicebant.

Hoc

Hoc quidem, Charæ filiæ, valebat pro mundo: at verò Religio vult, ut nos præstemus opera digna vocatione, id est, vult ut nobis ipsis omnibus in rebus, tam in bonis (& quæ faciunt ad nostrum gustum) quàm in malis, & molestis, moriamur. Putatisné bonos illos desertorum incolas, & Religiosos, qui pertigerunt ad maximam cum Deo unionem, sequendo suas inclinationes eò perfectionis devenisse? Minimè profectò, mortificârunt se in rebus etiam sanctioribus: & quamvis habuerint magnum desiderium cantandi divina cantica, ad legendum, orandum, & res alias peragendas, ea non exercebant ad placendum & satisfaciendum sibi ipsis; non profectò, sed contrà voluntariè se privabant illa delectatione, vt exercerent opera laboriosa & pœnaria. Verum quidem est, animas Religiosas recipere plurimas svavitates & delectationes inter mortificationes, & alia sanctæ Religionis exercitia, ijs enim præcipuè Spiritus sanctus impertit dona perquam pretiosa; ideoque non nisi DEVM, & mortificationem pravorum affectuum, passionum, & inclinationum, in Religione quærere debent: si enim aliud quærunt, non invenient unquam consolationem quam spe venientes ad Religionem devorârant.

Quare gerere oportet animum invincibilem, ut nos ipsos à nobismet ipsis elongemus, ac penitus

nitus ſeparemus, quia ſemper & in omnibus aliquid habebimus, quod agamus & reſecemus. Officium bonorum Religioſorum debet eſſe, bene excolere ſuum ſpiritum, eradicare omnes inutiles & velut adulterinas plantarum emiſſiones, quas depravata noſtra natura facit indies & in horas germinare. Atque ita vix vnquam deeſt, quod reparetur. Et ſicut agricola non debet ægrè ferre, non enim meretur reprehenſionem, quòd copioſam meſſem non collegerit, poſito tamen quòd curam habuerit excolendi, & ſeminandi terram prout conveniebat: eodem modo non debet turbari Religioſus, ſi non ita citò colligat fructus, quos cuperet perfectionis, & virtutum, dummodò fideliter & accuratè excolat terram cordis ſui, reſecando quidquid apparet eſſe contrarium perfectioni, ad quam aſpirare ſeſe obligavit: nunquam ſiquidem ab omni ſpirituali infirmitate liberabimur, antequam recipiamur in domicilium eorum, qui dicere poſſunt *laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Quando regula veſtra vobis dicit, ut horâ aſſignatâ petantur libri, putatisné, quòd ordinariè ei vobis ſint dandi, quibus maximè delectamini? Minimè gentium; non ea eſt regulæ intentio, ſicut nec aliorum VISITATIONIS exercitiorum. Sorori cuipiam ſuo judicio propenſæ ad orationem faciendam, ad officium dicendum, ad receſſus cordis

quæ-

quærendos & excolendos dicitur, vade tu ad culinam, vel certè fac talem vel talem rem, nuncium hoc puellæ devotæ minimè arridet. Dico proinde nobis esse moriendum, ut DEVS vivat in nobis: impossibile siquidem est acquirere animæ nostræ perfectam cum Deo unionem, modo alio, quàm per mortificationem. Durus est hic sermo, MORIENDVM EST; verùm eum sermonem magna sequitur svavitas, dum, obitâ morte, unitur arctiùs Deo. Debetis scire, neminem prudentem *mittere vinum novum in utres veteres*: liquor divini amoris non potest crescere, vbi vetus Adam regnat; necessariò proinde destruendus est. Sed quomodo, dicetis mihi, destruendus est? Respondeo, quomodo? Charæ filiæ, per obedientiam exactam in vestris Regulis expressam: ex parte Dei certas & securas vos facio, quod si fideliter feceritis, quod vos docent, dubio procul pertingetis ad finẽ, ad quem debetis toto corde aspirare, qui est, vos DEO unire. Notate quod dixerim, FECERITIS: non enim acquiritur perfectio decussatim brachia complicando; oportet laborare seriò, & se ipsum domare ac cicurare, vivere scilicet secundùm rationem, regulam & obedientiam; non autem juxta pravas inclinationes, & consvetudines, quas ex mundo nobiscum attulimus. Fert quidem Religio & sinit, ut adferamus, nobiscum

malos

malos habitus, si quos habemus, passiones & minùs ordinatas propensiones, sed non ut vivamus secundum illas; exhibet nobis regulas, quæ sint cordibus nostris loco prælorum, quibus eijciatur, quídquid DEO est contrarium. Erigite igitur animos, & vivite secundum dictas regulas, dum tempus conceditur.

Sed dicet aliqua ex vobis, mi DEVS! quid & qualiter agam non habens spiritum Regulæ? Credo, chara filia, & hoc minimè gravatè; spiritus regulæ non est res talis, quam quis è mundo secum ferat ad Religionem; sed is fideliter exercendo regulam, acquiritur: & idem vobis assero de HVMILITATE, & SVAVITATE, FVNDAMENTO hujus CONGREGATIONIS. DEVS certissimo eum nobis dabit, dummodò simus bonæ mentis, & quantùm in nobis est, ad eum acquirendum, faciamus. Beati erimus nos, si vel quadrante unius horulæ ante mortem, inveniamur vestiti istâ tunicâ; quin & totius vitæ nostræ labor præclarè censebitur impensus, si eam totam quantam insumpserimus ad consvendam, & conficiendam dictam tunicam; nunc adijciendo unum fragmen, nunc alterum; non enim sanctus iste habitus conficitur uno fragmento panni, sed necessariò debent esse plura. Fortassis putatis perfectionem inveniri usque adeò perfectam, ut solummodo induenda sit, ut quævis alia vestis;

non sic, Charæ filiæ, non sic res ista peragitur. Tu Venerabilis Mater, dicis nostras Sorores expectare, ut concepti sui voti compotes fiant, esse easdem bonæ voluntatis; verùm deesse illis efficaciam, quo minùs, quod intēdunt, valeant adimplere; dicis insuper eas experiri suas passiones adeò in malo roboratas, ut timeant non parum, mente conceptum iter ingredi. Erigite vos in spem, Charæ filiæ, sæpius vobis dixi Religionem esse scholam, in qua lectio addiscitur: scholæ autem Magister non semper requirit, ut sui scholares ita memoriâ suas lectiones teneant, ut nihil unquam, eas recitando, mente excidat, sat est, ut nitantur facere, quod in se est, studendo suis lectionibus. Faciamus & nos quod possumus, & Deus ac Superiores erunt nostro studio contenti. Nonné videtis ex ijs, qui addiscunt usum tractandi arma, sæpe aliquos cadere? Eodem modo cadunt subinde ij, qui arti equitandi operam dant: sed non ideò statim se victos fatentur, alia enim est res subinde deijci, & alia omnino vinci. Passiones vestræ quandoq; vobis resistunt, & ideò dicet fors è vobis aliqua, non sum idonea ad Religionem, quia ego abundo passionibus. Respondeo non, non, Charæ filiæ, res sic agitur. Religio non multùm triumphat in anima quapiam svavi, & tranquillo ingenio ad frugem educenda, sed magni æstimat

reducere ad virtutem animas jam roboratas in suis inclinationibus: si enim animæ illæ sint fideles, & studiosæ, superabunt has, acquirentes fervore spiritûs id, quod illæ habent sine labore. Non petitur à vobis, ut non habeatis passiones (id enim non est in vestra potestate; adde quòd DEVS velit vos cum illis certare usque ad mortem pro augmento vestrorum meritorum) neq; vt eæ sint debiles; hoc enim esset dicere, animam malis habitibus possessam non esse aptam ad Deo serviendum. Mundus decipitur in hac cogitatione, quia quod est sine malitia, vel potius actuali malignitate, Deus minimè reprobat.

Dicitote enim mihi, quo ex capite promeruit aliquis, quòd talis vel talis sit temperaturæ, subjectus tali vel tali passioni? Totum dependet ex actibus, quos facimus ex motu, qui dependet à nostra voluntate, peccato existente ita voluntario, ut, si negemus nostrum consensum, nullo modo sit peccatum. Pone casum quòd me invadat, & opprimat gravis cholera, eique me dicere: verte te huc, verte te illuc, & crepa, si lubet, nihil omnino facturus sum in tuum favorem, & ne vnam quidem voculam pronunciaturus, propter, & juxta motum quem in me excitas. Deus elargitus est nobis hanc potestatem & libertatem, alioquin petendo à nobis quampiam perfectionem, obligare esset nos ad

faciendam rem, quæ in nostra non esset potestate, ac proinde ad injustitiam, quæ inveniri non potest in DEO.

Ad hoc propositum mihi venit in mentem referre historiam, quæ vobis est propria. Quando Moyses descendit de monte, in quo ei locutus fuerat Dominus, *vidit populum*, qui, postquam conflasset sibi vitulum aureum, eum adorabat: accensus is justâ cholerâ *zeli gloriæ Dei, dixit stans in porta castrorum, versus ad Levitas: si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatiq; sunt ad eum omnes filij Levi, quibus ait: hæc dicit Dominus Deus Israel:* ponat vir gladium super femur suum: *ite & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occidat unusquisq; fratrem & amicum, & proximum suum. Feceruntq; filij Levi juxta sermonem Moysi, ceciderunq; in die illa quasi viginti tria millia hominum.* Adde quod eximius maximè habebatur ille, qui plures occidisset. Eodem modo, charæ filiæ, arripite & vos gladios mortificationis in manus vestras ad occidendas & ad nihilum redigendas vestras passiones; quæcunque plures occiderit, maximè strenua habebitur, modò dein gratiæ Dei velit cooperari.

Duæ hæ IUVENCULÆ ANIMULÆ, quas hic adstantes videtis, (earum una excessit aliquantulum annum decimum sextum, altera decimum quintum complevit) parum habent quod occidant, cùm earum spiritus vix in lucem prodierit: verùm magnæ illæ animæ, quæ quàm plu-

rima jam expertæ ſunt, & paradiſi dulcedinem deguſtârunt, earum eſt officium prorſus occidere & annihilare, quotquot adhuc habent paſſiones.

Quod attinet ad illas, quas tu Venerabilis Mater deſignas, quæ ita expetunt perfectionem, ut omnes alias virtute excedere velint, bene faciunt, nonnihil conſolando proprium ſuum amorem, ſed facient ſatis, communitatem ſequendo, Regulas accuratè ſervando: ea enim recta eſt via ad Deum veniendi. Beatæ eſtis vos, charæ filiæ, præ nobis in mundo degentibus: quando nos petimus iter, dicit unus aliquis nos rectâ ire viâ, alter autem dicit tenendam ſiniſtram; & tandem ut plurimùm decipimur; vos autem nihil aliud facitis, quàm quòd vos ferri duciq; ſinitis. Similes eſtis ijs, qui iter faciunt ſuper mare, navis eos portat, & manent in ea quieti, ſine ſolicitudine: ambulant quieſcendo, nec neceſſe habent quærere, an rectum teneant iter; hoc enim officium eſt Nautarum, qui ſemper videntes pulchram ſtellam, Gnomonem ſcilicet nauticum, ſeu quod idem eſt, indicem venti ſpirantis, ſciunt ſe bona & recta in via eſſe, dicunq; alijs, qui ſunt in navi, bono & alacri eſtote animo, bonâ & rectâ ferimur viâ, ſequamini poſito omni timore.

Gnomon iſte divinus, eſt Chriſtus Dominus,

navis sunt regulæ, qui eam dirigunt, sunt Supe-riores, qui ordinariè vobis dicunt, pergite & am-bulate fidenter, bonæ Sorores, per exactam Re-gularum observantiam; feliciter ad Deum ap-pelletis, ille solus vos ducet dirigetque. Verùm notate, me dicere, ambulate per exactam & fi-delem observationem: nam qui contempserit viam suam, occidetur, inquit Salomon.

Dicis insuper, Venerabilis Mater, Sorores nostras dicere, bonum est quidem ambulare per Regulas; sed est via generalis; Deus autem nos trahit per illicia particularia, cùm autem quæ-libet habeat viam specialem, quî omnes trahe-mur per eandem viam? Respondeo, Habent causam id dicendi, & verum dicunt; sed verum etiam est, quod si attractio ista venit à Deo, du-bio procul trahet & ducet ad obedientiam; non autem spectat ad nos, qui Superiores non sumus, judicare de particularibus nostris allectibus, hoc Superiorum est officium, & ideò directio particularis est ordinata; ei estote fideles, & be-nedictionis fructum referetis in patientia.

Si feceritis, charissimæ filiæ, quod docemini, eritis felicissimæ, vivetis vestrâ sorte contentæ, & experiemini adhuc existentes in mundo hoc, fa-vores Paradisi, minimùm velut quandam præ-gustationem. Verum oportet vos diligenter ad-vertere, quòd si nobis adveniat gustus aliquis in-


terior,

terior, & favor Christi Domini, ne plus quàm oportet, ijs adhæreatis: is favor similis est pauculis granis anisi confecti, quæ Apothecarius ponere consvevit super potionem infirmo ebibendam, ad sanitatem recuperandam, non obstante amaritudine: quamvis enim de manu Apothecarij acceperit dicta grana sacchâro confecta, non ideò eâ sumptâ, non percipit ejus amaritudinem.

Videtis ergo clarè prætentionem, quam debetis habere, ut Sponsæ Christi dignæ efficiamini, & simul capaces, quas Christus in monte Calvariæ sibi despondeat. Vivite igitur quàm optimè; quod fiet, si totâ vestrâ vitâ omnes vestras actiones conformaveritis actioni peractæ in dicto monte. O quanta hic vos manet benedictio danda à Deo! Tota nostra felicitas consistit in perseverantia: ad quam Charæ filiæ, vos hortor toto corde, & rogo Dei bonitatem, ut & in hoc mundo vos gratiâ suâ & amore beet, & in altero gloriâ faciat vos frui sempiterna.

Valete, charæ filiæ, omnes vos fero, non in oculis, sed in corde: ut autem me commendem in vestras preces, superfluum existimo, me enim credere facit vestra pietas, vos eo in genere non defuturas officio charitatis. Nullus transibit dies vitæ meæ, quo non missurus sim

vobis ex altari meam benedictionem. Interim autem eam recipite, in nomine PATRIS, FILII, & SPIRITVS SANCTI.



VIVAT IESVS.

COLLOCVTIO XXI.

Super documentum de nihil petendo, & nihil recusando.

ENERABILIS MATER, cùm nuper loquerer cum pia, & eximia Religiosa, ea rogavit me his verbis: si quæpiam è Sororibus habens desiderium sæpius communicandi, quàm soleat communitas, id peteret à Superiore, erraretné? ei dixi: si ego essem Religiosus, credo me facturum quod dicam: non peterem communicare sæpius, quàm communicet ipsa communitas; non peterem item gestare cilicium, cingulum; neque etiam jejunare extra ordinem, nec disciplinâ, ut vocant, me flagellare, nec rem quamcunque aliam postularem, quæ redoleret quampiam

piam singularitatem, sat mihi esset semper & in omnibus sequi communitatem; si essem robustus, non comederem quater in die, sed si juberer, facerem, & nihil dicerem; si autem essem debilis, & semel tantùm juberer in die comedere, semel tantùm comederem in die, sepositâ ad partem cogitatione, an essem debilis, necnè.

Pauca volo, quæ autem volo, ita exiliter volo, ut vix ad illa habeam desiderium; si autem renascerer nullum prorsus habere vellem: si Deus veniret ad me, irem & ego ad illum; si nollet me ad se venire, manerem meo loco & ad eum non irem. Dico igitur nihil esse petendum, nihil recusandum: sed se relinquendum inter brachia divinæ providentiæ, nullis se implicando desiderijs, nisi volendo quod Deus vult, me velle.

Sanctus Paulus hanc sui ipsius derelictionem in ipso statim suæ conversionis puncto, quando Christus eum lumine privavit, excellenter exercuit, dum dixit: *Domine, quid vis me facere?* Ex eo tempore mansit semper in absolutissima dependentia ad faciendum, vel omittendum, quidquid Deus de eo statuebat. Tota nostra perfectio consistit in praxi hujus puncti. Idem Sanctus Paulus scribens ad unum suorum Discipulorum prohibet inter reliqua, ne cor suum tradat, occupetq; aliquo desiderio; tam exactè nôrat ille, quanti ea res esset momenti.

Infertis fortè ex his; ergo non ſunt deſiderandæ virtutes? & tamen dicit Dominus, *petite & accipietis.* Reſp. O charæ filiæ, quando dico, nihil eſſe petendum, nec deſiderandum, intelligo rés terrenas; nam quod ad virtutes attinet, poſſumus eas petere, & quidem Dei amorem petentes, eas comprehendimus; quia amor omnes eas continet. At, vt is amor exteriùs bene exerceatur, & multum ſtudij in illum conferatur; licetné (quæritis vos) rogare humilia officiola, eò quod multùm laboris & humilitatis, ad Deo placendum, minus autem quietis & ſplendoris in ijs reperiatur? Reſpondeo, charæ filiæ, dicebat David, *malle ſe abjectum eſſe in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*; & alibi, *bonum eſt*, inquit, *Domine, quòd humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.* Nihilominus hoc deſiderium, fatendum eſt, eſt valde ſuſpectum, & forte pura puta cogitatio humana. Quis ſcit, an deſideria, quibus impulſæ nunc officia petitis, tam ſint futura efficacia, ut eæ abjectiones, quæ hujuſmodi officiola comitantur, ſemper gratæ vobis ſint futuræ.

Tot & tanta tædia, & amaritudines accidere vobis poterunt, ut, etſi nunc experiamini in vobis fortitudinem & animum perferendi mortificationes, & humiliationes quaſcunque occurrentes; certæ tamen non eſtis vos eandem fortitu-

titudinem & animum semper habituras. Breviter, desiderium habendi officia, sive ea sint humilia, sive honorabilia, communiter habendum est pro tentatione. Ac proinde, omnibus consideratis, semper melius est nihil desiderare, & esse in promptu ad ea suscipienda, quæ injunget obedientia; & ea sive essent honorabilia, sive abjecta, semper susciperem magna cum humilitate, ne verbo quidem edito, nisi interrogarer; & tunc responderem simpliciter, quod verum est, & quod animo voluo.

Petitis qualiter exercendum sit documentum de INDIFFERENTIA in morbis? Respondeo, invenio in sacro Evangelio pulchrum hujus rei exemplar in socru sancti Petri. Bona hæc fœmina lecto affixa, magna affligebatur febri; complures exercuit virtutes, eâ durante, sed quàm maximè admiror magnam ipsius patientiam, & resignationem, quâ se remittebat dispositioni divinæ providentiæ, & curæ suorum Superiorum, manens in doloribus dictæ febris tranquilla, & pacifica, nullam neque sibi, neque ijs, qui circa se erant, exhibens inquietudinem: nôstis autem, & vidistis, quomodò febricitantes malè afficiantur, & ita inquietentur, ut vix valeant, esto maximè vellent, quiescere, ob sexcentas, & eò amplius molestias, & continua fastidia. Porrò magna ista resignatio & patientia, quam

exer-

exercuit noſtra infirma, reſignando ſe in manus ſuorum Superiorum, cauſa fuit, ut ſe non inquietaret, nec ſolicita eſſet de ſua ſanitate; contenta ſufferre morbum ſuum ſvaviter & patienter. O Deus, quàm felix erat bona iſta Matrona! Merebatur profectò, ut diligens ejus cura ſuſciperetur, uti ſuſceperunt Apoſtoli, qui ejus ſanitatem per Chriſtum Magiſtrum ſuum procurarunt, ab ea nullo modo ſolicitati, aut rogati; ſed moti ſola charitate, & commiſeratione dolorum, quos ea patiebatur. Beati erunt Religioſi & Religioſæ, qui hanc infirmam imitati, ſe totos quantos reſignabunt in manus ſuorum Superiorum: nam excitati motivo charitatis ijs ſervient, & ſtudioſè providebunt neceſſaria; charitas enim fortior eſt, magisq; premit, quàm ipſa natura. Chara hæc noſtra infirma probè ſciebat Chriſtum eſſe Capharnai, ubi ſanabat ínfirmos, ipſa autem interim ferens ſuam infirmitatem ſine inquietudine, non aſſumebat curam mittendi quempiam, qui diceret Domino, *Domine, quam amas Petri ſocrus infirmatur.* Et quod adhuc magis eſt mirandum, eum in ſua domo videbat, & nullum verbum ei dicebat, quo ad commiſerationem provocaret, neque eum tangere ſatagebat, ut ſanaretur, ſicut multi alij ſanati ſunt.

Porrò inquietudo ſpiritûs haberi ſolita inter

ſuffe-

sufferendas infirmitates (quibus subjecti sunt, non solùm homines mundani, sed etiam & persæpe Religiosi) provenit ex amore proprio & inordinato erga se ipsos. Nostra hæc febricitans non videtur æstimare suam infirmitatem, dum ad eam teneritudinem se non demittit, vt inveniat quempiam, qui sui commisereatur, sed suffert sine solicitudine, nec agit, ut procuretur, contenta Deum eam scire,& suos Superiores,qui eam gubernant. Videbat illa Christum Dominum in sua domo,ut supremum Medicum; sed eum non respiciebat ut talem (ita parum cogitabat de sua sanitate !) sed considerabat ut Deum suum,ad quem pertinebat,ut creatura ad Creatorem, & hoc sive ægrota esset, sive sana: existens tam contenta infirmitate, quàm possidens plenam sanitatem.

O quàm multi,ut sanarentur à Domino, adhibuíssent astus,dixissentque petere se ab eo sanitatem,ut melius ei servirent,timentes ne aliquid illíus servitio deesset ! Verùm bona hæc Matrona nihil minus cogitabat,quàm hoc ipso ostendere suam resignationem. Non ideò tamen id dixerim,quasi vellem docere,eam à Domino non esse petendam, cùm is solus dare possit, modò tamen qui petunt, hanc adhibeant conditionem: si talis ejus est voluntas. Debemus enim semper dicere, *fiat voluntas tua.* Non suf-

sufficit esse infirmum, & habere afflictiones, quia Deus id vult; sed oportet, ut simus constituti ad patiendum, ut ille vult, quando vult, tanto tempore, quanto vult, & eo modo ferre dolores, quo placet, ut eos feramus, non facientes ullam electionem, neque prætendentes vllam oppositionem, vel renisum, ad subeundum quodcunq; malum, vel quamcunque afflictionem: esto ad speciem videretur abjecta, & dedecori cuipiam obnoxia: nam malum & afflictio sine abjectione & humiliatione sæpe inflat animos, loco quo nos deberet humiliare. Verùm quando malum affligit, nullo aliunde accedente honore, vel opprobrium aliquod, vilitas, & abjectio sunt ipsum nostrum malum, quam tunc non præbent occasionem exercendi patientiam, humilitatem, modestiam, & spiritûs svavitatem? Quam ob rem geramus magnam curam, uti gessit bona hæc Matrona, quatenus cor nostrum servemus in omni pace & svavitate, facientes progressum spiritualem ex nostris infirmitatibus: nam simulatq; Christus ab ea expulit febrim, surrexit è lecto, *& ministravit.* In quo profectò ostendit magnam virtutem, & profectum, quem prioribus virtutibus adjecerat ex patienti tolerantia sui morbi; à quo cùm esset libera, noluit receptam sanitatem alterius adhibere, quàm Christi servitio; eo proinde instanti, quo illam recuperavit, se totam quan-

quantam ei impendit. Cæterùm, oſtendit ſe non eſſe,ut ſunt plerique homines mundani, qui cùm pauculis diebus aliquantulum malè habuerint,impendunt non paucos dies,ſed ſeptimanas integras & menſes, ut ad priſtinam redeant ſanitatem.

Chriſtus Dominus fixus in cruce clarè nobis oſtendit,quomodo mortificandæ ſint neſcio quæ animi & corporis teneritudines : ſentiens enim maximam ſitim,non ideò petivit ad bibendum ; ſed ſimpliciter dixit: *ſitio*,manifeſtans ſuam neceſſitatem. Et hoc facto exhibuit actum maximæ ſubmiſſionis. Vnde factum eſt ut unus quiſpiam ex adſtantibus ſpongiam plenam aceto, *hyſopo circumponens ori ejus obtulerit.* Adverte, benignitatem ac humilitatem Salvatoris, qui non ignorans eſſe potum talem,qui ſuos dolores augeret; nihilominus dignatus eſt benedictis ſuis labris ſugere ; nullo verbo aut ſigno, quo ſe eo potu moleſtari ſignificaret,edito ; ſed bene, ut nos doceret, quæ, & quali cum ſubmiſſione ſumere debeamus cibos & pharmaca,quæ nobis in adverſa valetudine conſtitutis offeruntur, omiſſis tot ſignis, & teſtimonijs, quibus ſignificamus nos ea magnopere nauſeare & faſtidire ; quin imò, omittenda hujuſmodi ſigna ſunt, etiam, quando timemus ,ne talis ſumptio malum noſtrum augeat.

O nos-

O nos miseros, qui minimam sentientes incommoditatem facimus contraria doctrinæ, quam mitis noster Magister nobis tradidit: sed & lamentari non cessamus, quasi sufficientes nobis non adessent homines, quibus quereremur, & dolores nostros minutim referremus, ij enim nostro judicio, majores sunt, quàm ut comparari possit ijs ulla aliorum infirmitas, quantumcunque ea gravis & acerba sit. Sumus profectò plus æquo soliciti, minusq; patientes, quàm esse deberemus, dum nihil fieri potest circa nos (fiat quacunque charitate & solicitudine) cui acquiescamus.

Quid multis? magnum istud studium acquirendi homines, qui se nostri misereri ostendant, indicat, quàm exigui simus imitatores patientiæ Christi Domini, qui obliviscebatur suos dolores, nulloque modo erat solicitus, ut innotescerent hominibus, contentus, quòd Pater cœlestis, cujus obedientiâ eos sufferebat, consideraret, & ejus iram erga naturam humanam, pro qua patiebatur, mitigaret, placaretque.

Petitis vos tandem, ut dicam quid maximè desiderem insculptum esse vestro spiritui, vt id in praxim deducere possitis? Eheu! quid vobis dicā, charissimæ filiæ aliud, quàm duo hæc amabilissima verba, quæ toties vobis commendavi & inculcavi? NIHIL PETATIS, NIHIL RECUSETIS.

In

In hisce duabus vocibus totum, quod hactenus vobis dixi, situm est: comprehendit enim praxin perfectæ indifferentiæ. Videte parvum IESULUM in præsepio; ut patitur paupertatem, nuditatem, utque moratur in stabulo, nec non cum animalibus: patitur omnes injurias temporis, frigus, & omne id, quod illi Pater sinit evenire. Nullibi habetur scriptum, quod unquam manus extenderit, ut Matris sugeret mammillas, committebat id curæ & providentiæ matris; non etiam recusabat parvula, quæ illa adhibebat solatiola; admittebat Iosephi item servitia, sicut & adorationem Regum & pastorum, & hæc omnia pari indifferentia; sic nos nihil debemus desiderare, nec recusare; sed sufferre, & recipere indiscriminatim omne id, quod divina Providentia permiserit nobis evenire. Ad hoc faciendum DEUS gratiam suam nobis elargiatur.

DEUS SIT
BENEDICTUS.

VIVAT IESVS.

EXERCITIVM MATVTINVM.

Quod cùm ſit breve, ſimplex, & tendat immediatè ad unionem amoroſam noſtræ voluntatis cum Divina, uſui eſſe poterit ÿs, qui inter orandum ſiccitatem, & ſterilitatem mentis, corporiſq; debilitatem patiuntur, nec non ÿs, qui magnis obruuntur occupationibus.

PRimum Punctum. Flexis genibus, & profunda humilitate ſiſtere ante incomprehenſibilem Maieſtatem Dei, eumque adora ſummum tuum bonum, qui te ab omni æternitate tuo nomine compellavit, & præordinavit tuam ſalutem, deſignando inter reliqua hunc diem præſentem, quo exerceres opera vitæ & ſalutis, juxta illud Prophetæ: amavi te amore æterno, ideo attraxi te, miſertus tui.

Secundum Punctum. Huic ſanctæ & veræ cogitationi unias tuam voluntatem cum benigniſſima Patris cœleſtis per hæc aut ſimilia. O dulciſſima Patris mei voluntas: hanc rogo ſemper adim-

adimpleri! O æterni Patris mei ſapientia, Te adoro, meam voluntatem tibi dedico, ut nihil velim, niſi quod tu ab æterno voluiſti! Vtinam ergo hodie & ſemper, & in omnibus tuam voluntatem adimpleam! Mi Creator, ita ſemper erat tua voluntas ab æterno, & deinceps ſit. O Summum Bonum, ſit tibi conſtans, uti voluiſti! O voluntas æterna vivas & regnes in omnes voluntates, & ſuper omnes voluntates, nunc & in perpetuum.

Tertium punctum. Poſtmodum invoca aſſiſtentiam divinam per has, aut ſimiles acclamationes, provenientes ex intimo cordis affectu. Domine ſis mihi auxilio! dextera tua ſit mihi ſolatio: ecce Domine langvidum cor meum, quod tamen à te multas conſolationes acceperat! planè imbecillum, & ſine te inefficax ad ulla pia deſideria. Invoca Beatiſſimam Virginem MARIAM, Angelum tuum cuſtodem, & curiam cœleſtem, quorum patrocinio DEUS propitietur.

Quartum Punctum. Ita potenter & vivaciter unias te divinæ voluntati: Communionem reiteres per decurſum diei tam in ſpiritualibus, quàm corporalibus tuis negotijs, & ſæpius per diem defigas oculos in divinam bonitatem: Domine ita planè volo, aut ſimpliciter, ita Domine, ita mi Pater: ita, ſemper ita. Si vis etiam hoc

modo, obſignes te cruce, aut oſculare, quam portas crucem, vel imaginem: quia hæc ſunt vera indicia adimplendi voluntatem divinæ providentiæ, quam acceptas, quam adoras, quam cordialiter amas, quin inſeparabiliter tuam divinæ voluntati coniungas.

Quintum Punctum docet te, hæc cordis jacula, hæc interiora verba, pronuncianda eſſe dulciter, placidè, firmiter tamen. Placidè, inquam, & ut ita dicam, diſtillata velut mel, ac paulatim per ſuperiorem & ſublimiorem animæ partem in aures immiſſa, utí ea, quæ amico cuipiam inſtillantur in auriculam, quia volumus ea profundè in eius cor penetrare, abſque eo, quod quiſpiam id valeat advertere; nam hujuſmodi verba leniter, ac ſuaviter acumine noſtri ingenij diſtillata, in dictum cor illabentur, penetrabuntq; & macerabunt intimius & fortius, quàm facerent, ſi efferrentur per modum orationis jaculatoriæ, & eruptionis ſpiritûs. Experientia docebit te id cognoſcere, dummodo ſis humilis & ſimplex. Amen.

DEUS SIT
BENEDICTUS.

VIVAT

VIVAT IESVS.

CONSIDERATIO Super Symbolum Apoſtolorum pro confirmatione Catholicæ fidei, concernens Sacroſanctum Altaris Sacramentum.

Facta per Beatum Franciſcum de Sales, Epiſcopum & Principem Geneuenſem.

CREDO.



SI conſidero ſupra tua altaria poſitum, ô mi Salvator & Deus, ſacratiſſimum tuum corpus, quod tot miraculis in eſcam ſpiritualem in deſertis hiſce nobis præparaſti, & condiviſti, in eam rapior admirationem, ut aliud quod dicam, præter meæ inſufficientiæ proteſtationem non occurrat, quàm ſequitur: quid hoc, quid hoc ſibi vult; O Domine, in me reſpicé, judicium enim meum naturale, mea caro, mei ſenſus mille mihi inferunt aſſultus! Eheu! ſic mihi loquuntur: quî fieri poteſt, ut Salvator dederit carnem ſuam manducandam? O quàm durum eſt hoc verbũ, quis illud poteſt audire & credere? At, gratiâ

tuâ factum est, mi Deus, quòd seductores isti pessimi nihil adhuc mihi nocuerint: ego enim servus tuus semper illis opposui verbum tuum & symbolum, quod tui olim Apostoli docuerunt antiquos; & secutus insuper duorum magnorum tuorum servorum consilium, sanctorum scilicet Ambrosij & Augustini, me armavi & munivi insignibus tuæ clientelæ; clausi item & signavi cor meum tuo sigillo, ne pateret suggestionibus, sed mihi esset velut pharetra subministrans millenas & millenas sagittas ac jacula. Quid? dicebam sacrum verbum CREDO, quod est in fine, & in principio SYMBOLI APOSTOLICI: esto nihil aliud esset præ manibus ad infirmandos & infringendos assultus seditiosorum istorum, nonné esset sufficiens CREDO? VERBVM ISTVD EST, quod jam inde à tempore mei Baptismi pronunciavi per os eorum, qui me ad illum suscipiendum præsentârunt. Sum igitur fidelis Christi servus, qui quò minus comprehendo hoc sacramentum, & mihi redditur creditu & intellectu difficilius, & incredibilius, eò venerabilius & credibilius mihi fit in dies.

CONSIDERATIO I.

Credo
in DEum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

DEUS

DEVS in omnibus suis operibus est DEUS; sed in eis, quæ majora sunt, magis ostendit suam divinitatem. Cùm ergo sacramentum hoc sit magnum Dei opus; quam notam securiorem & certiorem potest habere à suo Auctore, quàm ut inter opera & articulos meæ fidei ut totum quantum admirabile & incomprehensibile, recipiatur? Nonné sunt tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus in una, eadem, simplici & unica essentia? Fides, quæ digessit summam istam difficultatem; quid laboris habere poterit ad credendum, vnum & idem corpus esse posse simul pluribus in locis? Avertat benignè Deus meus, ne faciam ut rebelles illi, *qui malè locuti sunt de Deo,* dicentes, *numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Quod nequivero mandere ex Agno Paschali, proijciam in ignem infinitæ potentiæ Patris omnipotentis, in quem ego credo: nubeculæ autem difficultatum, quas oculus noster naturalis videt in hoc sacramento, quomodò durabunt & resistent vento fortitudinis Dei? Quæ durities tam indissolubilis erit, quam ignis non devoret? Dei verbum tantæ fuit virtutis, ut per illud res, quæ non erant, factæ fuerint; quantò igitur majorem illud ipsum verbum vim habebit, ut factas locet, ubi illi videbitur, easdemq; mutet in alias? Posuit in loco aliquo id, quod nō erat, quare nō ponet in pluribus id, quod erat in uno?

CONSIDERATIO II.

Et in IESVM *Christum filium ejus unicum Dominum nostrum.*

QVando video, ô Salvator mi, à Patre tuo mundum adeò amatum fuisse, ut te ei daret, ut illi Pastor & Medicus esses, ecquid mirum, si dico te filium, illi æqualem in amore, eundem in bonitate, te ipsum eidem mundo dedisse, ut esses illi CIBVS & MEDICINA, semperq; officio Salvatoris, Regis, & Domini in omnibus & per omnia magis ac magis fungereris.

CONSIDERATIO III.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

CVm conceptus sis, mi Deus, in sacratissimo Virginis utero, sine aliqua viri opera, qua ex causa requiratur ordo naturalis in tuo corpore, quod EXTRA OMNEM ORDINEM naturalem factum & natum est ex Virgine? Et cùm corpus tuum jam tum exiens ex utero Virginali tuæ Matris, NON OCCVPAVERIT locum (alioquin sanctæ ejus Virginitati labes esset illata) sed penetraverit, ut radius solis vitrum; quare videri deberet incredibile, quòd in hoc admirabili sacramento locum NON OCCVPET.

CON-

CONSIDERATIO IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

IS, qui tantopere te amavit, ô anima mea, qui poterat te salvare unicâ guttâ sui sangvinis, & minimâ suarum passionum tolerantiâ, voluit nihilominus totum suum corpus exponere, tradere doloribus amarissimæ passionis, ut TE VITÂ DONARET; ne dubites, ille idem est, qui ut illam tibi CONSERVET, te NUTRIT EODEM CORPORE; quidnî hoc mereatur fidem? Amori Matrum non est satis produxisse infantes de sua substantia, nisi etiam eos vel enutriant ipsæmet, vel alias nutrire faciant. Et, ut verum fatear, post tot figuras & repræsentationes PASSIONIS DOMINI, quibus SERVI olim pasti fuerunt, ut fuit AGNUS PASCHALIS, MANNA, & plures aliæ: fuisset profectò nimis macra & frigida commemoratio illarum, prô FILIIS aliud non adhibuisse, quàm simplicem panem, & vinum.

CONSIDERATIO V.

Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

IS, qui sexcentis alijs modis poterat visitare suos servos, qui erant in sinu Abrahæ, de-

ſcendit ad Inferos in reali animæ ſuæ præſentia ad eos viſitandos; quid miraris, ſi ille idem, qui valebat nos nutrire pluribus alijs modis, cariorem, admirabiliorem, & amabiliorem (qui eſt dare nobis in cibum propriam ſuam carnem) elegerit? ſi & idem per ſuam Reſurrectionem corpus ſuum à paſſibilitate, gravitate, ſpiſſitate, obſcuritate, & alijs ſimilibus craſſis qualitatibus exſpoliavit & liberavit; ſi item lapidem ſepulchri penetravit, ſi & per fores clauſas ad Diſcipulos intravit (quod fieri non poteſt, niſi duo corpora ponantur in uno eodemq; loco, ita ut unum nullum occupet) ſi fecit ſe inviſibilem, impalpabilem, imperceptibilem, & hoc nullo loco occupato; quare non faciat idem in hoc ſacramento quantumvis inviſibilis, & loco non occupato, ſiquidem ipſe dixit, ſe ibi eſſe? Ad quod propoſitum etiamnum in illo requirimus conditiones corporis mortalis & corruptibilis?

CONSIDERATIO VI.

Aſcendit ad cælos: ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

Mirumne nobis videri debet, quòd corpus hoc realiter, & re ipsâ, quamvis ſupernaturaliter in noſtra veniat corpora? ſiquidem leviùs quâvis aviculâ tranſgreditur omnes regu-

las humani corporis ; aſcendit ſuper omnes cœlos, ſedetque ad dexteram Dei Patris ſuper omnes cœlos, ubi amplius non occupat locum ullum, neque ſpatium ; nam quæ & qualis ſuperficies valeat circumdare corpus illud quod eſt ſuper omnia alia corpora ? Quare ergo etiam non eſſet hic in terris apud nos, non occupans locum ullum, neque replens ſpatium aliquod ?

CONSIDERATIO VII.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

SIc, cùm non ampliùs ſubjectus ſit loco, neque ſpatio, neque gravitati cuipiam, comparebit die noviſſimo in aëre cum Sanctis ſuis, viſibilis omnibus hominibus, ubicunque illi fuerint, quamvis diverſis cum affectibus, nec ſine etiam magno miraculo, quod is, qui eſt nunc inviſibilis in hoc magno ſacramento, tunc viſibilis judicabit eos, qui reos ſe fecerunt ejus corporis & ſanguinis, manducando & bibendo indignè tam pretioſum, & adorabile Sacramentum, eò quòd illud non diſcreverint. De quo unquam cibo dictum fuit, quòd qui eum manducaverit indignè, ſit futurus reus corporis Chriſti, niſi de hoc, qui cùm ſit realiter corpus Chriſti, effi-

cis

cit etiam realiter & re ipsâ reos, quotquot illo abutuntur, & non diſcernunt. Adde quòd non fuerit tam ſeverum decretum datum neque de manna, neque de Agno Paſchali, licet in utroq; per fidem & ſpiritualiter ipſemet Ieſus Chriſtus manducaretur.

CONSIDERATIO VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

QVemadmodum omne id, quod fecit Deus à principio, fecit operâ Spiritûs ſancti; ita & nunc facit operâ ejuſdem Spirirûs ſancti, res ſupernaturales, quas nemo poteſt concipere niſi per fidem. *Quomodò fiet iſtud*, inquit Beata Virgo, *quoniam virum non cognoſco?* Gabriel Archangelus reſpondet: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi.*

Tu nunc petis, quomodo panis fiat corpus Chriſti. ℟. etiam ego tibi, Spiritus ſanctus obumbrat, & operatur res ſuper omne verbum, & ſuper omnem intelligentiam. Spiritus Sanctus, qui dictavit ſacras ſcripturas, in illanè poſuiſſet verba tam expreſſa & viva, quàm ſunt hęc: Hoc est corpus meum, ſi non fuiſſet verum corpus Chriſti Domini? Nonné curaſſet adijci declarationem aliquam ſuæ intentionis, ſi intendiſſet aliud quid, quàm verba hæc in ſuo primo & germano ſenſu ſignificant; & ille, qui eſt

Doctor Ecclesiæ, sivissetné transire articulum tanti momenti in errorem & mendacium, eam tanto tempore deserendo?

CONSIDERATIO IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

QVo, obsecro pacto vocari posset ECCLESIA SANCTA, quæ non nisi una sola Catholica & universalis est, nisi defendisset & tutata fuisset veritatem, tam in hoc articulo, quàm in alijs omni tempore, omni in loco, & inter omnes nationes? Quod non fecisset, si verum Christi Domini corpus non esset in hoc Sacramento.

Verùm aliané est perfectior Sanctorum communio, quàm hæc, in qua omnes sumus unus panis, & unum corpus, in quantum omnes sumus participes unius panis, qui de cœlo vivus & vivificans descendit? quomodo omnes comederemus de uno eodemque pane, si hic panis non esset corpus IESU? Quot loca, tot panes diversi essent. Et si non comedimus, nisi unum eundem cibum spiritualem per fidem, quî majorem communionem haberet Christianus cum alijs Christianis, quàm cum antiquis Iudæis, qui manducabant etiam Iesum Christum per fidẽ, & consequenter vnum eundem cibum spiritualem?

CON-

CONSIDERATIO X.

Remissionem peccatorum.

DOmine, tu dixisti corpus tuum, sanguinem tuum in hoc Sacramento dari, frangi, *fundi pro multis in remissionem peccatorum.* O absit, absit à me, ne credam sanguinem alium effusum, corpus aliud datum pro remissione meorum peccatorum, quàm tuum proprium & naturale! Quid? simplex figura & commemoratio vimne istam haberet? sanguis vitulæ effusus, quamvis figura sanguinis effusi super crucem, non sanctificabat nisi quantum ad puritatem carnis, non, inquam, sanctificabat; sed proprius sanguis tuus, qui emundat conscientias nostras ab operibus mortis, ut serviamus Deo viventi, ille, ille sanctificabat.

CONSIDERATIO XI.

Carnis resurrectionem.

O Benignissime Iesu, quando erit, ut momẽto vno, ictu vno oculi ad sonum ultimæ tubæ, mortui resurgant, & eadẽ cujusq; caro, jam dissipata infinitis prope modis, reproducatur alterâ vice in forma incorruptibili & immortali? Mi Deus, quantum id habebit admirationis! Sed interim admirabor rem illi prope similem, uno momen-

momento, uno ictu oculi, ad tubam tuæ vocis, tuum ipsummet corpus, quod sedet *in cælo ad dexteram Patris*, est admodum singulari modo reproductum in hoc sacro Sacramento per loca omnia, in quibus hoc mysterium celebratur. Sed ò Domine mirabilis in tuis operibus, si parum fermenti magnam massam fermentat, si scintilla ignis sufficit ad incendendam domum quamcunque, si granum in terra projectum, eam efficit fertilem, & reproducit tam multa alia, quantopere debeo sperare, quòd benignissimum corpus tuum intrans meum, adveniente tempore, attollet illud è sua corruptione, inflammabit suâ gloriâ, reproducetque immortale, impassibile, subtile, agile, lucidum & exornatum omnibus gloriosis qualitatibus & ornamentis, quæ sperari possunt: Vigor iste & splendor certè non invenitur in figuris. necesse ergo est eum provenire ex veritate corporis tui gloriosissimi.


CONSIDERATIO XII.

Et vitam æternam. Amen.

SEd & re ipsâ, quis alius cibus, ò Salvator mundi, nisi corpus tuum, dare potest vitam æternam? Oportet esse panem vivum, qui det vitam, panem è cœlo missum, ut det vitam

cœle-

cœlestem, panem, inquam, qui sit tu ipse, mi Domine, & Deus ipse, qui det vitam immortalem, æternam & in omni ævo duraturam. Manna, esto vera fuerit figura tui corporis, non habebat tantam vim ut daret; oportet, oportet esse cibum solidiorem, puriorem & selectiorem, qui talem det vitam, quis autem alius dare potest præter te, qui vivis in sæcula sæculorum? Amen...



FINIS.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0030447

